




BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
LIV
E
2
NAPOLI






RERVM AQVITANICARVM LIBRI QVINQVE,

In quibus vetus Aquitania illuſtratur.

Autore ANT. DADINO ALTESERRA.






TOLOSÆ,

Apud ARNALDVM COLOMERIVM, Regis, & Academiæ Toloſanæ Typographum.

M. DC. XLVIII.



Cum Priuilegio Regis.







ILLVSTRISSIMO VIRO
PETRO SEGVIERIO,
GALLIARVM
CANCELLARIO.

HAVD immeritò, CANCELLARIE ILLVSTRISSIME, Aquitania nostra te Patronum & auspicem desiderat, quæ origine suum meminit, & felici Galliarum fato sibi ereptũ requirit. Certant Cadurci Aquitanici populi pro tui vindicijs. NOBILES SEGVIERIOS inter antiqua patriæ suæ decora numerant, illustrium

Heroum cunas, & ruinis venerandos lares oſtendunt, illorum faſces & præfecturas memoriâ celebrant, téque longo deductum ſtemmate repetunt. Lætatur Aquitania tuo & maiorum imperio, & meliores quibus paruit de tuo principatu annos computat. Hinc tibi vtriuſque militiæ auctoramento gloriari datum,

Et ferrum mulcère togâ.

Nec abſque antiquæ ſortis beneficio Aquitania tibi ceſsit proximus gradus ad Galliarum Quæſturam, & honorum faſtigium; non aliter olim Galbæ & Agricolę eiuſdem prouinciæ legatio ſecuti mox Conſulatûs augurium fuit. Morabantur te Aquitanorum vota & ſtudia, verùm Galliarum genius iam ad

rerum culmen te reuocabat: doleret Aquitania, ſed dignitatis tuæ, & boni publici ratione damnum ſolatur; Caream, inquit, dum imperet. Egregiæ ſunt omnes Reipublicę partes, virum tamen tot regijs dotibus præditum, prouinciâ diutiùs teneri, ac rerum clauo ſubduci nequaquam par erat. Heroicas laudamus, & miramur virtutes, quæ pulcherrimo concentu animum tuum implent, pietatem, iuſtitiam, ſapientiam; fortitudinem. Pietate Regem, Regnúmque Deo concilias, pietate publicos hoſtes debellas, diuitias non voluptatis & deliciarum inſtrumenta habes, vt vulgus, ſed virtutis viaticum, & pauperum ſolatium; gaudes auitas opes in egentium cenſum effuſas; parentum beneficium animo

obſecundans tuum facis, & pietatis causâ facere ſumptum, in lucro ponis. Iuſtitiâ potentiores in officio contines, plebeios beas, miſeros ſubleuas,& quod ſpectabilius, exemplo Iuſtitiæ ſtudium vicarijs poteſtatibus immittis, felix à quo rem à recto alienam nemo petere audet,infractæ probitatis tuæ conſcius. Sapientiâ præſtas non fucatâ, ſed verâ germanáque, quæ viro Rempublicam gerenti conueniat, ea eſt quæ domi tranquillitatem tuetur, foris Regni majeſtatem in dies propagat,antiquos Galliæ limites reddit,ac decorã; quæ ſumma votorũ eſt, nobis pacem pollicetur. Litteras & litteratos amas,fouéſque,neque ab his laudem expectas,propriȩ virtutis teſtimonio ſecurus, ſed honeſtiſsi-

mæ diſciplinæ conſortes quâdam ingenij cognatione illigatos cenſes. Accedit fortitudo quæ non in acie modò, ſed & in Republicâ ſpectandam ſe prębet, in campo ferro & igni pugnatur multo milite, multo ſanguine, vario euentu; in principis arcanis incruentæ victoriæ, conſilio tuo, & fortitudine parantur. Gratulatur Gallia pro tot meritis, gratulatur Aquitania, & nati dignitate vt mater exultat, gratulantur litterarum ſtudioſi, & Rempublicam litterariam te duce etiam de hoſtibus triumphare proclamant. Ego, inter hos officio publico deeſſe non tuli, & veterem Aquitaniam qualicumque operâ à me illuſtratam tui nominis inſcriptione illuſtriorem efficere

ſategi; Hoc tibi donarium vniuerſa mecum Aquitania conſecrat, hoc ego æternum cultûs, & obſequij mei monumentum pono; æternùm futurus ipſe,

TVÆ CELSITVDINI,

DEVOTISSIMVS,

ANT. DADINVS ALTESERRA.

Toloſæ XXII. *Maij* M. DC. XLVIII.



ELENCHVS LIBRORVM, ET CAPITVM, HVIVS OPERIS.

LIBER PRIMVS.

LIBER II.

LIBER III.

ẽ 3

LIBER IV.

LIBER

XVII. Leo Quæstor Eurici. Lampridius Rhetor Burdegalensis, Leontius Burdegalensis Episcopus. Pontius *Leontius*, *Primarius Aquitanorum, Ruricij Lemouicenses Episcopi. Chronopius Petrocoriacensis Episcopus.* Patiens *Lugdunensis Episcopus gratuitam Aquitanis, & Prouincialibus annonam ministrat. Fabulæ de gestis Arturi in Gallia & Aquitania. An Iuliani Briuatensis basilica ab Eurico exstructa. Eugenius Carthaginensis Episcopus apud Albigam in Aquitania exsulat. Amantius Rutenensis Episcopus.* 374.

XVIII. Alaricus Rex Gothorum, Theudelusa eius vxor ex qua ei natus Amalaricus, Leo Quæstor Alarici. Sidonio successit Aprunculus in Episcopatu Aruernorum Aquitanorum studium in Francos, & Gothici imperij tædium, Volusiani Turonensis Episcopi exilium & Martyrium, Cæsarius Arelatensis Episcopus exulat apud Burdegalam. Apollinaris Sidonij Filius. Marianus Bituricensis Eremita. Leonardus fundator Monasterij Nobiliacensis in pago Lemouicensi, Carilephus Aruernus fundator Monast. Anisolensis, Alaricus Clodoueo offensus reconciliatur, Alaricus monetam adulterat. Alaricus Codicem Theodosianum breuiari curat. Synodus Agathensis, in ea preces fusæ pro Alarico Rege Arriano.

XIX. Clodouei res gestæ in Alaricum. *Maxentius* Abbas. *Prælium Vogladense & casus* Alarici. Apollinaris Dux Sidonij *filius.* Aqui*tania & pars Narbonensis Prouinciæ Gothis erepta. Gothia pro Septimania.* An *Moyssiacense Cœnobium fundatum à Clodoueo. Engolismæ obsidio. Carcassona &* Arelate *obsidione tentatæ. Concilia habita ad restituendam religionem* Gothorum *contagio labefactatam. Clariores Episcopi* Aquitaniæ. *Remensis Ecclesia multis in* Aquita*nia prædiis à Clodoueo ditata.*

FINIS.

Extraict du Priuilege du Roy.



LOVIS par la grace de Dieu Roy de France & de Nauarre; A nos amez & feaux Conseillers les gens tenans nos Cours de Parlemens, Maistres des Requestes ordinaires de nostre Hostel, Baillifs, Seneschaux, Preuosts, leurs Lieutenãs, & tous autres nos Iusticiers & Officiers qu'il appartiendra, Salut. Nostre cher & bien-amé Arnaud Colomiez Imprimeur du Roy & de l'Vniuersité à Tolose, nous a fait remonstrer qu'il desireroit faire imprimer vn Liure intitulé *Rerum Aquitanicarum lib. quindecim in tres partes distincti, autore Antonio Dadino Alt-serra*, s'il nous plaisoit de luy accorder nos Lettres sur ce necessaires, humblement requerant icelles. A ces causes, Nous auons permis & permettons par ces presentes audit Colomiez d'imprimer ou faire imprimer, vendre ou debiter en tous les lieux de nostre obeyssance ledit Liure, en tel volume, en telle marge, en tels caracteres, & autant de fois que bon luy semblera, durant l'espace de quinze ans entiers, & accomplis, à compter du iour que ledit Liure sera acheué d'imprimer, pendant lequel temps, auons fait defenses à tous Imprimeurs & autres personnes de quelque qualitez & condition qu'elles soient, d'imprimer ou faire imprimer, vendre ny debiter ledit Liure durant ledit temps, en aucuns lieux de nostre obeyssance, sans le consentement de l'exposant, sous pretexte d'augmentation, correction, changement de titre, fausses marques, ou autrement, en quelque sorte & maniere que ce soit, à peine de quinze cens liures d'amande, payables par chacun des contreuenans, & applicables vn tiers à Nous, vn tiers à l'Hostel Dieu de nostre bonne ville de Paris, & l'autre tiers à l'exposant; de confiscation de tous les exemplaires contrefaits, & de tous despens dommages & interests, à condition qu'il sera mis deux exemplaires dudit Liure en blanc en nostre Bibliotheque publique, & vne en celle de nostre tres-cher & feal le Sieur Seguier, Cheualier, Chancelier de France, auant que de l'exposer en vente, à peine de nullité des presentes, du contenu desquelles nous vous mandons que vous fassiez jouyr & vser plainement & paisiblement l'exposant, & tous ceux qui auront droit de luy, sans qu'il leur soit fait aucun trouble ny empeschement. Voulons aussi qu'en mettant au commencement ou à la fin dudit Liure, vn extraict des presentes, elles soient tenuës pour deuëment signifiées, & que foy y soit adioustée, & aux copies collationnées par l'vn de nos amez & feaux Conseillers & Secretaires, comme à l'original. Mandons au premier nostre Huissier ou Sergent sur ce requis, de faire pour l'execution des presentes tous exploits necessaires, sans demander autre congé ny permission: Car tel est nostre plaisir, nonobstant clameur de Haro, Chartre Normande, & autres à ce contraires. Donné à Paris le 22. iour d'Auril, l'an de grace 1648. Et de nostre regne le cinquiéme.

Par le Roy en son Conseil, COVPEAV.


Acheué d'imprimer le 30. May 1648.

ERRATA.

PAg. 25. Sidonius & Maurusio. l. Sidonius Maurusio. p. ead. Briua Isaiæ. l. Briua Isaræ. p. 42. ptimæ. l. primæ. p. 67. enulta. l. culta. p. 78. perstregit. l. perstrepit. p. 80. fundibus. l. funditus. p. ead. Mutelli. l. Murelli. p. 88. obsideque. l. obsidesque. p. 94. auctas. l. auctus. p. 98. vt tam. l. vt iam. p. ead. & Santonum. l. & Santonum fines. p. 104. Galiam. l. Galliam. p. 120. iustæ. l. iusta. p. 121. rusticios. l. rusticior. p. 128. fastidiorum. l. fastidio rudem. p. 139. Didorus. l. Diodorus. p. 140. nonnullus. l. nonnullis. p. 142. vtebatar. l. vtebatur. p. 107. fueri. l. fuerit. p. 194. fore. l. fere. p. 231. est Aquitania. l. est Aquitanica. p. 234. Booetia. l. Boeotia. p. 246. Picto tum. l. Pictorum. p. 263. amnium. l. omnium. p. 283. & sterilitati. l. & sterilitate. p. 299. tractus maritimi. l. tractus Saxonici. p. 304. ῷ ὰ l. ῷ οἱ. p. 328. fori. l. fori. p. ead. discipulum. l. discipulatu. p. 371. depopalatæ. l. depopulatæ. Alia si quæ sunt maxime inter punctionis errata, & peruersum nonnullis locis caracteris discrimen, cautus lector suo iudicio emendabit.



LECTORI.



Am ab anno M. DC. XLI. legem Romanam edidi Aquitaniæ noſtræ præcurſoriam, inde nonnulli viri eruditi legem Romanam recoluere, velut Allodiorum parentem, quorum vnus quod noſtræ legi Romanæ non pepercit, èam libro tertio huius operis intexui, vna cum breui defenſione ſcriptorum, eiuſdem vero præfationem in hunc locum reijciendam duxi, noſtri in legem Romanam ſtudij monumentum futuram.

LEgem Romanam offero, Aquitaniæ, & Narbonenſis Prouinciæ Magiſtram, ſpectatæ in Francos fidei præmium, & ſuauis illorum Imperij argumentum. Non iniuriâ diuiſis votis gaudent Prouinciales Francorum obſequio, & Romanæ Legis regimine: Roma auguſtior lege quàm Imperio, iamdiu amiſſum luget imperium, legémque ſuam adhuc ſuperſtitem miratur in hac parte Galliarum. Fortè iraſcantur Franci noſtris relictum alienæ legis commercium; ſed iraſci deſinant: lex illa eſt nimirum, quæ Maieſtati Principum addictiſsima, ſubditorum mores componit ad fidem, & parendi

ingenium, publicos hostes habet contumaces in Principem, omniáque armat in eorum debitam pœnam. Hâc lege instituti Prouinciales, antiqui, & constantis in Reges studij, & venerationis laude se commendarunt. Hâc lege Ecclesiam & Regnum pari religione coluerunt. Gratulatur LVDOVICI IVSTI *victorijs Lex Romana, per eas à Gothorum prole secura, horrescit infandum Gothorum nomen, memor periculi à veteri hoste subiti: hæret gratissima recordatio, Clodouei munere diuisi penè cum ipsa Galliarũ imperij, meminit se matrẽ omnium legum diuinâ Ludouici P. voce pronuntiatam, & per longas ætates quasi Regum vernaculam in pulcherrima Galliarum parte (& Romanis ipsis Italiâ veriùs quàm Prouinciâ) excultam. Nunc tot beneficia quì penset perennibus scilicet Prouincialium votis* LVDOVICI *salutem fulcit, adoreas plausu prosequitur, & sui quondam numinis solium, Romanum ei optat Imperium.*

11. Iulij 1641.



RERVM AQVITANICARVM LIBER PRIMVS.

PROOEMIVM.



QVITANIAM penè Aquitanis ignotam, è latebris eruere: & pulcherrimam olim orbis Romani, hodiéque Francici Prouinciam ſitu & tenebris æui obſitam, ſuæ luci reſtituere operæpretium eſt. Dignum ſanè Aquitano conſilium; quem enim parentibus cultum & honorem, eundem patriæ vt matri & altrici debemus. Sed arduum & difficile negotium, tòt ætatum ruinas inſtaurare. Notum eſt quot clades paſſa ſit Aquitania, primùm Romanorum armis ſubacta; inclinante Imperio, Vandalorum præda facta; tum Gothis ab Honorio tradita, quos non modò veræ Religionis, & patriæ libertatis, ſed & librorum, velut Romanorum numinum infenſiſſimos hoſtes experta eſt: à Gothis Francorum armis vindicata ob crebras Regni diuiſiones variè iactata, nec non ſæuis Saracenorum & Normannorum excurſionibus penè tota confla-

grauit. Diutinis Anglorum bellis, & ciuili Hæreticorum tumultu recruduit antiquum vulnus. Triſtes adhuc iacent tot Vrbium & Cœnobiorum reliquiæ, dolenda inter hæc mala veterum monumentorum iactura, quibus deſtituti verâ temporum face caremus, & paſſim cum fabellis velut cum laruis pugnare nobis neceſſe eſt. Feliciùs aliæ pleræque Galliarum Prouinciæ ſedulos rerum ſuarum indagatores nactæ ſunt: ſola Aquitania vtcumque ſummis ingenijs fecunda, inculta & ſqualida iacuit. Vnus eſt ex Antiquis, qui iam diu lucem deſiderat, Ademarus Engoliſmenſis Monachus, qui Ducum Aquitaniæ res geſtas vſque ad annum milleſimum & circiter trigeſimum exegit. Autor ſanè non contemnendus; (ac ingratus ſim ſi taceam hunc mille votis expetitum tandem in manus meas perueniſſe, beneficio Clariſſimi viri D. Puteani, & gratiâ Illuſtriſſimi viri D. CAROLI DE MONTCHAL Archiepiſcopi Toloſani, qui virtutis & litterarum æquè ac ſacerdotij apicem tenet:) ſed is veterem Aquitaniam non attigit. Memoratur & Saxoni Grammatico, Dudo rerum Aquitanicarum ſcriptor: ſed alium non nouimus id nominis autorem, præter eum qui de rebus Normannicis ſcripſit: è recentioribus Bochetius & Haius vernaculi ſcriptores hanc operam condixerunt, ſed ſatis ſupinè & negligenter. Vnus me diutiùs ſuſpenſum habuit Ioannes Belius, quem ſine laude nominare non poſſum, verùm is etiam vetere Aquitaniam omiſit. Ego fortè audacior quàm par ſit, patriam ornandi ſtudio, cum his qui antè me ſcripſere, contendo. Sed pulcherrimum certamen, quod haud liuor, at honeſta patriæ illuſtrandæ æmulatio mouet, nec inane laboris

Lib. 1. hiſt. Dan. init.

præmium testatus amor in patriam. Tu Sanctissime Martialis, Aquitaniæ præsentissimum numen, qui veritatis Euangelicæ luce hanc Prouinciam primus donasti, historicæ rerum Aquitanicarum veritati inquirendæ nouum sydus affulge; imparem tui Apostolatus præconem cælesti spiritu foue, téque instituti Operis auspicem exhibere non dedignare.

Capvt Primvm.

Gallia vniuersa olim Celtica. Aquitania tertia Galliæ pars. Aquitaniæ situs. Aquitania Aremorica dicta. Aquitaniæ etymon. A quo tempore Guienna dicta.

Gallia vniuersa, quà ad Pyrenæum montem patet, primùm à Græcis, vel indigenis ipsis Celtica dicta. Strabo: ταῦτα μὲν ὑπὲρ τῶν νεμομένων τὴν ναρβωνῖτιν ἐπικράτειαν λέγομεν, οὓς οἱ πρότερον Κέλτας ὠνόμαζον, ἀπὸ τούτων δ' οἶμαι καὶ τοὺς σύμπαντας γαλάτας Κελτοὺς ὑπὸ τῶν ἑλλήνων προσαγορευθῆναι. *Hæc diximus de Gallis, qui Narbonensem Prouinciam incolunt, qui quondam Celtæ appellabantur, & arbitror ab his esse à Græcis nomen Celtarum vniuersis Galatis seu Gallis inditum.* Appianus de Pyrenæo monte: οἰκοῦσι δ' αὐτοῦ πρὸς μὲν ἕω Κελτοὶ ὅσοι γαλάται τε καὶ γάλλοι νῦν προσαγορεύονται, πρὸς δὲ δύσεων ἴβηρές τε καὶ Κελτίβηρες: *eius partem quæ ad Auroram est incolunt Celtæ, qui Galatæ & Galli cognominantur, quæ occasum spectat Celtiberi.* Eadem verò posteriùs Galliæ

Lib. 4. Geograph.

Lib. de bell. Hispan.

In Atticis. nomen accepit. Pausanias: *ὄψε δὲ πότε αὐτοὺς καλεῖσθαι γαλάτας ἐξενίκησε, κέλτοι γὰρ καλά τε σφᾶς τὸ ἀρχαῖον καὶ παρὰ τοῖς ἄλλοις ὠνομάζοντο. Verùm vt Galli appellarentur, non nisi serò vsus obtinuit, Celtas enim cùm ipsi se antiquitùs, tum alij eos quoque nominarunt.* Vnde Celticæ nomine tertiæ partis Galliarum proprio facto, quos nostri Celtas, Romani Gallos dixerunt. Iul. Cæsar: *Gallia est omnis diuisa in tres partes, quarum vnam incolunt Belgæ, aliam Aquitani, tertiam qui ipsorum linguâ Celtæ, nostrâ,* inquit, *Galli appellantur.* Nempe Cæsar Galliam in tres partes diuisit, Aquitaniam quæ à Pyrenæo monte ad Garumnam vsque; Celticam, quæ ad Sequanam; Belgicam, quæ à Sequana ad Rhenum pertinet. Testis ipse Cæsar: *Gallos, ab Aquitanis Garumna flumen, à Belgis Matrona, & Sequana diuidit.* & paulò pòst: *Aquitania à Garumna flumine ad Pyrenæos montes, & eam partem Oceani quæ ad Hispaniam pertinet, spectat inter Occasum Solis & Septentriones.* Hanc diuisionem secutus Mela: *Nam à Pyrenæo ad Garumnam Aquitania, ab eo ad Sequanam, Celtæ; inde ad Rhenum pertinent Belgæ.* nec non Plinius: *Gallia omnis Comata vno nomine appellata, in tria populorum genera diuiditur, amnibus maximè distincta. à Scalde ad Sequanam, Belgica; ab eo ad Garumnam Celtica, eadémque Lugdunensis; inde ad Pyrenæi montis excursum, Aquitania.* Augustus rerum potitus Galliam in quatuor partes diuisit, Narbonensem, Aquitaniam, Celticam, seu Lugdunensem, & Belgicam. Strabo: ὁ δὲ σεβαστὸς καῖσαρ τετραχῆ διελὼν τοὺς μὲν Κέλτας τῆς Ναρβωνίτιδος ἐπαρχίας ἀπέφηνεν Ἀκυϊτανοὺς δ᾽ ὥσπερ κἀκεῖνος, προσέθηκε δὲ ἐπαρχας καὶ δέκα ἔθνη τῶν μεταξὺ τοῦ γαροῦνα, καὶ τοῦ λίγυρος ποταμοῦ νεμομένων, τὴν δὲ λοιπὴν διελὼν δέχα, τὴν μὲν λουγδούνῳ

Lib. 1. de Bell. Gall.

Eod. lib. de Bell. Gall.

Lib. 3. de situ orbis c. 1.

Lib. 4. cap. 17.

Lib. 4. init.

περισσώερος μέχρι τῶν ἄνω μερῶν τοῦ ῥήνου, τὴν δὲ τοῖς βέλγαις: *Augustus Cæsar in quatuor partes Galliam diuisit, ita vt Celtas Narbonensi Prouinciæ attribueret; Aquitanos eosdem cum Iulio faceret, iisque auctis decem alias gentes intrà Garumnam, & Ligerim habitantes, reliquum in duas partes tribueret, vnam Lugduno adiungeret vsque ad superiora Rheni, alteram Belgis.* Huiusque diuisionis consectaneos inuenio Ammianum, Orosium, Æthicum, & Othonem Frisingensem. Aquitania autē Celtarum linguâ, Aremorica dicta. Plinius: *Inde ad Pyrenæi montis excursum Aquitania, Aremorica antè dicta.* Inde, scilicet quòd ab occasu Oceano obiaceat. Ciuitates enim Galliæ quæ Oceanū attingunt Armoricas Gallorum consuetudine appellari constat. Cæsar: *Vniuersis ciuitatibus, quæ Oceanum attingunt, quæ eorum* (Gallorum) *consuetudine Armoricæ appellantur.* Idémque alio loco: *Cæteraque Ciuitates positæ in vltimis Galliæ finibus Oceano coniunctæ, quæ Armoricæ appellantur.* Et Henricus Altissiodorensis.

Ammian. lib. 15. Oros. lib. 1. cap. 2. Otho Frising. lib. 6. Chr. c. 30. Plin. lib. 4. cap. 17. Lib 7. de Bell. Gall. cap. 14. Lib. 8. c. 5. Lib. 5. vit. S. German.

Gens inter geminos notissima clauditur amnes
Armoricana priùs veteri cognomine dicta.

Armor enim ad mare, vel supra mare situm significat: ex eo fortè posteriores, auiti idiomatis memores Lemouicum, quod est Aquitaniæ primæ oppidum, etsi in interiori eius parte, in Armoricana regione situm dixêre. Audoënus Rothomagensis, scriptor vitæ S. Eligij Nouiomensis Episcopi: *Igitur Eligius Lemouicæ Galliarum vrbe, quæ ab Oceano Britannico ferè ducentorum millium spatio seiungitur, in villa Catalacensi, quæ à prædicta vrbe sex circiter millibus, ad Septentrionalem plagam vergit, oriundus fuit. Est itaque præfata ciuitas partibus sita Armoricanis in vlteriore Gallia, primáque Aquitania, quæ ad plagam respicit Occiden-*

Lib 1. vit. S. Eligij c. 1. apud Sur. to. 6. dec. 1.

Lib. 1. hist. Rem. cap. 3. *talem*: Et Flodoardus: *Huius Ægidij* (is erat Remensis Episcopus) *tempore sanctus Domini Basolus ex territorio Lemouicino, regione Armoricana vili prosapiâ oriundus, à partibus Aquitaniæ patrocinia Beatissimi Remigij desiderabiliter appetens, Remensem deuenit ad vrbem.* Aquitaniæ vnde nomen manârit, variæ sunt; sed non longè discrepantes sententiæ. Veteribus Aquitaniæ nomen deductum ab Aquitanis peculiaribus Aquitaniæ populis. Plinius:

Lib. 4. c. 19. *Aquitanicæ sunt Ambilatri, Anagnutes Pictones, Santones, Liberi, Sesignani cognomine Vbisci, Aquitani, vnde nomen Prouinciæ.* Et hos non alios esse, quàm quos vulgò Aquenses appellamus, iam pridem obseruauit Elias Vinetus, Autore vsus Ausonio; qui stirpis Aquitanæ dixit Paulini matrem, quæ Aquensis fuisset, id est oriunda Aquis Au-

Parental. 14 gustis. Non desunt, qui Aquitaniæ nomen repetant ab obliquis aquis Ligeris fluminis, quibus in orbem

In Glossar. ferè cingitur. Inter quos Papias: *Aquitania regio; ab obliquis aquis Ligeris dicta.* Harigerus Abbas, & Notgerus, scriptores vitæ S. Remacli iisdem verbis: *Est autem Aquitania, quam quidam autumant tertiam ferè partem Galliarum, ab obliquis aquis Ligeris fluminis nuncupata.* Sed ratio temporum hanc sententiam damnat; nam Aquitaniæ nomē priùs natum, & vsu celebratum scimus, quàm Ligeris Aquitaniæ terminus esset, quod non ante Augustum. Media, & secutior sententia est, Aquitaniam, ex quo nota & frequentata Romanis fuit, amisso nomine Armoricæ pari significatione Aquitaniam dictam, ab aquis, quòd Oceano maxima ex parte coniuncta sit, vel quòd riuis & fluminibus abundet. Ita rectè Aymoinus

Harig. in gest. Pont. Tungrens. cap. 48. Notgerus in vit. S. Remacli apud Sur. tom. 5. Sept. 3.

Lib. 1. hist. Fr. cap. 4. Monachus: *Denique Aquitania dicta est, eò quòd præ ceteris Prouinciis fontibus, fluminibusque exuberet.* Aquitania suum

nomen constantissimè retinuit ad postrema vsque tempora. Aymoini æuo, illibatum permanebat Aquitaniæ nomen : *Aquitania quoque* ; inquit ille , *auitum non est dignata nomen mutare.* Posteriores, Guiennam vocitârunt, haud dubiè à vernaculo *Aigue*, quòd aquam reddit, elisa priore syllabâ, quod satis familiare est Francis in nominibus propriis, quæ incipiunt à vocali, ob vitandam grauitatem coitûs alterius vocalis articuli *le*, *la*. sed id nominis vix reperias ante D. Ludouici tempora. Nonnulli è recentioribus Guiennæ nomen quæsierũt, à Guillelmi nomine , quod fuit gentilitium Ducum Aquitanorum , quasi Guielmiam dixeris , sed nimiùm stultè : quæ enim analogia , seu proportio harum vocum ? Præterea Guiennæ nomen nusquàm auditum Guillelmorum Aquitanorum Ducum æuo ; quorũ gratia & auctoritas efficere potuisset vt Aquitania suorum Principum nomen affectaret : nec altiùs repeti potest, quàm à D. Ludouico, quo tempore obsoleta iam & ferè damnata erat priscorum Ducum memoria, restitutáque Regni majestas. Eod. loc.

Cap. II.

Aquitaniæ termini. Aquitania ab Augusto ampliata vsque ad Ligerim.

TEMPORIBVS Iulij Cæsaris Aquitania angustioribus terminis coërcebatur ; ac veriùs prouincia, quàm tertia Galliarum pars videbatur. Nec enim latiùs quàm à Pyrenæo monte ad Garumnam vsque patebat. Augustus profectus in Galliam rerum

nouarũ cõpeſcendarũ gratiâ Aquitaniã ampliauit,eiúſque fines porrexit ad Ligerim,Celticæ dãno, vt ex Strabone obſeruatũ;eo fortè cõſilio vt Galliarũ Prouincias meliorẽ in formã redigeret;aut veriùs vt Celticã partis abſciſſione debilitatam faciliùs in obſequio contineret, minùs ſuſpecto Aquitaniæ incremẽto,quòd Narbonẽſi Prouinciæ cõiuncta,non difficulter armis coërceri poſſet,ſi quando tumultum cieret. Aquitania hoc modo ab Auguſto producta vſq; ad Ligerim,terminos habuit ab Occaſu Oceanum, qui Aquitanicus ſinus dicitur,& Pyrenæum ſaltum,à Septentrione Ligerim, & à meridie Narbonensẽ Prouinciam: præter Ptolemęũ Æthicus & Oroſius ijſdẽ verbis: *Aquitania Prouincia obliquo curſu Ligeris fluminis,qui ex plurima parte terminus eius eſt, in orbem agitur; hæc à Circio Oceanum habet qui Aquitanicus ſinus dicitur, ab Occaſu Hiſpanias, à Septentrione Lugdunenſem, ab Euro & meridie Narbonenſem Prouinciam contingit.* Et hæc Aquitaniæ diuiſio inconcuſſa ſtetit etiam ſub Francorum Imperio. Aymoinus Monachus: *Aquitania, vt Plinio, atque Iulio videtur, à Garumna flumine ad Pyrenæos montes, & ad eam partem quæ eſt ad Hiſpaniam, pertinet. Spectat inter occaſum Solis & Septentrionem; plus tamen hoc tempore determinatio Oroſij ſuperiùs à nobis declarata tenetur, ſecundùm quam traditionem in Aquitania continentur vrbes egregiæ Narbona, Aruernus, quæ nunc Clarusmons vocatur, Cadurx, Toloſa, Gaualis, Rotenus, Lemouix, Petragorica, Pictauis, Burdegalis, Sanctona, & Engoliſma.* Aquitaniæ inquam à meridie limes poſitus Narbonenſis Prouincia. Vnde Toloſani Tectoſages qui ſunt Narbonenſis, Plinio dicuntur *Aquitaniæ contermini.* Aquitania autem à Narbonenſi diuiditur mõte Cemmeno,ſiue Cebenna.

Ptolem. lib. 2. c. 7.
Oroſ. lib. 1. c. 2.
Lib. 1. hiſt. Franc. c. 4.
Lib. 4. c. 4
Lib. 4. adde Plin. lib. 4. c 4.

Strabo: Ἀκυϊτανοὺς μὲν οὖν καὶ Κέλτας ἔλεγον, τοὺς πρὸς τῇ πυρήνῃ, διωρισμένους τῷ Κεμμένῳ ὄρει. *Aquitanos & Celtas vocant eos qui Pyrenæ sunt proximi, diuisi monte Cemmeno.* Idem paulò pòst: Ἀκυϊτανοὺς μὲν τοίνυν ἔλεγον τοὺς τὰ βόρεια τῆς πυρήνης μέρη κατέχοντας, καὶ τῆς Κεμμένης, μέχρι πρὸς τὸν ὠκεανὸν, τὰ ἐντὸς γαρούνα ποταμοῦ: *Aquitanos ergo dicunt eos, qui Septentrionalia Pyrenæ & Cemmeni accolunt vsque ad Oceanum intrà Garumnam fluuium.* Et idem rursus: ἔστι δὲ ἔθνη τῶν Ἀκυϊτανῶν πλείω μὲν τῶν εἴκοσι, μικρὰ δὲ καὶ ἄδοξα, τὰ πολλὰ μὲν παρωκεανιτικὰ, τὰ δ᾽ εἰς τὴν μεσόγαιαν, καὶ τὰ ἄκρα τῶν Κεμμένων ὀρῶν μέχρι Τεκτοσάγων ἀνέχοντα. *Gentes Aquitanorum ſunt plures viginti, exiguæ tamen & obſcuræ, & ferè ad Oceanum accolentes: quædam in continente & ad extrema Cemmenorum montium vſque ad Tectoſages.* Inde Cebennis montibus premi Aquitaniam dixit Auſonius, Lib 4. In clar. vrbib. 12.

Interiúſque premunt Aquitanica rura Cebennæ.

& Heluios, qui ſunt Narbonenſis, Cebennâ monte ab Aruernis diſtinctos ponit Cæſar, horum locorum peritiſſimus, quos victorijs ſuis perluſtrauit: *In Heluios proficiſcitur,* de ſe loquens, *etſi mons Cebenna, qui Aruernos ab Heluiis diſcludit, duriſſimo tempore anni, altiſſimâ niue iter impediebat.* De Bell. Gall. lib. 7.





Cap. III.

Aquitania diuisa in primam, secundam, & tertiam. Sectio Prouinciarum à quo instituta, ab Adriano, an à Constantino? Sectionis Prouinciarum ratio.



PRIMORDIO ex Augusti ordinatione, Prouinciæ vniuersæ vno themate, vnâque præfecturâ regebantur: posteà maiores prouinciæ diuisæ, vt infirmiores & pacatiores efficerentur. Hâc rerum vice, Aquitania quæ primùm vna fuerat, diuisa in primam, secundam, & tertiam, quæ Nouempopulania dicitur. Sed quo tempore id factum sit, non satis liquet, Adrianum Imp. diuisionem prouinciarum ab Augusto institutam, & rationem administrandi imperij immutasse coniectat Onufrius Panuinius, adductus illo loco Aurelij Victoris: *Officia sanè publica & Palatina, nec non militiæ in eam formam Hadrianus statuit, quæ paucis per Constantinum immutatis hodie perseuerant.* His adde nonnulla argumenta, quibus coniecturam vir doctus iuuare potuit. Primum est, quòd temporibus Antonini diuisas fuisse prouincias vt Germaniam & Mysiam obseruat Macer I.C. qui sub Antonino vixit: *Si eadem prouincia*, inquit, *posteà diuisa sub duobus præsidibus constituta est, velut Germania, Mysia, ex altera ortus, in altera adsidebit: nec videtur in sua prouincia adsedisse.* Ex huiusmodi prouinciarum sectione ius inoleuit, vt ortus in vna, in altera Præsidi assidere non vetarêtur: nec non illud, vt prohibitus postulare in vna

Lib. de Imper. Rom.

l. 1. ff. de off. Adsess.

l. pen. ff. de postuland.

prouincia, in alia non prohiberetur, licèt eiusdem nominis esset. Sed & diuisis Prouincijs Præsides qui vniuersas, id est illibatas & integras Prouincias regebant, longè dignitate & imperio præstiterunt aliis, qui sectas Prouincias regebant, ius enim gladij, & in metallum dandi habuere. Vlpianus: *Qui vniuersas Prouincias regũt, ius gladij habent, & in metallum dandi potestas eis permissa est.* Et ij sunt nî fallor quos Dio sophista vocat *μείζους ἡγεμόνας maiores Præsides.* At rectores sectarum Prouinciarum ius gladij plerumque non habuêre, nec aliam maiorem animaduersionem, de quibus accipienda Cõstitutio Antonini P. Secundum peto, ex eo, quòd diuisas fuisse Prouincias temporibus Alexandri Seueri, auctor est Dio Cassius eius synchronos: Ταῦτα δ' οὕτω κατέλεξα, ὅτι νῦν χωρὶς ἕκαστον αὐτῶν ἡγεμονεύεται, ἐπεὶ τό γε ἀρχαῖον, καὶ ἐπὶ πολὺ καὶ σύνδυο καὶ σύντρια τὰ ἔθνη ἅμα ἤρχετο: *Recensui autem Prouincias hoc modo; quoniam nunc earum quæuis suum habet peculiarem præfectũ, quum antiquitùs binis, vel ternis singuli præfuerint.* Tertium, ex Itinerario Antonini nomine inscripto, in quo passim memorantur scissæ Prouinciæ, & inter has Aquitania diuisa in primam, secundam, & tertiam, quæ Nouempopulania dicitur, velut truncum & imbelle cadauer iacet: *Aquitania I. in qua est Bituricum. Aquitania II. in qua est Burdigala. Nouempopulania in qua est Aussua*; Si enim vulgatæ autoris inscriptioni fides, hanc diuisionẽ Prouinciarum non ab alio, quàm ab Adriano proximo decessore Antonini factam credere par est, nec ab eius ingenio aliena fuerit hæc rerum nouatio: rerum enim nouarum maximè studiosus fuit, ex Spartiano & aliis. Alij verò huiusmodi diuisionem Prouinciarũ, Constã-

l. illicitas §. qui vniuersas. ff. de Præsid.

Orat. 46.

l. 4. C. de locat.

Lib. 53.

In vita Adrian.

tino Imp. acceptam ferunt. Mouentur ex eo quòd Cõstantinum Imperij administrandi rationem immutasse auctor est Zozimus, & quòd scriptores quotquot eam agnouerunt, Constantino ætate posthumi sunt. Duas Aquitanias posuit Festus Rufus in Breuiario, quod Valenti dicauit: *Sunt Galliæ cum Aquitania & Britanniis Prouinciæ decem & octo, Alpes Maritimæ, Prouincia Viennensis, Narbonensis, Nouempopulana, Aquitaniæ duæ, Alpes Graiæ, Maxima Sequanorum, Germaniæ duæ, Belgicæ duæ.* Notitia Prouinciarum Honorij temporibus edita: *Galliæ Prouinciæ XVII. Viennensis, Narbonensis prima, Narbonensis secunda, Aquitania prima, Aquitania secunda, Nouempopulana, &c.* Notitia Imperij ijsdem temporibus promulgata: *Prouinciæ Galliarum decem septem, Viennensis, Lugdunensis prima, Germania prima, Germania secunda, Belgica prima, Belgica secunda, Alpes Maritimæ, Alpes Peninæ, & Graiæ. Aquitania prima, Aquitania secunda, Nouempopuli.* & alio loco: *Præsides Alpium Maritimarum, Alpium Penninarum & Graiarum, Maximæ Sequanorum, Aquitanicæ primæ, Aquitanicæ secundæ, Nouempopulorum.* Ego sanè an Aquitaniæ partitio Constantini opus sit valdè dubito; ante Constantinum enim plures Prouincias diuisas constat, vt Mœsiam, Germaniam, & alias, vnde Aquitania pari sorte vti potuit pro ratione temporum. Sed etiam post Adrianum mutationem huiusmodi contigisse probabile est: nam in libris nostris Adrianus rescripsit Saluio (is est Saluius Iulianus I. C. auctor Edicti perpetui) legato, id est Præsidi Aquitaniæ, abscisè & sine vlla distinctione primæ & secundæ quam verisimiliter non omisisset, si tum nota fuisset: & in inscriptione Gruteri I. Iulianus inscribitur Præses

Lib. 2.

De dispos. præfect. pr. Galliæ.

de disp. Vic. 7. Prouinc.

l. milites. ff. de Custod. reor.

pag. 422. inscr. 7.

Prouinciæ Aquitaniæ, sed & Ptolemæus, qui sub Adriano vixit, vnam & simplicem Aquitaniam nouit; Lib. 2. c. 7. qualis ab Augusto constituta fuerat: ἡ Κελτογαλατία διῄρηται εἰς ἐπαρχίας δ' ἀκυϊτανίαν, καὶ λουγδουνησίαν, καὶ βελγικὴν, καὶ ναρβωνησίαν, ἡ μὲν οὖν ἀκυϊτανία περιορίζεται ἀπὸ μὲν δυσμῶν τῷ ἀκυιτανίῳ ὠκεανῷ. *Celtogalatia in quatuor diuisa est Prouincias, Aquitaniam, Lugdunensem, Belgicam, & Narbonensem, Aquitania fines habet ab Occidente Aquitanicum Oceanum.* Et Tetricus Tyrannus Aquitaniæ Præsidatū gessisse memoratur Eutropio & Aurelio Victori, cùm à militibus Imperator electus, & Burdegalæ purpuram suscepit. A Constantino quidem crebriores extiterūt Prouinciarum diuisiones, semel diuiso Imperio vana ambitio principum sæpiùs Prouincias scidit, vt Imperij labem & iacturam Prouinciarum auctiore numero, rémque fuco & fictione supplerent; vel etiam vt amplior esset gratiæ locus, & plures præfecturis demerere valerent.


Claudianus in Eutropium:

> -------- *Ne quid tamen orbe reciso*
> *Venditor amittat, Prouincia quæque superstes*
> *Diuiditur: geminúmque duplex passura tribunal*
> *Cogitur alterius pretium sarcire perempta.*

Postquā verò Prouinciæ principū libidine in plures diuidi cœpêre manu iniectâ tentatū, vt diuisa Prouincia in duas, in eadem duæ Metropolès excitarentur, quod vetuêre Patres Concilij Chalcedonēsis, & Innocent: I. Can. 12. in epist. ad Alexandrum Episcopum. Hoc facinore Va- Epist. 18. c. lens Cappadociam diuisit in duas, Cæsariensem & Tya- peruenit. 101. dist. nensem, vt Basilio Cæsariensi Metropolitano acerbissimo Arrianorum hosti Tyanensem Metropolitanum


In orat. fu. neb. patris. In vit. Naz. obijceret: testes sunt Gregorius Nazianzenus & Gregorius Presbyter, quod ipse Basilius in Reipublicæ necem vergere probat in epistola ad Martinianum, cùm Epist. 379. ait diuisionem Prouinciæ velut sectionem bouis vel equi, non duos constituere, sed vnum illum perimere, nec hâc ratione augeri modum vectigalium, cùm non numero, sed viribus res censeantur. Aquitania, vt ad nos redeamus, in Gothorum ditionem redacta, etiam tripartita permansit. Sidonius ad Agroëtium Senonensem Lib. 7. ep. 5. Episcopum, de electione Metropolitani Bituricensis: *Iis accedit, quòd de vrbibus Aquitanicæ primæ solum oppidum Aruernum Romanis reliquum partibus bella fecerint.* Lib. 2. hist. cap. 2. Et Gregorius Turonensis vbi de persecutione Gothica in Aquitanos: *Maximè*, inquit, *tunc Nouempopulanæ, geminæque Aquitaniæ* (sic enim restituendum, pro geminæque Germaniæ) *vrbes, ab hac maximè tempestate depopulatæ sunt.* Non desunt tamen scriptores, qui post Constantinum, florente in Gallijs Imperio, Aquitaniam primam & secundam Aquitanicæ nomine comprehenderunt, & Nouempopulaniam, quæ est tertia Aquitania, Init. lib. de Synod. quasi Prouinciam per se posuerunt. Hilarius Pictauiensis: *Dominis, & beatissimis Fratribus & Coëpiscopis Prouinciæ Germaniæ primæ, & Germaniæ secundæ, & primæ Belgicæ, & Belgicæ secundæ, & Lugdunensis primæ, & Lugdunensis secundæ, & Prouinciæ Aquitanicæ, & Prouinciæ Nouæpopulaniæ, & ex Narbonensi plebibus & clericis Tolosanis, &c.* Et Lib. 15. Marcellinus: *In Aquitania quæ Pyrenæos montes, & eam partem spectat Oceani, quæ pertinet ad Hispanos prima Prouincia est Aquitanica, amplitudine ciuitatum admodum culta; omissis alijs multis Burdegala & Aruerni excellunt, & Santones & Pictauij; Nouempopulos Ausci commendant, & Vasatæ.*

& in inscriptione Gruteri de Saturnino Secundo, qui pag. 465. floruit sub Valente & Valentiniano: *Saturnino secundo* inscript. 8. *V. C. Præsidi Prouinciæ Aquitanicæ*, &c.



Cap. IV.

Bituriges. Bituriga Metropolis Aquitaniæ. Bituricensis pagi insigniora oppida. Nouiodunum, Argentomagum, Exoldunum. Vicus Dolensis: Castrum Radulphi. Sancerrium, Virsonis castrum. Magdunum.



ROVINCIA Aquitania prima continet octo Ciuitates, quæ hoc ordine describuntur in Itinerario Antonini & Notitia Prouinciarum, Metropolis Ciuitas Bituricum, Ciu. Aruernorum, Ciu. Rotenorum, Ciu. Albigensium, Ciu. Cadurcorum. Ciu. Lemouicum, Ciu. Gabalum, Ciu. Vellaunorum. Non temerè obtigit is ordo ciuitatum, sed consultò pro ratione dignitatis cuiusque. Hoc argumento dignitatem Catalaunensis Ecclesiæ tuetur Fulbertus, quòd in Notitia Belgicæ secundæ ipsa ciuitas tertium locum teneret: *Sed ne ciuitati vel Ecclesiæ Ca-* Ep. 78. *talaunensi suum derogetis honorem, meminisse vos decet, quòd in antiqua descriptione, Prouinciæ Belgicæ secundæ, ipsa ciuitas à Remensi tertium locum habeat.* Et Primatum Lugdunensis Ecclesiæ in Senonensem, non aliunde quàm ex serie ciuitatum quæ in Notitia Prouinciarum se habet, colligit Iuo Carnotensis in Epistola ad Richerium Archie- Ep. 50. piscopum Senonensem: *De veteri querela, quam habet aduersùs Senonensem Ecclesiam Lugdunensis Ecclesia, laudo, &*

consulo, vt si qua habetis priuilegia Apostolica manu roborata: vel scripta authentica, quæ primatum Lugdunensis *Ecclesiæ, quem aliquando ex Catalogis ciuitatum conijcimus extitisse, ab Ecclesia vestra remoueant ea confratribus nostris ostendatis.* Aquitaniæ primæ Metropolis Ciuitas Biturigum, Bituriges alij Cubi, quorum caput Auaricum; alij Viuisci quorum caput Burdegala, de Cubis Plinius: *Hinc Bituriges liberi, qui Cubi appellantur.* Strabo: ϗ Βιτȣ́ριγες οἱ κȣ́βοι καλȣ́μϐροι: *& Bituriges cognomento Cubi.* & Ptolemæus, ϗ τῆς μετὰ τὸν λίγειρα ποταμὸν βιτȣ́ριγες οἱ Κȣ̃βοι, ϗ πόλις Ἀυάρικον: *Participant & post Ligerim fluuium Bituriges Cubi, & Ciuitas Auaricum.* Biturigum caput Auaricum atque adeò pulcherrima penè totius Galliæ vrbs, Ideò imminente Cæsariana obsidione, & re in concilium deductâ, an succendi, an defendi præstaret, vicêre Bituriges, & tuendam recepêre à Vercingetorige. Cæsar: *Deliberatur de Auarico in communi concilio incendi placeret an defendi; procumbunt Gallis omnibus ad pedes Bituriges, ne pulcherrimam propè totius Galliæ vrbem, quæ & præsidio & ornamento sit Ciuitati suis manibus succendere cogerentur.* Posterioribus temporibus Auaricum Pagi nomen accepit, Biturigas pro Ciuitate ipsa dixit Sidonius. *Priùs Bituriges noueram, quàm Biturigas.* Et Gregorius Turonensis: *Quidam Biturigas ciuitatem adgressus.* Et paulò pòst: *Hæc est nunc Ecclesia apud Biturigas vrbem prima.* Biturigam idem Turonensis. *Bituriga verò vrbs primùm à Sancto Vrsino, qui à Discipulis Apostolorum Episcopus ordinatus in Gallias destinatus est, verbum salutis accepit.* Bituricam idem etiam, *Britanni de Biturica à Gothis expulsi sunt.* Bituriam Guillelmus Brito.

Lib. 4. c. 17. Lib. 4. Lib. 2. c. 7. Lib. 7. de Bell. Gall. In concione post ep. 9. lib. 7. Lib. 1. hist. cap. 31. Lib. de glo. Confess. c. 80. Lib. 2. c. 18. Lib. 1. Philippid.

Prædia Bituriæ celebrem parientia Bacchum.

Aquitaniæ primæ Metropolis Ciuitas Biturigum. Nec fero lapsum Marcellini, qui Biturigas locat in prima Lugdunensi: *Lugdunensem primam Lugdunus ornat, & Cabillones & Senones, & Biturigæ*, pluráque de Bituricis vbi de Primatu Bituricensi. Præter Auaricum, seu Biturigas sunt in Bituricensi pago alia oppida; & castra non ignobilia, quæ veterum memoriâ commendantur. Inter cetera Nouiodunum Auarico proximum; de quo Cæsar: *Ille oppidum Biturigum positum in via Nouiodunum oppugnare instituerat*, hodie *Neuuy*, Argantomagum, in Itinerario Antonini *Argantomagum, Ernodorum, Auaricum.* & in Annali Pipini: *Pipinus Rex propter conficiendum Aquitanicum bellum conuentu in Aurelianis habito, in Aquitaniam profectus, destructum à Vvaifario Argentomagum castrum reparat, dispositóque, & ibi, & in Biturica Ciuitate Francorum præsidio regreditur.* Reginoni Argentoniū: *Et restaurauit Argentonium castrum, quod antea à Vvaifario fuerat destructum*, nostris, *Argenton.* Exoldunum, siue Issoldunum oppidum in finibus Biturigum. Robertus Montensis: *Issoldunense etiam castrum cum omnibus pertinétiis suis* celebris locus, pactione pacis habitâ inter Philippum Augustum, & Ioannem Regem Anglorum, quam dedit Quercetanus, & vbertate soli, quam carmine commendat Guillelmus Brito,

Lib. 15.

Lib. 7. de Bell. Gall.

Ann. Chr. 776.

Lib. 2. Chr.

Ad an. 1177.

In calce hist. Normannor.

Lib. 2. Philipp.

Biturica cursu facili digressus ab vrbe
Radulios penetrat fines, & nobile castrum
Vrselloduni sibi subdit in impete primo
Cum patria tota tam diuite, támque potenti
Vt sibi sufficiat, nec sit mendica bonorum,
Multa quibus regio se lamentatur egere

nomen accepit. Pausanias: ὀψὲ δὲ πότε αὐτοὺς καλεῖσθαι γαλάτας ἐξενίκησε, κέλτοι γὰρ κατά τε σφᾶς τὸ ἀρχαῖον καὶ παρὰ τοῖς ἄλλοις ὠνομάζοντο. *Verùm vt Galli appellarentur, non nisi serò vsus obtinuit, Celtas enim cùm ipsi se antiquitùs, tum alij eos quoque nominarunt.* Vnde Celticæ nomine tertiæ partis Galliarum proprio facto, quos nostri Celtas, Romani Gallos dixerunt. Iul. Cæsar: *Gallia est omnis diuisa in tres partes, quarum vnam incolunt Belgæ, aliam Aquitani, tertiam qui ipsorum linguâ Celtæ, nostrâ,* inquit, *Galli appellantur.* Nempe Cæsar Galliam in tres partes diuisit, Aquitaniam quæ à Pyrenæo monte ad Garumnam vsque; Celticam, quæ ad Sequanam; Belgicam, quæ à Sequana ad Rhenum pertinet. Testis ipse Cæsar: *Gallos, ab Aquitanis Garumna flumen, à Belgis Matrona, & Sequana diuidit.* & paulò pòst: *Aquitania à Garumna flumine ad Pyrenæos montes, & eam partem Oceani quæ ad Hispaniam pertinet, spectat inter Occasum Solis & Septentriones.* Hanc diuisionem secutus Mela: *Nam à Pyrenæo ad Garumnam Aquitania, ab eo ad Sequanam, Celtæ; inde ad Rhenum pertinent Belgæ.* nec non Plinius: *Gallia omnis Comata vno nomine appellata, in tria populorum genera diuiditur, amnibus maximè distincta. à Scalde ad Sequanam, Belgica; ab eo ad Garumnam Celtica, eadémque Lugdunensis; inde ad Pyrenæi montis excursum, Aquitania.* Augustus rerum potitus Galliam in quatuor partes diuisit, Narbonensem, Aquitaniam, Celticam, seu Lugdunensem, & Belgicam. Strabo: ὁ δὲ σεβαστὸς καῖσαρ τετραχῆ διελὼν τοὺς μὲν Κέλτας τῆς Ναρβωνίτιδος ἐπαρχίας ἀπέφηνεν Ἀκυιτανοὺς δ' ὥσπερ κἀκεῖνος, προσέθηκε δὲ ἐπάρας καὶ δέκα ἔθνη τῶν μεταξὺ τοῦ γαροῦνα, καὶ τοῦ λίγυρος ποταμοῦ νεμομένων, τὴν δὲ λοιπὴν διελὼν δέχα, τὴν μὲν λουγδούνῳ

In Atticis.

Lib. 1. de Bell. Gall.

Eod. lib. de Bell. Gall.

Lib. 3. de sit. orbis c. 2.

Lib. 4. cap. 17.

Lib. 4. init.

παρασώζεται μέχρι τῶν ἄνω μερῶν τοῦ ῥήνου, τὴν δὲ τοῖς βέλγαις: *Augustus Cæsar in quatuor partes Galliam diuisit, ita vt Celtas Narbonensi Prouinciæ attribueret; Aquitanos eosdem cum Iulio faceret, iisque auctis decem alias gentes intrà Garumnam, & Ligerim habitantes, reliquum in duas partes tribueret, vnam Lugduno adiungeret vsque ad superiora Rheni, alteram B. lgis.* Huiusque diuisionis consectaneos inuenio Ammianum, Orosium, Æthicum, & Othonem Frisingensem. Aquitania autē Celtarum linguâ, Aremorica dicta. Plinius: *Inde ad Pyrenæi montis excursum Aquitania, Aremorica antè dicta.* Inde, scilicet quòd ab occasu Oceano obiaceat. Ciuitates enim Galliæ quæ Oceanū attingunt Armoricas Gallorum consuetudine appellari constat. Cæsar: *Vniuersis ciuitatibus, quæ Oceanum attingunt, quæ eorum (*Gallorum*) consuetudine Armoricæ appellantur.* Idémque alio loco: *Cæteraque Ciuitates positæ in vltimis Galliæ finibus Oceano coniunctæ, quæ Armoricæ appellantur.* Et Henricus Altissiodorensis.

Ammian. lib. 15.
Oros. lib. 1. cap. 2.
Otho Frising. lib. 6. Chr. c. 30.
Plin. lib. 4. cap. 17.
Lib 7. de Bell. Gall. cap. 14.
Lib. 8. c. 5.
Lib. 5. vit. S. German.

Gens inter geminos notissima clauditur amnes
Armoricana priùs veteri cognomine dicta.

Armor enim ad mare, vel supra mare situm significat: ex eo fortè posteriores, auiti idiomatis memores Lemouicum, quod est Aquitaniæ primæ oppidum, etsi in interiori eius parte, in Armoricana regione situm dixêre. Audoënus Rothomagensis, scriptor vitæ S. Eligij Nouiomensis Episcopi: *Igitur Eligius Lemouicæ Galliarum vrbe, quæ ab Oceano Britannico ferè ducentorum millium spatio seiungitur, in villa Catalacensi, quæ à prædicta vrbe sex circiter millibus, ad Septentrionalem plagam vergit, oriundus fuit. Est itaque præfata ciuitas partibus sita Armoricanis in vlteriore Gallia, primáque Aquitania, quæ ad plagam respicit Occiden-*

Lib 1. vit. S. Eligij c. 1. apud Sur. to. 6. dec. 1.

Lib. 1. hist. Rem. cap. 3. *talem*: Et Flodoardus: *Huius Ægidij* (is erat Remensis Episcopus) *tempore sanctus Domini Basolus ex territorio Lemouicino, regione Armoricana vili prosapiâ oriundus, à partibus Aquitaniæ patrocinia Beatissimi Remigij desiderabiliter appetens, Remensem deuenit ad vrbem.* Aquitaniæ vnde nomen manârit, variæ sunt, sed non longè discrepantes sententiæ. Veteribus Aquitaniæ nomen deductum ab Aquitanis peculiaribus Aquitaniæ populis. Plinius: Lib. 4. c. 19. *Aquitanicæ sunt Ambilatri, Anagnutes Pictones, Santones, Liberi, Sesignani cognomine Vbisci, Aquitani, vnde nomen Prouinciæ.* Et hos non alios esse, quàm quos vulgò Aquenses appellamus, iam pridem obseruauit Elias Vinetus, Auctore visus Ausonio, qui stirpis Aquitanæ dixit Paulini matrem, quæ Aquensis fuisset, id est oriunda Aquis Augustis. Parent. 14 Non desunt, qui Aquitaniæ nomen repetant ab obliquis aquis Ligeris fluminis, quibus in orbem ferè cingitur. In Gloss. Inter quos Papias: *Aquitania regio, ab obliquis aquis Ligeris dicta.* Harig. in gest. Pont. Tungrens. cap. 48. Notgerus in vit. S. Remacli apud Sur. tom. 5. Sept. 3. Harigerus Abbas, & Notgerus, scriptores vitæ S. Remacli ijsdem verbis: *Est autem Aquitania, quam quidam autumant tertiam ferè partem Galliarum, ab obliquis aquis Ligeris fluminis nuncupata.* Sed ratio temporum hanc sententiam damnat; nam Aquitaniæ nomē prius natum, & vsu celebratum scimus, quàm Ligeris Aquitaniæ terminus esset, quod non ante Augustum. Media, & secutior sententia est, Aquitaniam, ex quo nota & frequentata Romanis fuit, amisso nomine Armoricæ pari significatione Aquitaniam dictam, ab aquis, quòd Oceano maxima ex parte coniuncta sit, vel quòd riuis & fluminibus abundet. Ita rectè Aymoinus Lib. 1. hist. Fr. cap. 4. Monachus: *Denique Aquitania dicta est, eò quòd præ ceteris Prouinciis fontibus, fluminibusque exuberet.* Aquitania suum

nomen constantissimè retinuit ad postrema vsque tempora. Aymoini æuo, illibatum permanebat Aquitaniæ nomen : *Aquitania quoque*, inquit ille, *auitum non est dignata nomen mutare.* Posteriores, Guiennam vocitârunt, haud dubiè à vernaculo *Aigue*, quòd aquam reddit, elisa priore syllabâ, quod satis familiare est Francis in nominibus propriis, quæ incipiunt à vocali, ob vitandam grauitatem coitûs alterius vocalis articuli *le*, *la*. sed id nominis vix reperias ante D. Ludouici tempora. Nonnulli è recentioribus Guiennæ nomen quæsierũt, à Guillelmi nomine, quod fuit gentilitium Ducum Aquitanorum, quasi Guielmiam dixeris, sed nimiùm stultè : quæ enim analogia, seu proportio harum vocum? Præterea Guiennæ nomen nusquàm auditum Guillelmorum Aquitanorum Ducum æuo; quorũ gratia & auctoritas efficere potuisset vt Aquitania suorum Principum nomen affectaret: nec altiùs repeti potest, quàm à D. Ludouico, quo tempore obsoleta iam & ferè damnata erat priscorum Ducum memoria, restitutáque Regni majestas. Eod. loc.

Cap. II.

Aquitaniæ termini. Aquitania ab Augusto ampliata vsque ad Ligerim.

Temporibvs Iulij Cæsaris Aquitania angustioribus terminis coërcebatur; ac veriùs prouincia, quàm tertia Galliarum pars videbatur. Nec enim latiùs quàm à Pyrenæo monte ad Garumnam vsque patebat. Augustus profectus in Galliam rerum

nouarũ cõpeſcendarũ gratiâ Aquitaniã ampliauit,eiúſque fines porrexit ad Ligerim,Celticæ dãno, vt ex Strabone obſeruatũ;eo fortè cõſilio vt Galliarũ Prouincias meliorẽ in formã redigeret;aut veriùs vt Celticã partis abſciſſione debilitatam faciliùs in obſequio contineret, minùs ſuſpecto Aquitaniæ incremẽto,quòd Narbonẽſi Prouinciæ cõiuncta,non difficulter armis coërceri poſſet,ſi quando tumultum cieret. Aquitania hoc modo ab Auguſto producta vſq; ad Ligerim,terminos habuit ab Occaſu Oceanum, qui Aquitanicus ſinus dicitur,& Pyrenæum ſaltum,à Septentrione Ligerim, & à meridie Narbonensẽ Prouinciam:præter Ptolemęũ Æthicus &
Ptolem.lib. 2. c. 7. Oroſius ijſdẽ verbis: *Aquitania Prouincia obliquo curſu Li-*
Oroſ. lib. 1. c. 2. *geris fluminis,qui ex plurima parte terminus eius eſt, in orbem agitur; hæc à Circio Oceanum habet qui* Aquitanicus *ſinus dicitur, ab Occaſu Hiſpanias, à Septentrione Lugdunenſem, ab Euro & meridie Narbonenſem Prouinciam contingit.* Et hæc Aquitaniæ diuiſio inconcuſſa ſtetit etiam ſub Francorum Imperio. Aymoinus Monachus: *Aquitania, vt Pli-*
Lib. 1. hiſt. Franc. c. 4. *nio, atque Iulio videtur, à Garumna flumine ad Pyrenæos montes, & ad eam partem quæ eſt ad Hiſpaniam, pertinet. Spectat inter occaſum Solis & Septentrionem; plus tamen hoc tempore determinatio Oroſij ſuperiùs à nobis declarata tenetur, ſecundùm quam traditionem in Aquitania continentur vrbes egregiæ Narbona, Aruernus, quæ nunc Clarusmons vocatur, Cadurx, Toloſa, Gaualis, Rotenus, Lemouix,* Petragorica, *Pictauis, Burdegalis, Sanctona, & Engoliſma.* Aquitaniæ inquam à meridie limes poſitus Narbonenſis Prouin-
Lib. 4. c. 4 cia. Vnde Toloſani Tectoſages qui ſunt Narbonenſis,
Lib. 4. adde Plinio dicuntur *Aquitaniæ contermini.* Aquitania autem
Plin. lib. 4. c 4. à Narbonenſi diuiditur mõte Cemmeno,ſiue Cebenna.

Strabo:

Strabo: Ἀκυϊτανοὺς μὲν οὖν καὶ Κέλτας ἔλεγον, τοὺς πρὸς τῇ πυρήνῃ, διωρισμένους τῷ Κεμμένῳ ὄρει. *Aquitanos & Celtas vocant eos qui Pyrenæ sunt proximi, diuisi monte Cemmeno.* Idem paulò pòst: Ἀκυϊτανοὺς μὲν τοίνυν ἔλεγον τοὺς τὰ βόρεια τῆς πυρήνης μέρη κατέχοντας, καὶ τῆς Κεμμένης, μέχρι πρὸς τὸν ὠκεανὸν, τὰ ἐντὸς γαρούνα ποταμοῦ: *Aquitanos ergo dicunt eos, qui Septentrionalia Pyrenæ & Cemmeni accolunt vsque ad Oceanum intrà Garumnam fluuium.* Et idem rursus: ἔστι δὲ ἔθνη τῶν Ἀκυϊτανῶν πλείω μὲν τῶν εἴκοσι, μικρὰ δὲ καὶ ἄδοξα, τὰ πολλὰ μὲν παρωκεανιτικὰ, τὰ δ' εἰς τὴν μεσόγαιαν, καὶ τὰ ἄκρα τῶν Κεμμένων ὀρῶν μέχρι Τεκτοσάγων ἀνέχοντα. *Gentes Aquitanorum sunt plures viginti, exiguæ tamen & obscuræ, & ferè ad Oceanum accolentes: quædam in continente & ad extrema Cemmenorum montium vsque ad Tectosages.* Inde Cebennis montibus premi Aquitaniam dixit Ausonius, In clar. vrbib. 12.

Interiúsque premunt Aquitanica rura Cebennæ.

& Heluios, qui sunt Narbonensis, Cebennâ monte ab Aruernis distinctos ponit Cæsar, horum locorum peritissimus, quos victorijs suis perlustrauit: *In Heluios proficiscitur,* de se loquens, *etsi mons Cebenna, qui Aruernos ab Heluiis discludit, durissimo tempore anni, altissimâ niue iter impediebat.* De Bell. Gall. lib. 7.



prouincia, in alia non prohiberetur, licèt eiusdem nominis esset. Sed & diuisis Prouincijs Præsides qui vniuersas, id est illibatas & integras Prouincias regebant, longè dignitate & imperio præstiterunt aliis, qui sectas Prouincias regebant, ius enim gladij, & in metallum dandi habuere. Vlpianus: *Qui vniuersas Prouincias regũt, ius gladij habent, & in metallum dandi potestas eis permissa est.* Et ij sunt nî fallor quos Dio sophista vocat μείζους ἡγεμόνας *maiores Presides.* At rectores sectarum Prouinciarum ius gladij plerumque non habuêre, nec aliam maiorem animaduersionem, de quibus accipienda Cõstitutio Antonini P. Secundum peto, ex eo, quòd diuisas fuisse Prouincias temporibus Alexandri Seueri, auctor est Dio Cassius eius synchronos: Ταῦτα δ' οὕτω κατέλεξα, ὅτι νῦν χωρὶς ἕκαστον αὐτῶν ἡγεμονεύεται, ἐπεὶ τό γε ἀρχαῖον, καὶ ἐπὶ πολὺ καὶ σύνδυο καὶ σύντρια τὰ ἔθνη ἅμα ἤρχετο: *Recensui autem Prouincias hoc modo; quoniam nunc earum quæuis suum habet peculiarem præfectũ, cuum antiquitùs binis, vel ternis singuli præfuerint.* Tertium, ex Itinerario Antonini nomine inscripto, in quo passim memorantur scissæ Prouinciæ, & inter has Aquitania diuisa in primam, secundam, & tertiam, quæ Nouempopulania dicitur, velut truncum & imbelle cadauer iacet: *Aquitania I. in qua est Bituricum. Aquitania II. in qua est Burdigala. Nouempopulania in qua est Aussua*; Si enim vulgatæ autoris inscriptioni fides, hanc diuisionẽ Prouinciarum non ab alio, quàm ab Adriano proximo decessore Antonini factam credere par est, nec ab eius ingenio aliena fuerit hæc rerum nouatio: rerum enim nouarum maximè studiosus fuit, ex Spartiano & aliis: Alij verò huiusmodi diuisionem Prouinciarũ, Constã-

l. illicitas §. qui vniuersas. ff. de Præsid.

Orat. 46.

l. 4. C. de locat.

Lib. 53.

In vita Adrian.

tino Imp. acceptam ferunt. Mouentur ex eo quòd Cõſtantinum Imperij adminiſtrandi rationem immutaſſe
Lib. 2. auctor eſt Zozimus, & quòd ſcriptores quotquot eam agnouerunt, Conſtantino ætate poſthumi ſunt. Duas Aquitanias poſuit Feſtus Rufus in Breuiario, quod Valenti dicauit: *Sunt Galliæ cum Aquitania & Britanniis Prouinciæ decem & octo, Alpes Maritimæ, Prouincia Viennenſis, Narbonenſis, Nouempopulana, Aquitaniæ duæ, Alpes Graiæ, Maxima Sequanorum, Germaniæ duæ, Belgicæ duæ.* Notitia Prouinciarum Honorij temporibus edita: *Galliæ Prouinciæ XVII. Viennenſis, Narbonenſis prima, Narbonenſis ſecunda, Aquitania prima, Aquitania ſecunda, Nouempopulana, &c.* Notitia Imperij iiſdem temporibus promulgata: *Prouinciæ Galliarum decemſeptem, Viennenſis, Lugdunenſis prima, Germania prima, Germania ſecunda, Belgica prima, Belgica ſecunda, Alpes Maritimæ, Alpes Peninæ, & Graiæ. Aquitania prima, Aquitania ſecunda, Nouempopuli.* & alio loco: *Præſides Alpium Maritimarum, Alpium Penninarum & Graiarum, Maximæ Sequanorum, Aquitanicæ primæ, Aquitanicæ ſecundæ, Nouempopulorum.*

De diſpoſit. præfect. pr. Galliæ.

de diſp. Vic. 7. Prouinc.

Ego ſanè an Aquitaniæ partitio Conſtantini opus ſit valdè dubito; ante Conſtantinum enim plures Prouincias diuiſas conſtat, vt Mœſiam, Germaniam, & alias, vnde Aquitania pari ſorte vti potuit pro ratione temporum. Sed etiam poſt Adrianum mutationem huiuſmodi contigiſſe probabile eſt: nam in libris noſtris Adrianus reſcripſit Saluio (is eſt Saluius Iulianus I. C. auctor Edicti perpetui) legato, id eſt Præſidi Aquitaniæ, abſciſè & ſine vlla diſtinctione primæ & ſecundæ quam veriſimiliter non omiſiſſet, ſi tum nota fuiſſet: & in inſcriptione Gruteri I. Iulianus inſcribitur Præſes

l. milites. ff. de Cuſtod. reor.

pag. 422. inſcr. 7.

Prouinciæ Aquitaniæ, ſed & Ptolemæus, qui ſub Adriano vixit, vnam & ſimplicem Aquitaniam nouit; qualis ab Auguſto conſtituta fuerat: ἡ Κελτογαλατία διῄρηται εἰς ἐπαρχίας δ΄ ἀκυϊτανίαν, καὶ λουγδουνησίαν, καὶ βελγικὴν, καὶ ναρβωνησίαν, ἡ μὲν οὖν ἀκυϊτανία περιορίζεται ἀπὸ μὲν δυσμῶν τῷ ἀκυιτανίῳ ὠκεανῷ. *Celtogalatia in quatuor diuiſa eſt Prouincias, Aquitaniam, Lugdunenſem, Belgicam, & Narbonenſem, Aquitania fines habet ab Occidente Aquitanicum Oceanum.* Et Tetricus Tyrannus Aquitaniæ Præſidatū geſſiſſe memoratur Eutropio & Aurelio Victori, cùm à militibus Imperator electus, & Burdegalæ purpuram ſuſcepit. A Conſtantino quidem crebriores extiterūt Prouinciarum diuiſiones, ſemel diuiſo Imperio vana ambitio principum ſæpiùs Prouincias ſcidit, vt Imperij labem & iacturam Prouinciarum auctiore numero, rémque fuco & fictione ſupplerent; vel etiam vt amplior eſſet gratiæ locus, & plures præfecturis demerere valerent. Lib. 2. c. 7.

Claudianus in Eutropium:

-------- *Ne quid tamen orbe reciſo*
Venditor amittat, Prouincia quæque ſuperſtes
Diuiditur, geminúmque duplex paſſura tribunal
Cogitur alterius pretium ſarcire peremptæ.

Poſtquā verò Prouinciæ principū libidine in plures diuidi cœpêre manu iniectâ tentatū, vt diuiſa Prouincia in duas, in eadem duæ Metropolès excitarentur, quod vetuêre Patres Concilij Chalcedonēſis, & Innocent. I. in epiſt. ad Alexandrum Epiſcopum. Hoc facinore Valens Cappadociam diuiſit in duas, Cæſarienſem & Tyanenſem, vt Baſilio Cæſarienſi Metropolitano acerbiſſimo Arrianorum hoſti Tyanenſem Metropolitanum Can. 12. Epiſt. 18. c. peruenit. 101. diſt.

In orat. funeb. patris. In vit. Naz. obijceret: testes sunt Gregorius Nazianzenus & Gregorius Presbyter, quod ipse Basilius in Reipublicæ necem vergere probat in epistola ad Martinianum, cùm Epist. 379. ait diuisionem Prouinciæ velut sectionem bouis vel equi, non duos constituere, sed vnum illum perimere, nec hâc ratione augeri modum vectigalium, cùm non numero, sed viribus res censeantur. Aquitania, vt ad nos redeamus, in Gothorum ditionem redacta, etiam tripartita permansit. Sidonius ad Agroëtium Senonensem Episcopum, de electione Metropolitani Bituricensis: Lib. 7. ep. 5. *Iis accedit, quòd de vrbibus Aquitanicæ primæ solum oppidum Aruernum Romanis reliquum partibus bella fecerint.* Lib. 2. hist. cap. 2. Et Gregorius Turonensis vbi de persecutione Gothica in Aquitanos: *Maximè,* inquit, *tunc Nouempopulanæ, geminæque Aquitaniæ* (sic enim restituendum, pro geminæque Germaniæ) *vrbes, ab hac maximè tempestate depopulatæ sunt.* Non desunt tamen scriptores, qui post Constantinum, florente in Gallijs Imperio, Aquitaniam primam & secundam Aquitanicæ nomine comprehenderunt, & Nouempopulaniam, quæ est tertia Aquitania, Init. lib. de Synod. quasi Prouinciam per se posuerunt. Hilarius Pictauiensis: *Dominis, & beatissimis Fratribus & Coëpiscopis Prouinciæ Germaniæ primæ, & Germaniæ secundæ, & primæ Belgicæ, & Belgicæ secundæ, & Lugdunensis primæ, & Lugdunensis secundæ, & Prouinciæ Aquitanicæ, & Prouinciæ Nouæpopulaniæ, & ex Narbonensi plebibus & clericis Tolosanis, &c.* Et Lib. 15. Marcellinus: *In Aquitania quæ Pyrenæos montes, & eam partem spectat Oceani, quæ pertinet ad Hispanos prima Prouincia est Aquitanica, amplitudine ciuitatum admodum culta, omissis alijs multis Burdegala & Aruerni excellunt, & Santones & Pictaui; Nouempopulos Ausci commendant, & Vasatæ.*

& in inſcriptione Gruteri de Saturnino Secundo, qui floruit ſub Valente & Valentiniano: *Saturnino ſecundo V.C. Præſidi Prouinciæ Aquitanicæ*, &c. Pag. 465. inſcript. 8.

CAP. IV.

Bituriges. Bituriga Metropolis Aquitaniæ. Bituricenſis pagi inſigniora oppida. Nouiodunum, Argentomagum, Exoldunum. Vicus Dolenſis: Caſtrum Radulphi. Sancerrium, Virſonis caſtrum. Magdunum.

PROVINCIA Aquitania prima continet octo Ciuitates, quæ hoc ordine deſcribuntur in Itinerario Antonini & Notitia Prouinciarum, Metropolis Ciuitas Bituricum, Ciu. Aruernorum, Ciu. Rotenorum, Ciu. Albigenſium, Ciu. Cadurcorum. Ciu. Lemouicum, Ciu. Gabalum, Ciu. Vellaunorum. Non temerè obtigit is ordo ciuitatum, ſed conſultò pro ratione dignitatis cuiuſque. Hoc argumento dignitatem Catalaunenſis Eccleſiæ tuetur Fulbertus, quòd in Notitia Belgicæ ſecundæ ipſa ciuitas tertium locum teneret: *Sed ne ciuitati vel Eccleſiæ Catalaunenſi ſuum derogetis honorem, meminiſſe vos decet, quòd in antiqua deſcriptione, Prouinciæ Belgicæ ſecundæ, ipſa ciuitas à Remenſi tertium locum habeat.* Ep. 78. Et Primatum Lugdunenſis Eccleſiæ in Senonenſem, non aliunde quàm ex ſerie ciuitatum quæ in Notitia Prouinciarum ſe habet, colligit Iuo Carnotenſis in Epiſtola ad Richerium Archiepiſcopum Senonenſem: *De veteri querela, quam habet aduersùs Senonenſem Eccleſiam Lugdunenſis Eccleſia, laudo, &* Ep. 50.

consulo, vt si qua habetis priuilegia Apostolica manu roborata: vel scripta authentica, quæ primatum Lugdunensis *Ecclesiæ, quem aliquando ex Catalogis ciuitatum conijcimus extitisse, ab Ecclesia vestra remoueant ea confratribus nostris ostendatis.* Aquitaniæ primæ Metropolis Ciuitas Biturigum, Bituriges alij Cubi, quorum caput Auaricum; alij Viuisci quorum caput Burdegala, de Cubis Plinius: *Hinc Bituriges liberi, qui Cubi appellantur.* Strabo: ϗ Βιτȣ́ριγες οἱ κȣ́βοι καλȣ́μϑμοι: *& Bituriges cognomento Cubi.* & Ptolemæus, ϗ τῆς μετὰ τὸν λίγειρα ποταμὸν βιτȣ́ριγες οἱ Κȣ́βοι, ϗ πόλις Α'υάρικον: *Participant & post Ligerim fluuium Bituriges Cubi, & Ciuitas Auaricum.* Biturigum caput Auaricum atque adeò pulcherrima penè totius Galliæ vrbs, Ideò imminente Cæsariana obsidione, & re in concilium deductâ, an succendi, an defendi præstaret, vicêre Bituriges, & tuendam recepêre à Vercingetorige. Cæsar: *Deliberatur de Auarico in communi concilio incendi placeret an defendi; procumbunt Gallis omnibus ad pedes Bituriges, ne pulcherrimam propè totius Galliæ vrbem, quæ & præsidio & ornamento sit Ciuitati suis manibus succendere cogerentur.* Posterioribus temporibus Auaricum Pagi nomen accepit, Biturigas pro Ciuitate ipsa dixit Sidonius. *Prius Bituriges noueram, quàm Biturigas.* Et Gregorius Turonensis: *Quidam Biturigas ciuitatem adgressus.* Et paulò pòst: *Hæc est nunc Ecclesia apud Biturigas vrbem prima.* Biturigam idem Turonensis. *Bituriga verò vrbs primùm à Sancto Vrsino, qui à Discipulis Apostolorum Episcopus ordinatus in Gallias destinatus est, verbum salutis accepit.* Bituricam idem etiam, *Britanni de Biturica à Gothis expulsi sunt.* Bituriam Guillelmus Brito.

Lib. 4. c. 17.
Lib. 4.
Lib. 2. c. 7.
Lib. 7. de Bell. Gall.
In concione post ep. 9. lib. 7.
Lib. 1. hist. cap. 31.
Lib. de glo. Confess. c. 80.
Lib. 2. c. 18.
Lib. 1. Philippid.

Prædia Bituriæ celebrem parientia Bacchum.

Aquitaniæ primæ Metropolis Ciuitas Biturigum. Nec fero lapſum Marcellini, qui Biturigas locat in prima Lugdunenſi: *Lugdunenſem primam Lugdunus ornat, & Cabillones & Senones, & Biturigæ*, pluráque de Bituricis vbi de Primatu Bituricenſi. Præter Auaricum, ſeu Biturigas ſunt in Bituricenſi pago alia oppida, & caſtra non ignobilia, quæ veterum memoriâ commendantur. (Lib. 15.) Inter cetera Nouiodunum Auarico proximum; de quo Cæſar: *Ille oppidum Biturigum poſitum in via Nouiodunum oppugnare inſtituerat*, hodie *Neuſuy*, Argantomagum, in Itinerario Antonini *Argantomagum, Ernodorum, Auaricum.* & in Annali Pipini: *Pipinus Rex propter conficiendum Aquitanicum bellum conuentu in Aurelianis habito, in Aquitaniam profectus, deſtructum à Vvaifario Argentomagum caſtrum reparat, diſpoſitóque, & ibi, & in Biturica Ciuitate Francorum præſidio regreditur.* Reginoni Argentoniũ: *Et reſtaurauit Argentonium caſtrum, quod antea à Vvaifario fuerat deſtructum*, noſtris, *Argenton.* Exoldunum, ſiue Iſſoldunum oppidum in finibus Biturigum. Robertus Montenſis: *Iſſoldunenſe etiam caſtrum cum omnibus pertinentiis ſuis* celebris locus, pactione pacis habitâ inter Philippum Auguſtum, & Ioannem Regem Anglorum, quam dedit Quercetanus, & vbertate ſoli, quam carmine commendat Guillelmus Brito,

(Lib. 7. de Bell. Gall.) (Ann. Chr. 776.) (Lib. 2. Chr.) (Ad an. 1177.) (In calce hiſt. Normannor.) (Lib. 2. Philipp.)

Biturica curſu facili digreſſus ab vrbe
Radulios penetrat fines, & nobile caſtrum
Vrſelloduni ſibi ſubdit in impete primo
Cum patria tota tam diuite, támque potenti
Vt ſibi ſufficiat, nec ſit mendica bonorum,
Multa quibus regio ſe lamentatur egere

C

Copia quam Cereris ditat, quam Bacchus inundat.

Vicus Dolensis nobile & antiquum castrum in pago Bituricensi. Gregorius Turonensis: *Britanni de Biturica à Gothis expulsi sunt, multis apud Dolensem vicum peremptis Gallis, Bourg Deols en Berry*, ibi deposita sacra Lipsana S. Lusoris, filij Leocadij primarij Galliarum Senatoris, de stirpe Vetij Epagati inter Martyres Lugdunenses laureati. Idem Turonensis: *In Dolensi autem Biturigi termini vico, B. Lusor Leucadij quondam Senatoris filius requiescit, qui fertur in albis migrasse à seculo.* Ibidem nobile Monasterium Ordinis Benedictini posuit Ebo, Comes Dolensis, circa annum DCCCLXXXXVII. vt autor est Ademarus. In eodē tractu Bituricēsi est castrū Radulphi, sic dictū à Rodulpho, seu Radulpho filio & herede Ebonis Comitis Dolēsis, qui hoc castrū exstruxit. Vnde posterioribus Castrū Radulphi de Dolis. Robertus Montēsis: *Rex Henricus perrexit in Bituricensem pagum, accepit in manu sua castrū Radulphi de Dolis, quia erat de feudo eius*, nobis, *Chasteauroux*. Malè reddidit Paulus Merula Castrum Rufum. Syncerrium Castrum etiam in finibus Biturigum, alijs Sacrum Cæsaris. Guillelmus Brito,

Lib. 2. hist. c. 18.

De Glor. Conf. c. 92.

Ad an. Chr. 1177.

Præcipuéque Comes Stephanus qui mœnia sacri
Cæsaris, & ditis pro magna parte tenebat
Prædia Bituriæ.

Lib. 1. Philipp.

Nostris, *Sancerre*. Rogeri Belüacensis Episcopi quondam fuit hoc castrum, sed ex permutatione cum Belüacēsi Comitatu peruenit ad Odonem Comitē Campaniæ. Sigibertus: *Comitatum quoque eiusdem vrbis ab Odone Campaniensi Comite impetrauit, dato ei pro commercio castro Syncerrio in Bituricensi territorio sito, quod sibi patrimonij iure competebat.* Virsonis castrum etiam in pago

ad ann. 1024

Bituricensi ad Carum amnem, quod à Richardo Rege Anglorum expugnatum scribit Guillelmus Brito, Lib. 5. Philippid.

Omne quod eius erat subitò Richardus adorsus
Virsonum totum spoliat, capit, ipsius omnes
Destruit igne domos, prædas abducit opimas.

& paulò pòst,


Quo non fertilius, quo non speciosius vllum
Bituricum fines modò perlustrabat apricos:
Hinc etenim dextrum Sigalonica plana serenant
Frugifero iocunda solo, latus inde sinistrum
Lenè fluens per prata virentia Carus amœnat,
Arboribus, cultisque placens, patiénsque carinæ,
Piscibus & multis iuuat vtilitatibus ipsam.

Malè Marlianus Virsonis castrum putat esse vetus Auaricum; nam sitûs ratio, quem depinxit Cæsar non nisi Bituricis conuenit, vt à multis obseruatum. Magdunũ oppidum in pago Bituricensi, *Meun sur Yeure.* Olim castrum Mediolanense dictum. Aymoinus Monachus: *Sed Biturigi apud castrum Mediolanense, quod nunc Magdunum dicitur, quindecim armatorum millia Desyderio Duci opponentes, cum eo conflixere.* Lib. 3. c. 49.



Cap. V.

Aruerni, Limane pars Aruerni pagi, Augustonemetum, siue Claromontium Ciuitas Aruernorum. Aruernorum clariora oppida. Gergouia, Montisferrani castrum, Ricomagensis vicus, Iciodorum, Musciacum. Arthona, Thigurnum. Violuascensis vicus, Briuate, Hunnorone, Cantella, Scoralis, Aureliacum, Marculiscus, Argentadum, S. Flori oppidum, Auitacus.



ECVNDVM in Aquitania prima locum tenet ciuitas Aruernorum. Aruerni antequàm Gallia Romanis parêret, de principatu Galliarum cum Hæduis certârunt, & imperij libidine Germanos accierunt. Diuitiacus Aeduus apud Cæsarem: *Galliæ totius factiones esse duas, harum alterius principatum tenere Æduos, alterius Aruernos: hi cum tantoperè de potentatu inter se multos annos contenderent, factum esse vti ab Aruernis, Sequanisque Germani mercede accerserentur.* Heluijs, Cadurcis, Gabalis, & Velaunis finitimis populis imperârunt: & ideò in generali defectione Galliarum Aruernis imperato delectu militum, adiuncti Heluij, & alij clientes. Cæsar: *Parem numerum Aruernis adiunctis Heluijs* (sic lego, non Heleuteris) *Cadurcis, Gabalis, Velaunis, qui sub imperio Aruernorũ esse consueuerũt.* Emendationis autor mihi est Strabo, qui Eluios & Velaunos sub fide & ditione Aruernorum fuisse testatur.

Lib. 7. de Bell. Gall. cap. 7.

Lib. 7. de Bell. Gal.

Lib. 4.

τὰ δ' μεταξὺ τοῦ γαρουνᾶ, καὶ τοῦ λείγηρος ἔθνη τὰ προσκείμενα τοῖς Ἀκουιτανοῖς ἐστιν ἐλουίοι μὲν ἀπὸ τοῦ Ῥοδανοῦ τὴν ἀρχὴν ἔχοντες, οὐελλάιοι δ' μετὰ τούτους, οἱ προσωρίζοντο ποτὲ ἀρουερνοῖς νῦν δ' τάττονται καθ' ἑαυτούς. *Gentes porrò inter Garumnam & Ligerim Aquitanis adiacentes ſunt Eluij, à Rhodano initium ſumentes, & Vellaunij, qui olim Aruernis adſcribebantur, nunc pro ſe ciuitatem conſtituunt.* Galliâ à Romanis ſubactâ, Aruerni ob potentiam ſpectati liberi relicti: vnde Plinio Aruerni liberi, (Lib. 4. c. 19.) & libertate tumeſcentes fratres Romanorum ſe iactitarunt. Lucanus, (Lib. 1. Sid. lib. 7. ep. 7.)

Aruernique auſi Latios ſe fingere fratres
Sanguine ab Iliaco populi.

Hoc libertatis ſpiritu corrupti, ſuperbiæ famâ laborârunt: nouam & antiquam ſuperbiam eis exprobrat Sugerius Abbas, & ex eo Aymoini Continuator, repetito Lucani verſu: (Suger. in vit. Lud. Cr. Aym. Cont. lib. 5. c. 4.) *Eâ etiam tempeſtatis temperie Aluernorum Pontifex Claromontenſis, vir honeſtæ vitæ, & defenſor Eccleſiæ illuſtris, & pulſatus, & pulſus Aluernorum ſuperbiâ nouâ & antiquâ, quæ eis titulatur, Aluernique auſi,* &c. *Lemané* vocatur Aruernia inferior olim Theodorici Regis votum: *Velim*, inquiebat is, apud Gregorium Turonenſem, (Lib. 3. c. 9.) *vnquam Aruernam Lemanem, quæ tantæ iocunditatis gratiâ refulgere dicitur, oculis cernere.* Habitatores Limanici: idem Turonenſis: (Lib. de glo. Conf. c. 11.) *Illud apud Aruernos geſtum in adoleſcentia mea in veritate cognoui: Quidam Presbyter ſolitarius iter carpens, ad hoſpitiolum cuiuſdam pauperis Limanici manſionem expetijt.* Lemaigne, ſeu, Limane dicitur, à limo, id eſt vbertate ſoli, quam commendat & Gregorius Turonenſis: *Sicut Lemanne veſtitum ſegetibus, nudum habetur à ſyluis.* (Li. de glo. martyr. 84.)

Lib. 3. ep. 1. & lib. 7. ep. 7. & 17. hanc sui anguli nomine intelligit Sidonius non vno loco. Ciuitas Aruernorum, Augustonemetum Ptolemęo: τῶν ἀρουερνῶν, ἐν οἷς πόλις αὐγουστονέμετον. *Aruerni in quibus ciuitas Augustonemetum.* νεμωσσὸς Straboni, qui imperitè eam vrbem Ligeri imponit; Ἀρουέρνοι δὲ ἵδρυνται μὲν ἐπὶ τῷ Λείγηρι, μητρόπολις δ᾽ αὐτῶν ἐστι Νεμωσσὸς ἐπὶ τῷ ποταμῷ κειμένη. *Aruerni fluuio Ligeri insident, caput eorum Nemossus ipsi imposita flumini.* Aruerna Iordani. *Eoricus verò Rex Vvisigothorum Aruernam Galliæ ciuitatem occupauit.* Aruernum oppidum Sidonio: *Ijs accedit quòd de vrbibus Aquitanicæ primæ solum oppidum Aruernum Romanis reliquum partibus bella fecerint.* Aliis Aruernis, vt in vita D. Gregorij Turonensis apud Surium: *Hæc autem Aruernis quæ puero genlalis humus fuit.* & apud Aymoinum: *In Aquitania continentur vrbes egregiæ, Narbona, Aruernis,* sic lege, non, vt vulgò, Arunnias, *quæ nunc Clarus Mons vocatur*: posteriores Claromontium, vel Clarum Montem dixere præter Aymoinum loco iam laudato, Lupus Ferrariensis, in Epistola ad Ionam Aurelianensem Episcopum; *Quarum vni parti quæ apud Clarum montem agit, præest Modoinus Augustodunensium Episcopus.* & Guibertus: *In vrbe Aruernica Scolasticissima omnium præsulum Sidonio gloriosa, cui tamen immutatæ Claro monte constat esse vocabulum.* Vnde ciuitati nomen quæsitum, iam obseruauit Ioannes Sauaro, nempe à Claromonte, ea huiusce vrbis arx fuit, à Pipino vnà cum vrbe solo diruta, quòd Vaifarij Aquitani partium præsidium esset. Testes Autor Annalis Pipini: *Cum magno belli apparãtu Aquitaniam ingreßus, quædam oppida atque caßtella manu cepit, in quibus præcipua fuêre Burbonis Cantilla, Claramontis.* & Regino: *Multa castella cepit, scilicet*

Lib. 1. c. 7.
Lib. 4.
Lib. 5. ep. 7.
Tom. 6. Nou. 17.
Lib. 1. hist. Franc. c. 4.
Epist. 28.
Hist. Hierosolym. lib. 2.
Robert Môtens. l. b. 1. de Bell. sac.
Gu. Tyr. lib. 1. c. 14.
In Origini. Claro mon.
A. C. 761.
Lib. 1. Chr. A. C 761.

Burdellum, Clarum montem, Cantellam, Auernen. & Thoromachus apud Canisium: *Vsque vrbem Auernam, cum omni exercitu veniens Claremontem castrum captum atque succensum bellando cepit.* Ego hanc arcem antiquissimam, & iam olim à Romanis conditam fuisse opinor: hîc enim præsidium militum velut in specula Aquitaniæ primæ collocatum inuenio. Notitia Imperij occidui: *Præfectus Lætorum Gentilium Sueuorum Aruernos Aquitaniæ primæ.* Inter clariores Aquitaniæ vrbes Aruernam censuit Ammianus: *Prima prouincia est Aquitanica, amplitudine ciuitatum admodùm culta, omissis aliis multis, Burdegala, & Aruerni excellunt, & Santones & Pictaui.* Amœnitate soli capti quamplurimi nobiles Romani in eam confluxere, vnde sedes Senatorum velut altera Roma meruit appellari. (Senatores dixit ea ætas, nobiles, qui stirpe Romanâ oriundi essent.) Gregorius Turonensis: *Egreßus autem vir Dei ab Arthonensi vico ad vrbem Aruernam gressum direxit, audientes autem Senatores vrbis, qui tunc in loco illo nobilitatis Romanæ stemmate refulgebant.* Et in vita Gregorij Turonensis apud Surium: *Hæc autem Aruernis, quæ puero genitalis humus fuit vehementer olim caput extulerat, ita vt Senatoribus velut vrbs Tarpeia præpolleret.* Præter Augustonemetum, seu Aruernam vrbem in pago Aruernorum celebrantur varia oppida, castra, & vici, vt Gergouia oppidum non longè distãs ab Augustonemeto, situm in prærupto monte secundùm flumen Elauerem, de quo Cæsar, Strabo, Orosius, & Sidonius. Huius supersunt rudera, quæ vetus nomen retinent *Gergoye*, Augustonemeto proximum Montis Ferranni castrum, dignitate & opibus æmulum, sed antiquitate minùs memorabile, & primùm

Tom. 2. Antiq. lect.

De dispofit. Mag. Milit.

Lib. 15.

Lib. de Glor. Confeß. c. 5.

tom. 6. Nou. 17.

Cæsar lib. 7. Strab. lib. 4. Orof. lib. 7. cap. 1. Sidon. in Paneg. Aui.

In vit. Lud. Crass. Lib.5. c.50.

notum oppugnatione Ludouici Crassi, de qua Sugerius, & ex eo Continuator Aymoini: *Transiens itaque Aluernorum difficiles ingressus, & obuiantia Castella Claromontem peruenit. Cùm autem abortiuo & opposito Ciuitati castro Montisferanni exercitum applicaret.* Ricomagum, siue Ricomagensis vicus Aruernorum antiquissimus, de quo

Lib. 1. de Glor. Mart. c. 86. & 87. Lib. de Glor. Conf. c. 1.

Gregorius Turonensis: *Dies passionis erat Polycarpi Martyris magni, & in Ricomagensi vico ciuitatis Aruernæ eius solennia celebrabantur.* Et idem Turonensis: *Cùm aduenisset* (S. Martinus) *in cacumen montis Belenatensis, de quo vicus Ricomagensis positus contemplatur.* Vulgò dicitur *Rion*, locus insignis natalibus D. Amabilis Presbyteri. Turo-

Lib. de Glo. Conf. c. 33.

nensis: *Fuit etiam in supradicta Aruerna vrbe, admirabilis sanctitatis Amabilis quidam vici Ricomagensis Presbyter.* Iciodorum vicus Aruernorum antiquissimus, sancti Austremonij, siue Stremonij primi Aruernensis Episcopi sepulcro illustris. Gregorius Turonensis: *Per*

Lib de Glo. Conf. c. 30.

sanctum enim Stremonium, qui & ipse à Romanis Episcopis cum Gatiano beatissimo, & reliquis quos memorauimus est directus, primùm Aruerna ciuitas verbum salutis accepit, eòque prædicante salutarem mundi Redemptorémque omnium Christum Dei filium credere cœpit, huius autem sepulcrum apud Iciodorensem vicum habetur. Vulgò *Yssoire.* Musciacum

Lib de Glo. Conf. c. 41.

vicus haud procul à Ricomago, de quo Gregorius Turonensis: *Actum in vico Musciacus.* Ibi monasterium posuit Calminius Senator, Iustiniano Imperante, vt ob-

In ep. l. 12. Sidon. lib. 5.

seruauit Ioannes Sauaro, collapsum instaurauit Ludouicus Pius, vt in eius vita legitur, vbi inter cœnobia à Ludouico condita, vel refecta censetur Monasterium Musciacum. Vulgò *Mousac.* Arthona vicus Aruerno-

Lib. de Glo Confess. c. 5

rum celebris. Turonensis toties laudatus: *Egressus autem*

autem vir Dei (ſanctus Martinus) *ab Arthonenſi vico ad Vrbem Aruernam greſſum direxit*, hodie, *Arthone*. Thigurnum caſtrum in finibus Limaniæ, ſeu inferioris Aruerniæ, de quo Turonenſis: *Apud Thigurnum Caſtrum vrbis Aruernæ.* Eidem Tigernenſe Caſtellum: *Nuperrimo autem tempore in huius vrbis Aruernæ territorio, quod adjacet Tigernenſi caſtello, Geneſius eiuſdem loci ſanctus, ſe hoc modo reuelauit.* Quo tempore Aruerniam hoſtili manu vaſtauit Theodoricus Rex Francorum, hoc caſtrum incenſum refert Turonenſis: *Tempore autem quo Theodoricus Rex Francorum regionem illam euertit, hoc caſtrum ab hoſtibus incendio concrematur.* vulgò, *Thier.* Violuaſcenſis vicus in pago Aruernorum, olim Martialis dictus ob hiberna legionum Iulij Cæſaris. Sidonius & Maurusio: *Vnde & in pago Violuaſcenſi, qui Martialis ætate citeriore vocitatus eſt, propter hyberna legionum Iulianarum, ſuſpicor diuturnius te moraturum*, hodie, *Voluic.* Briuate, ſeu Briuatenſis vicus in finibus Aruernorum, Sidonio Briuas,

Lib. de mirac. martyr. c. 52.

eod. lib. c. 67

d. cap. 52.

Lib. 2. ep. 14 ib. Sauar.

In propempt. ad libellum

Hinc te ſuſcipiet benigna Briuas,
Sancti quæ fouet oſſa Iuliani.

Vulgò *Brioude*. Briua, Celticâ linguâ traiectum, vel vadum, vel rectiùs pontem ſignificat, vnde Briua Iſaïæ, in Itinerario Antonini, quæ & Pontiſara nuncupatur, vulgò *Pontoiſe*: Samarobriua, pons Samaræ, ſeu Somæ fluuij, quæ poſteà Ambianorum ciuitas: & Briua Curretia in Lemouicibus Gregorio Turonenſi, à Curretia amne, quo alluitur, Gallis, *Briue la Gaillarde*. Briuatenſis Eccleſia reliquijs D. Iuliani Martyris celebris. Hanc religionis causâ adijt S. Germanus Antiſiodorenſis Epiſcopus. Et ignotum oppidanis anniuerſarium diem Martyri ſacrum, numine aſpirante ſignificauit, vt nar-

Lib. 5. c. 10.

de vit. S. German. lib. 1. cap. vlt. Erric. lib. 4. Tur. lib. 2. de mirac. Mart. c. 29. rant Constantius Presbyter, Erricus Altissiodorensis, & Gregorius Turonensis. Quid Auitus ex Cæsare Placentinus Episcopus cùm insidias sensisset, fugam molitus in Aruernos ad basilicam Iuliani martyris, & in itinere fatis præreptus, perlatus ad Briuatensem vicum, & ad pedes martyris sepultus, præsidium quod viuus expetijt, mortuus nactus est. Turonensis: *Comperto autem quòd adhuc indignans senatus vitâ eum priuare vellet, Basilicam sancti Iuliani Aruerni martyris cum multis muneribus expetiuit; sed impleto in itinere vitę cursu obijt, delatúsque ad Briuatensem vicum ad pedes ante dicti Martyris est sepultus.* Basilicam Briuatensem ædificauit Eoricus Rex Gothorum, Fredegario: *Eoricus Gothorum Rex, XIV. sui regni anno, Ecclesiam sancti Iuliani Briuate columnis ornatam mirificè construxit.* Sed longè à vero aberrat: Eoricus enim Arrianus passim Ecclesias euertebat, & seuiebat in Catholicos, vt testantur Sidonius, & Gregorius Turonensis. Basilica Briuatensis exempta, & immediatè pertinens ad Romanum Pontificem. Petrus Cluniacensis Eugenio III. S. P. *Briuatensis Ecclesia iuri apostolico, nullo alio Episcopo mediante subiecta, iuxta proprię institutionis morem, magna & nobilis diu permansit*, &c. Briuatenses Canonici, Comites dicuntur, Briuatensi Comitatu donatione transfuso in censum Ecclesiæ. Hunnorone dicitur locus iuxta Briuatē vbi Iulianus martyrium passus. Gregorius Turonensis: *Est etiam ad Hunoronem, quia ibidem martyr percussus est, virtus eximia.* Cantela, siue Cantella, vetus castrum in Aruernis, captum & expugnatum à Pipino Rege in bello Aquitanico aduersùs Vaifarium Ducem. Annalis Pipini: *Tunc iterum Rex Pipinus illuc cum exercitu iter peragens, & eius filius primogenitus nomine*

[Marginal notes: Lib. 2. c. 9. (at "petijt"); Lib. 2. c. 20. (at "thorum, Fredegario"); Sidon. lib. 7. ep. 6. Grego. Tur. lib. 2. c. 25. (at "Catholicos"); Lib. 6. ep. 28 (at "Eugenio III."); Lib. 1. de Glor. Mart. c. 16. (at "gorius Turonensis"); A. C. 761. (at "Ducem")]

Carolus, cum eo, multa castella cepit, quorum nomina sunt, Burbonnis, Cantela, Clarmontis. Et Regino Abbas. *Et Aquitaniam ingressus,* Pipinus, *multa Castella cepit, scilicet Burdellum, Clarum montem, Cantellam, Auernev.* Cantilia in Tabula Peutingeriana, *Cantilia Augustonemetum.* Hodie *Chantelle.* Cantillensem Ecclesiam memorat Sidonius, in epistola ad Vectium: *Nuper rogatu Germanici spectabilis viri Cantillensem Ecclesiam inspexi.* Scoralia etiam antiquissimum castrum in Aruernis captum à Pipino in eadem expeditione Aquitanica. Annalis Pipini: *Multas Roccas & speluncas conquisiuit, castrum Scoraliã, Torinnam, Petrociam.* & Regino: *Multas rupes & speluncas cepit, nec non castra Scoraliam, Forunam* (lege Torinnam) *& Petrociam*: vulgò, *Scoraille.* Aureliacum oppidum situm in finibus Aruernorũm. Odo Cluniacensis, scriptor vitæ S. Geraldi Comitis Aureliacensis: *Vir igitur Domini Geraldus, eá parte Galliarum, quæ ab antiquis Celtica vocatur oriundus fuit*, *territorio scilicet quod est Aruernensi, atque Caturcensi, nec non etiam Albiensi contermino, oppido vel villa Aureliaco.* Aureliacense Castrum idem: *Cum Aureliacense castrum peruaserat.* Aurelhacus in testamento ipsius Geraldi Comitis, quod edidit Quercetanus: *Ad locum qui vocatur Aurelhacus Monasterium*, vulgò *Aurillac.* Ibi nimirũ Cœnobiũ posuit & de suo dotauit ac fũdationis lege Ecclesiæ Rom. submisit. Idem Odo Cluniacensis: *Postquàm itaque diuino cultui se mancipauit per omnia, vt sua quoque Domino consecraret, Romam profectus est, & Aureliacum insigne prædium Beato Petro Apostolorum principi, facto solenniter testamento delegauit cum tantis videlicet appenditiis, quæ monachis, quos ibidem congregare disposuerat, ad omne stipendium sufficere possent.*

Lib. 2 Chr.

Lib. 4. ep. 13 & ib. Sauar.

A. C. 767.

Lib. 1. de vit. S. Gerald. cap. 1

Eod. lib. 1 c. 39.

Lib. 2. de vit. S. Geraldi c. 4.

Non procul Aureliaco iacet Marculiſcus vicus. Idem Odo Cluniacenſis: *Pagus non longè ab Aureliaco Marculiſcus vocatur.* Argentadum etiam vicus Aruernorum. Idem Odo: *Solennitas ſancti Laurentij venerat, & ille in quandam ſuam capellam, quæ non longè à vico Argentado ſita eſt, eandem feſtiuitatem ſolennizabat.* S. Flori oppidum in edito monte ſitum, quem planum vocant, vt in vita S. Flori continetur, cuius radicem adluit Adia amnis, Epiſcopatus à Ioanne XXII. rerum nouarum ſtudioſo inſtitutus, abſciſſúſque è Claromontenſi Epiſcopatu. Non tacenda Auitacus villa Apollinaris in Aruernis, iuxta lacum qui hodie Sorliuia dicitur, quam eleganti ſtylo depinxit ipſe Sidonius: *Auitaci ſumus, nomen hoc prædio, quod quia vxorium patrio dulcius.* Nimirum Auitacus dicta ab Auito Cæſare, qui hoc prædium Papianillæ filiæ, vxori Sidonij in dotem dixit, vt obſeruauit Ioannes Sauaro, in hunc locum, & ante eum Fauchetius, & P. Maſſonius.

Eod. lib. 1. c. 31.
Eod. lib. 2. c. 32.
Belleforeſt. in Topogr. Gall.
Lib. 2. ep. 2.

Cap. VI.

Ruteni. Segodunum Ciuitas Rutenorum. Ariſitenſis vicus, olim ſedes Epiſcopalis. Vabrenſe Caſtrum, Concas, Amilianum, ſiue Milhau, *Caſtrum S. Antonini.*



IN Aquitania prima ſecundum à Bituricenſi Metropoli locum tenet Ciuitas Rutenorum. Ruteni in confinio Aquitaniæ, & Narbonenſis Prouinciæ. Strabo: ῥουτηνοὶ δὲ καὶ γαβαλεῖς τῇ ναρβω-

Lib. 4.

νίτιδι πλησιάζουσι: *Ruteni & Gabales Narbonensi propinquãt.* Lib. 4. c. 19.
Plinius : *Rursus Narbonensi Prouinciæ contermini, Rutheni, Cadurci, &c.* Rutheni primùm cum Aruernis, & Allobrogibus à Q. Fabio Maximo bello victi, sed mitiùs cum his actum, nec in Prouinciam redacti. Hinc Cæsar apud Ariouistum Regem Germanorum : *Bello superatos esse Aruernos, & Rutenos à Quinto Fabio Maximo, quibus Populus R. ignouisset, neque in Prouinciam redegisset, neque stipendiũ imposuisset.* Rutenos Flauos describit Lucanus, Lib. 1. de Bell. Ciuil.

Soluuntur flaui longa statione Ruteni.

Rutenorum ciuitas ipsa, Ruteni Sidonio; *Burdegala, Petrogorij, Ruteni, Lemouices, Gabalitani, Helusani, Vasates, Conuenæ, Auscenses, multóque iam maior numerus ciuitatum, latum spiritualis ruinæ limitem traxit.* Lib. 7. ep. 6. Rutena ciuitas Gregorio Turonensi: *Chlodouæus verò filium suum Theodoricum per Albigensem, ac Rutenam ciuitatem ad Aruernos dirigit.* Lib. 2. c. 37. & alio loco : *& sic in vrbe Aruerna, Rutena, atque Vcetica dux ordinatus est* : Lib. 8. c. 18. & rursus alio loco. *Cúmque iam Innocentius Episcopatum Rutenæ vrbis ambisset.* Lib. 10. c. 8. Ciuitas Rodenorum in Notitia Prouinciarum Galliæ, quam cum Tom. 1. scriptoribus rerum Gallicarum dedit Quercetanus. pag. 12. Rotenus Aymoino. In Aquitania continentur vrbes Lib. 1. hist. egregiæ, *Narbona, Arunnias, quæ nunc Clarus Mons vocatur,* cap. 4. *Cadurx, Tolosa, Gaualis, Rotenus, Lemouis, &c.* Segodunum Ptolemæo : ὑπὸ ἢ τούτους ῥουτανοὶ, καὶ πόλις σεγόδουνον. *Sub ijs Ruteni & Ciuitas Segodunum.* vulgò *Rodés.* Lib. 2. c. 8. Arisitensis vicus in pago Rutenensi, olim sedes tenuis Episcopatûs, delibati è Rutenensi, de quo Gregorius Turonensis : *Sed cùm obtinere non posset* (Mondericus) *à Rege, vt in locum vnde deiectus fuerat restitueretur, nocte per fugam lapsus ad Sigiberti regnum transiit, & apud Arisitensem* Lib. 5. c. 5.

vicum Episcopus instituitur, habens sub se plus minus diœceses quindecim, quas Gothi primùm tenuerant, nunc verò Dalmatius Ruthenensis Episcopus vendicabat. Arisidum Autori Carminis de Stirpe Ansberti Ducis, quod nuper dedit, & notis illustrauit R. P. Thomas Aquinas, Carmelita Discalceatus, vir antiquitatis peritissimus.

Tu quoque fraternos Moderice imitaris honores
Iuris Apostolici culmen sublimiter ornans
Harisido Confessor abis, ibidémque quiescis.

Breui euanuit iste Episcopatus. Synodo Remensi habitæ anno DCXXX. interfuit Emmo Arisitensis, teste Flodoardo; sed inde damnata horum antistitum memoria, nec vllum hodie loci vestigium in eo tractu apparet. Vabrincum, Rutenorum oppidum, Vabrense castrum Gregorio Turonensi: *Infra Castrum Vabrense, quod villæ Vrsionis propinquum erat, cum rebus omnibus se muniunt*: & totus ille tractus qui ab eo iura petebat, pagus Vabrensis eidem Turonensi: *Erat enim villa in pago Vabrensi, cui imminebat mons arduus.* Vulgò *Vabres, & le Pays Vabrois:* Hîc cœnobium Ordinis S. Benedicti à Raimundo I. Comite Tolosano fundatum famâ disciplinæ & religionis adeò claruit, vt D. Geraldus Comes Aureliacensis nobiles pueros eò mitteret asceticâ informandos in sui Monasterij autoramentum. Odo Cluniacensis: *Tum verè nobiles quosdam pueros ad Vabrense cœnobium direxit, nam tunc regularis obseruantiæ seruor incalescebat, vt scilicet apud fraternitatem illam sub norma regulari ijdem pueri imbuerentur.* Tandem ex Monasterio surrexit Episcopatus à Ioanne XXII. decisus è Rutenensi. In eodem pago Rutenensi celebre castrum Concas, vbi & Monasterium à Ludouico Pio ædificatum,

Lib. 2. hist. Rem. c. 5.


Lib. 9. c. 9.

Lib. 9. c. 12.

Lib. 2. de vit. S. Gerald. cap. 6.


vel instauratum. Autor eius vitæ: *Et quidem multa ab eo sunt in eius ditione reparata, imo à fundamentis ædificata monasteria, sed præcipuè hæc, Monasterium Carroffi, Monasteriū Concas, Monasterium sancti Maxentij.* Et in Constituto Ludouici Pij, de Monasteriis Regni Francorum, quæ Regi militiam, censum, vel solas preces debent: *In Aquitania Monasterium Magni locum, Monasterium Conquas, Monasterium sancti Antonij.* Hodie nomen retinet *Conques.* Apud Quercet. tom. 1. script. Gall.

In eodem pago Rutenēsi Amilianum, oppidum insigne præceptoriâ Militiæ, siue Ordinis sancti Spiritus instituti à Guidone Comite Montepessulano, cuius caput est apud ipsum Montempessulanum, de quo Innocentius S.P. meminit. Vulgò *Milbau.* In confinio Rutenorum & Cadurcorum est Castrum sancti Antonini situ in valle amœnissima ad ripam Auarionis amnis, olim vallis nobilis, vt legitur in vita Antonini Apamiensis Martyris; sed Aquilarum ministerio, diuinitus translato huc Antonini Apamiensis martyris capite, & Ecclesia ibi à Festo Comite & Domino loci ædificata in honorem Martyris, inde Antonini patroni sui nomen excepit. Huius castri situm describit Petrus Vallissarnensis: *Venimus ad Castrum sancti Antonini illud obsessuri, & fiximus tentoria ex vna parte castri ante portas castrum autem illud nobilissimum in valle quadam ad pedes montis in loco amœnissimo situm erat, &c.* Lib. 1. ep. 95. & 97. Hist. Albig. cap. 62.



Cap. VII.

Albiga. Castrum. Rapistagnum. Galliacum. vinum Albigense laudatum.




N Aquitania prima quartas partes tenet Albiensium, siue Albigensium Ciuitas. Albiga Gregorio Turonensi, ex Paulino: *Si enim hos* Lib. 2. c. 13. *videas dignos Domino sacerdotes vel Exuperium Tolosæ, vel Simplicium Viennæ, vel Amandum Burdegalæ, vel Diogenianum Albigæ, vel Dynamium Ecolismæ, &c.* Albige eidem Turonensi, in pactione pacis inter Childebertum & Guntranum Reges: Lib. 9. c. 20. *Pari conditione ciuitates Meldis, & duas portiones de Siluanectis, Turonis, Pictauis, Abrincatas, Vico Iuli, Consoranis, Lapurdo, & Albige, Domnus Childebertus Rex, cum terminis à præsenti die suæ vindicet potestati.* Et Constantio Albiensi Episcopo, in Epistola ad Desiderium Caturcensem Episcopum, apud Tom. 5. Antiq. lect. Canisium: *Precamur enixè, & quasi pedibus aduoluti, vt si euenit quòd natiuitatem Domini in territorio Alugensi* (lege Albigēsi) *celebrare deliberetis, sic vos merear in apostolatu videre, vt in ciuitate vestra Albige ipsa solennitate in Dei nomen celebrare debeatis.* Hist. Albig. cap. 25. Albia Ciuitas Petro Vallissarnensi: *Venit idem Comes Albiam, erat autem Albia Ciuitas quam tenuerat Vicecomes Biterrensis; Episcopus autem Albiæ Guillelmus, qui erat Dominus Ciuitatis principalis, gratanter suscepit illum dominum & tradidit ei ciuitatem.* In eodē pago Albiensi oppidum Castrum vulgò, *Castres*, olim celebre Monasterio Ordinis sancti Benedicti, quò Corpus B. Vincentij Martyris Valentiâ ciuitate Hispaniæ vbi latebat, ob metum

Sarracenorum

Sarracenorum translatum. Aimoinus Monachus: *Anno* Lib. 5. c. 20.
DCCCCLV. *diuinâ reuelatione corpus B. Vincentij à Valentia Hispaniæ ciuitate, per quendam Monachum Audaldum nomine, deportatum est, & apud Monasterium Beati Benedicti, quod Castrum vocatur, situm in pago Albiensi, conditum.* De translatione eiusdem Martyris duos libros scripsit idem Aimoinus. Castra in plurali Petro Vallissarnensi: *Cùm* Hist. Albig. *hæc agerentur Burgenses cuiusdam nobilissimi Castri, quod di-* cap. 22. *citur Castra, in Albigensi territorio, venerunt ad Comitem nostrum.* & alio loco: *Venit ergo ad Castrum, quod Castra di-* Hist. Albig. *citur, & Burgenses reddiderunt ei Castra.* In pago Albi- c. 42. & 60. gensi memorantur & alia oppida. Rapistagnum, siue *Rabastens*, Galliacum, & alia de quibus Vallissarnensis: *Nomina autem Castrorum nobilium, quæ tunc temporis sunt* Hist. Albig. *amissa sunt hæc, in Albiensi Diœcesi, Rabastens, Mons acutus,* cap. 58. *Galliacum, castrum de Graua, Cahusacum. S. Marcellus, Guespia, S. Antoninus.* In quo vltimo deceptus; nam reuerâ Castrum sancti Antonini situm in pago Rutenensi, vt supra obseruatum. Nec silendum Albigenses, imprimis Galliacum & Rapistagnum laudatissimi vini copiâ iam olim præstare, vnde & Albigẽses graue tributum vini & annonæ in specie præstiterunt, quo tandem eos leuauit Ludouicus Pius, tum Rex Aquitanorum. Aimoinus: *Quo tempore Albigenses tributo, quod* Lib. 5. c. 3. *in dando vino & annona grauabantur sua liberalitate releuauit.*

CAP. VIII.

Cadurci, an liberi populi. Diuona Cadurcorum. Academia Cadurcensis, Vxellodunum. Captenacum. Mons Albanus. Cosa, seu Villa S. Rufinæ. Moyssiacum. Figiacum. Rocca Amatoris, Martellũ, Brunichildis Castrum.



IN Aquitania prima proximum ab Albigensi gradum tenet ciuitas Cadurcorum. Cadurci Aquitanicæ primæ populi Narbonensi Prouinciæ finitimi. Plinius : *Rursus Narbonensi Prouinciæ contermini Rutheni, Cadurci, Antobroges, Tarnéque amne discreti à Tolosanis Petrocorij*, &c. Locus valdè deprauatus, sed ita restituendus. Cadurci, Nitiobriges, Tarne amne discreti à Tolosanis: Petrocorij. Pagus Cadurcorum à Tolosano Tarne amne diuiditur. confines pagos signat Theodulphus Aurelianensis apud Canisium, in carmine de pugna volucrum, quæ consertis agminibus spectata est in cœlo, in confinio Cadurcorum & Tolosanorum,

Lib. 4. c. 19.

Tom. 5. Antiq. lect.

Nempe Tolosani locus est rurisque Caturci
Extimus hoc finit pagus vterque loco.

Tarnem etiam Diœcesi Cadurcinæ terminum ponere videtur, Constantius Episcopus Albiensis, in epistola ad Desiderium Caturcensem Episcopum, cùm eum Albigam vocat, & rogat vt prænunciet quantò ocyùs Tarnem transiturus sit: *Interim quæso denunciate nobis, quàm celeriùs vltrà Tarné*, (lege Tarnem,) *accedere deliberatis: aut vbi possimus quod sæpè desideramus, ve-*

Apud Canis. tom. eod. Antiq. lect.

stram merere præsentiam. Nonnulli liberos siue Eleuteros Cadurcos fuisse opinantur, & sic accipi volunt locum Cæsaris: *Parem numerum Aruernis, adiunctis Heleuteris Cadurcis, Gaballis, Velaunis qui sub imperio Aruernorum esse consueuerunt.* Magisque in hanc sententiam mouentur, quòd paulò post idem Cæsar Heleuteros Suessiones dicit: sed longè à verosimili alienum est, Heleuteros referri ad Cadurcos, nam Romani in republica Græcis vocibus abstinuêre, & Cæsar potiùs liberos quàm Heleuteros, quæ Græca locutio est dixisset, vt solent alij scriptores Romani: tum temporibus quibus hæc Cæsar scribebat, Cadurci adeò non fuêre liberi, quinimò sub imperio Aruernorum fuerunt, teste ipsó Cæsare: & ideò Gallis fere vniuersis ad libertatem prouocantibus, Vercingetorige Aruerno Duce, Cadurcis vnà cum Aruernis miles imperatus, tum Gallia nondum composita & in Prouinciam redacta erat: necdum Galliarum ciuitates bene meritæ, vel virtute spectatæ libertate donatæ; nam si qui Galliarum populi ob bene merita, vel virtutem, libertatem seruarunt, hoc demùm beneficium accepêre cùm Gallia in prouinciam redacta, túncque distincti liberi populi à prouincialibus, vt insinuat Tranquillus. *Cæsar omnem Galliam præter socias ac bene meritas Ciuitates in Prouinciæ formam redegit.* Vnde corruptum esse locum Cæsaris existimo, & pro, Heleuteros, legendum Heluios, ij sunt Viuarienses Aruernis contermini; & eandem vocem tamquam irreptitiam delendam in sequentibus, vbi de Suessionibus meminit. Coniecturam fortiùs iuuat quòd Plinius Aquitaniæ populos diligenter recensuit, & ex his quosdam liberos notauit, vt Santones, Bituriges

Lib. 7. de Bell. Gall.

In Iulio cap. 25.

Lib. 4. c. 19.

cubos, Aruernos; Cadurcos inter Aquitaniæ populos numerauit, ſed libertatis charactere minimè diſtinxit. Lib. 4. Et ante eum Strabo, Auſcios & Conuenas iure Latij donatos ſcripſit. Cadurcos inter Aquitanos commendauit de linificio: ſed eos alio iure non habuit quàm cæteros prouinciales; quæ cùm ita ſint, abſit vt adornandæ patriæ ſtudio inſaniam, & affectatis dotibus iactem eam, quæ ſuis, verïſque non caret. Cadurcorum caput Duïona, Ptolemæo: Lib. 2. τοῦ ϰις ἢ καδοῦρκοι, καὶ πόλις δουήωνα. Malè interpres vertit Ducona; aliȷs Diuona, nimis deprauatè in Tabula Peutingeri Bibona, pro Diuona. Eo etiam nomine dictus fons ſacer apud Burdegalam, Auſonio, In Burdegala.

Diuona Celtarum linguâ fons addite Diuis.

Lib. 2. hiſt. Franc. c. 12. Diuona poſterioribus Cadurcum dicta. Gregorius Turonenſis: *Placidina verò mater eius* (Archadij) *& Alchima ſoror patris eius comprehenſæ, apud Cadurcum vrbem, rebus ablatis, exſilio condemnatæ ſunt:* & in exemplo pactionis inter Guntranum & Childebertũ Reges apud eundem Turonenſem: Lib. 9. c. 20. *De Ciuitatibus verò, hoc eſt Burdegala, Lemouica, Cadurco, Benarno, & Begorra, quas Gaileſuindam germanam domnæ Brunichildis tam in dote, quàm in Morganegiba, hoc eſt matutinali dono, in Franciam venientem certum eſt adquiſiſſe, Quas etiam per iudicium glorioſiſſimi Domni Gunthramni Regis vel Francorum, ſuperſtitibus Chilperico & Sigiberto Regibus, domna Brunichildis noſcitur acquiſiſſe, Ita conuenit, vt Cadurcum Ciuitatem cum terminis, & cuncto populo ſuo domna Brunichildis de præſenti in ſua proprietate percipiat.* Lib. 1, c. 4. Eadem Cadurx Aimoïno, & inter clariores Aquitaniæ vrbes numeratur. *In Aquitania continentur vrbs egregiæ Narbona, Aruernus, quæ nunc Clarus*

mons vocatur, Cadurx, Tolosa, Gaualis, Rotenus, Lemouis, Petragorica. Sequiori æuo Caturcum, vel Caturcium vt in vita MS. S. Desiderij Caturcensis E. & in vita D. Bernardi Clarçuallensis, & passim in veteribus chartis. Lib. 4. c. 4.

Litterarum studijs iam olim claruit hæc ciuitas, horum famâ motus Exuperius Rhetor Tolosanus, varijs honoribus perfunctus, Cadurci in otio litterario vitam finiuit, de quo Ausonius, In profess.

Decedens placidos mores tranquilláque vitæ
Tempora prædiues finisti sede Cadurcâ.

Hinc patrij decoris tuendi studiosus Ioannes XXII. P. M. Academiam in hac vrbe instituit anno Christi MCCCXXXI. quæ clarissimos varijs temporibus edidit professores, Goueanum. Cuiacium, Benedictum, Fr. Roaldesium, Gerard. Vaxeum, Ioan. Costam. Emundũ Merillium & alios, inter quos nec tacebo auos meos maternos, Antonium, Ludouicum & alterũ Antonium de Petrucia, qui cathedras; & prætoria tribunalia pari dignitate tenuerunt. In pago Cadurcensi memorantur & alia oppida non ignobilia, quæ hîc in censum referre non pigebit. Vxellodunum oppidum in finibus Cadurcorum in prærupto monte situm, amne cinctum, quod difficillimâ obsidione Cæsar à se expugnatum scribit, Lib. 8. de Bell. Gall. & post eum I. Frontinus lib. 5. Stratag. cap. 7. cuniculis auerso fonte, & fluminis vsu per sagittarios telis prohibito; & omnes qui arma tulerant, manibus truncatos, vt reliqui exemplo supplicij coërcerentur. Nonnullis idem cum Captenaco, de quo meminit Autor vitæ S. Geraldi Aureliacensis Comitis: *Et cùm nihil* Lib. 2. c. 33. *bi ad remedium reperire posset, ad Captenacum transmittens quam de manibus Domini Geraldi clam sibi deferri fecit*. Sed veriùs Iosepho Scaligero, & alijs est locus propè,

Martellum oppidum, deſcriptioni Cæſaris conuenientiſſimus, & flumen, cuius nomen tacuit Cæſar, eſt Doronia. Ac ne dubites, locus priſcum nomen retinet *Vſſoldun*, ſiue, *lo puech d'Vſſoldun*. Id eſt podium Vxelloduni. Mons albanus, caſtrum in finibus Cadurcorum, & Toloſanorum, ad Tarnem amnem olim ditionis Comitis Toloſani. Petrus Valliſſarnenſis : *Quo facto arripientes Comitem Balduinum duxerunt eum ad quoddam Caſtrum Comitis Toloſani, quod dicitur Mons Albanus.* Locus olim dictus Mons Aureolus, nobilis cœnobio D. Martino ſacro, vbi S. Theodardus, ſiue Audardus Archiepiſcopus Narbonenſis ſepultus, vt legitur in ipſius vita, quam Gu. Catellus edidit ex Sanctorali Bernardi Guidonis: *Poſtquàm ergo prædictus vir Dei Theodardus maniſeſtè ac penitùs indubitanter agnouit vocari ſe diuinitùs ab hoc ſeculo, in ſuum quod quondam parentes eius in proprio, vt fertur, prædio ſub ſancti Martini Turonenſis olim Epiſcopi venerabili ſemper, ac perpetua memoria conſtruxerant, cœnobium ſuum, iter illicò vertit, vt ibi proprium ab hac luce recedens redderet Domino ſpiritum. Eſt autem iam dictum Monaſterium in Caturcenſi territorio in monte qui Aureolus nuncupatur, ad cuius montis radicem fluuius quidam decurrit, quem indigenæ regionis ipſius Teſconem vocant, hic ſuo decurſu confinia Toloſani, Caturcenſiſque ruris liquido dirimit patenter influxû, qui à prædicto monte recedens poſt modicum terræ ſpatium Tarno immergitur flumini.* & à ſepultura Theodardi cœnobio acceſſit nomen S. Theodardi, idque Epiſcopali cathedrâ inſignitum à Ioanne XXII. vt notum eſt ex Extrauagāti, Saluator, vbi emendatione indiget vulgata lectio, & pro Theodori, reſtituendum Theodoardi, vt primus deprehendit G. Catellus ſuprà à me lau-

Hiſt. Albig. cap. 75.

De præb. & dignit. in extr. comm.

datus. Religione & pietate, è cœnobio ſurrexit oppidum, ſed id iam ab æuo peſſima rerum conuerſione hæreſis arx & quaſi Capitolium factum eſt. Coſa etiam oppidum fuit in finibus Cadurcorum memoratum in tabula Peutingeri, in itinere à Diuona Toloſam, nomen retinet *Chos* caſtrum, quod & villa Sanctæ Rufinæ, ab Eccleſia eidem Virgini ſacra, quæ cœnobij Moiſſiacenſis cella, & prioratus eſt, & accepta refertur Vuillelmo Comiti Toloſano ex donatione anni M. LXI. quę habetur inter traditiones Moyſſiacenſes: *Cedo iure donationis totam illam Eccleſiam quæ eſt conſtructa in honore B. Petri Apoſtoli, & ſanctarum Rufinæ & Iuſtinæ Virginum Chriſti, & eſt ſita in pago Caturcino ſuper ripam Auarionis aluei iuxta caſtrum Chos cognominatum.* Moyſſiacus, ſiue Moſaïcum Cadurcorum oppidum amœniſſimũ, ſitum ad Tarnem amnem, nomen repetit Petrus Valliſſarnenſis ab Hebraïco Moys, quod aquam ſonat: ex eo ſcilicet, quòd fontibus abundet: *Caſtrum autem Moſaïci,* inquit, *tum erat ad pedem montis in quadam planicie prope fluuium Tarni in loco plurimum fertili & amœno. Vocatur Moſaïcum à Moys, quod eſt aqua, eò videlicet quòd dulciſſimis intus fontibus abundat.* Ibi cœnobium ex voto pro ſucceſſu belli Gothici aduersùs Alaricum à Clodouęo primo Francorum Rege ædificatum fertur, anno Chriſti DVI. ex Chronico Moyſſiacenſi nondum edito, de quo plura ſuo loco. Figiacum, ſiue Fiacum Cadurcini pagi oppidum inſigne Monaſterio, quod à Pipino Francorum Rege exædificatum & præſente Stephano Papâ, Angelicâ manû conſecratum, anno Chriſti DCCLV. vt agnoſcit Pipinus ipſe in Tabulis fundationis, quas in manibus habeo. *Notum* inquit, *eſſe volumus cunctis Chri-*

Sub tit. de S. Rufina.

Hiſt. Albig. cap. 63.

Vverner. in Faſc. temp. ſub A. C. 744.

ſtum colentibus præſentibus ſcilicet & futuris, qualiter locum in conualle Lunantis olim à prædeceſſoribus noſtris in pago Caturcino conſtructum, & ab aquis irruentibus iam penè diſſipatum, nos proximâ ſyluâ in eodem pago habiliori loco, cui Fiacum nomen impoſuimus mutantes monaſterium, & cetera ædificia à fundamentis ædificauimus, quod præſente Domino Stephano Papa mirabiliter à Deo conſecratum proſpeximus, vbi monachorum turmam, ſub cultu religionis diuinâ miſerante clementiâ congregauimus, cui, auctore Deo, venerabilem virum Anaſtaſium Abbatem ordinauimus. Huic ergo loco Fiaco per hos noſtros regales apices prædictum Monaſterium Lunantem, cum omnibus Eccleſiis rebus & mancipijs ad ſe pertinentibus, vel aſpicientibus ſolenni donatione tradimus, & ab omni poteſtate humana iam dictum Fiacum liberum eſſe præcipimus, nihilque in eo nos ipſi, niſi tuitionem & orationum iuuamina retinemus.

Figiacenſe monaſterium, Cluniacenſis Ordinis: ideò Petrus Cluniacenſis Abbas, Ademaro Figiacenſi Abba-
Lib. 6. ep. 1. ti diem dicit, vt ad ſe veniat reatûs purgandi gratiâ. Rocca Amatoris Cadurcenſis pagi vicus, in aſpera eremo, nobilis æde Mariæ Virgini ſacrâ, quæ ædificata à Beato Amatore, quem Chriſti in cunis baiulum ſeu nutricium fuiſſe ferunt. Hic locus miro peregrinantium confluxu frequẽtatur. Hunc religionis causâ olim adijt Henricus II. Rex Anglorum, & Dux Aquitanorum de
In ſupp. Sigeb. A. C. 1171. his Robertus Montenſis: *Henricus Rex Anglorum perrexit cauſa orationis ad Roccam Amatoris, qui locus in Cadurcenſi pago montaneis & horribili ſolitudine circumdatur, Dicunt quidam quòd Beatus Amator famulus Beatæ Mariæ, & aliquando baiulus, & nutricius Domini fuit, & aſſumpta piiſſima matre Domini ad æthereas manſiones, ipſe Amator præmonitus ab ea ad Gallias tranſfretauit & in prædicto loco vitam Eremiticam*

mitican


miticam transfegit. Quo transeunte, & in introitu oratorij Beatæ Mariæ sepulto, locus ille diu ignobilis fuit; excepto quòd vulgò dicebatur ibi Beati Amatoris corpus requiescere, licèt ignoraretur vbi esset. Anno ab incarnatione Domini MCLXVI. *quidam indigena huius regionis ad extrema veniens præcepit familiæ suæ, diuinâ forsitan inspiratione, vt in introitu corporis sui glebam sepelirent: effossa itaque terra, corpus Beati Amatoris integrum reperitur; & in Ecclesia iuxtà altare positum, integrum illud peregrinis ostendunt, & ibi fiunt miracula multa, & antea inaudita per Beatam Mariam, &c.* Huius sacræ ædis thesauros sustulit, & thecam reliquiarum Amatoris decorticauit, id est argento abrasit Henricus iunior Rex Anglorum. Rogerus Hoüedenus: *Rex filius deficiente sibi pecunia perrexit ad Mariam de Rupe Adamatoris, & decorticauit feretrum sancti Amatoris, & thesauros Ecclesiæ asportauit.* Martellum oppidum in finibus Cadurcorum, vbi idem Henricus Iunior à rupe Amatoris Lemouicum rediens præcipiti fato, sacrilegij pœnas dedit, vt scribit idem Hoüedenus. Brunichildis castrum in pago Cadurcino vice Comitatus honore pollens; Prioratus immediatè subditus Monasterio Moyssiacēsi: Traditiones Moyssiacenses, passim Brunichildis castrū vocant, ex eo haud dubiè quòd à Brunichilde Regina ædificatum fuerit. Coniecturam suadet, quòd Gregorium Turonensem duobus locis testem habemus: Cadurcū cū vniuerso pago Brunichildi Reginæ datū. Et eandem ædificandi studiosam, alia etiam opera condidisse in Aquitania nimirū in sylua Leccenna in confinio Biturigum, & Aruernorum scimus ex Aymoino. *Est in (Aquitania) sylua vocabulo Leccenna, non contemnendæ magnitudinis, Biturigibus, atque Aruernis confinis; in qua*

Ad an. Chr. 1183.

Lib. 9. c. 11. & 20.


Lib. 1. de gest. Franc. cap. 4.

vsque hodie ostenditur lapidea domus Brunichildis Reginæ quondam Francorum, amœno satis, vt nos quoque aspeximus, sita loco.



CAP. IX.

Lemouices. Ratiastum caput Lemouicum. Briua Curretia. Solemniacum. Torinna. Calucium, Grandimontium. Nobiliacum. Vsarchia.



INTER Aquitaniæ ptimæ vrbes proximam à Cadurco ceram implet Lemouicum Ciuitas, Lemouices Straboni inter Aquitanos locantur, εἶτα Α'ρυερνοὶ, καὶ λεμόβικες, καὶ πετροκόριοι: *Deinde Aruerni & Lemouices & Petrocorij.*
Lib. 4. Eosdem Aquitaniæ accenset Sidonius, vbi Aquitaniæ cladem, & Gothorum sæuitiam deplorat: *Burdigala,*
Lib. 7. ep. 6. *Petrocorij, Ruteni, Lemouices, Gabalitani, Helusani, Vasates, Conuenæ, Auscenses, multóque iam maior numerus ciuitatum, latum spiritualis ruinæ limitem traxit.* Posterior ætas, Lemouicinum pagum regionem Armoricanam vocitauit, vt suprà obseruauimus, & nescio qua de causa Armoricæ nomen, quod antè fuit vniuersæ Aquitaniæ, Lemouicũ, quod est pars Aquitaniæ, proprium factum. Lemouices quàm bello & viris potentes fuerint, satis disces ex eo, quòd in tumultu Galliarum qui Vercinge-
Lib. 7. de Bell. Gall. torigem ducem habuit, Cæsar ipse Lemouicibus X. millia armatorum militum imperata scribit. Lemouicum caput est Lemouica vrbs sita ad Vigennam amnem, de qua in exemplo pactionis inter Childebertum

& Guntranum Reges apud Turonensem: *De Ciuitatibus verò hoc est Burdegala, Lemouica, Cadurco, Benarno, & Begorra, quas Gailesuindam germanam domnæ Brunichildis, tam in dote, quàm in Morganegiba, hoc est matutinali dono in Franciam venientem certum est adquisisse.* Lemouix Aimoino: Lemouice Galliarum vrbe natus Eligius ex Aurifice Nouiomensis Episcopus, *quæ ciuitas,* inquit Audoënus Rothomagensis in eius vita *partibus sita Armoricanis in vlteriore Gallia, primáque Aquitania.* Lemouicum oppidum Ratiastum Ptolemæo. ἐν δὲ τῇ μεσογαίᾳ τῖς μὲν πίκτοσιν ὑπόκεινται λιμουΐκοι, καὶ πόλις ῥατίαστον. *In mediterranea autem Pictonibus subiacent Lemouices & Ciuitas Ratiastum.* Briua Curretia olim vicus in Lemouicino; nunc oppidum, de quo Gregorius Turonensis: *Qui coniunctus cum supradictis ducibus Lemouicinum accedens Briuam Curretiam vicum, in quo sanctus Martinus nostri vt aiunt, Martini discipulus requiescit, aduenit.* Briua simpliciter Ruricio Lemouicensi, in epistola ad Constantium: *Moneo vt crastino, quod erit quarta feria, Briuas temperiùs tamen, quod te facturum minimè credo, mihi ieiunus occurras.* Curretia dicta à Curretia amne, qui ipsam alluit, corruptè nostris *Briue la Gaillarde.* Alia est Briua in Aruernis de qua diximus. Solemniacum oppidum in Lemouicino pago, cœnobio ibi ab Eligio Nouiomensi ... ædificato celebre, de quo Aimoinus: *Ille enim dum in palatio gratam Deo & hominibus ageret vitam à Rege Dagoberto petierat, condonari sibi villam in pago Lemouicino sitam, Solemniacum cognominatam, in qua & Monasterium construxit & congregationem Deo seruientium Monachorum statuit.* De quo etiam Audoënus in vita S. Eligij, Et Ionas in vita S. Eustasij Abbatis Luxouiensis apud Su-

Lib. 9. c. 20

Lib. 1. de gest. Fr. c. 4.

Apud Sur. Tom. 6. 1. 24. Aug.

Lib. 2.

Lib. 7. c. 10.

Lib. 2. ep. 23.

Lib. 4. de Gest. Franc. cap. 41.

Tom. 6. 24. Augusti.

Tom. 2. 29. Mart.

rium, Verùm illud infestis Sarracenorum per Aquitaniã excursionibus vastatum Ludouicus Pius instaurauit,seu potiùs à fundamentis ædificauit, vt memorat Autor Anonymus eius vitæ. Diu religionis studiis floruit hoc Monasterium; hac de causa solennibus diebus id fre-

Lib. 1. c. 9. quentabat Geraldus Comes Aureliacensis, vt prodit Odo Cluniacensis Autor eius vitæ. *Festiuus dies Dominicæ Ascensionis aduenerat, cùm quidem ille Solemniaco Monasterio, vt est iuris solennis celebraturus accucurrit.* Torinna, siue Torenna castrum munitissimum in Lemouicibus à Pipino expugnatum, quòd partium Vvaifarij Aquitanorum Ducis præsidium esset. Annales Francorum:

A. C. 767. *Multas Roccas & speluncas conquisiuit, castrum Scoraliam, Torinnam, Petrociam, & reuersus est Bituricam.* Aquitaniâ Normannorum incursionibus laborante, thesaurus sancti Martialis è Lemouico custodię causa Torennam deportatus. Odo Cluniacensis, Autor vitæ S. Geraldi Aureliacensis Comitis: *Godefredus ille Torennensis Comes quadam vice collectò militum agmine festinabat, vt hunc virum Dei bellando lacesseret, aut quæ erant iuris illius deuastaret,* &c. & paulò pòst. *Thesaurum quippe sancti Martialis Torennæ custodiebat, qui pridem ob metum paganæ gentis illuc fuerat deportatus.* Turonium corruptè Roberto Mon-

In supplem. Sigeb. A.C. 1177. tensi: *Castrum etiam munitissimum, & arte & natura Turonium Vicecomes eiusdem castri reddidit eidem.* (Henrico II. Regi Anglorum.) In hunc diem Torenna Vice-comitatus tantùm honore gaudet, vulgò, *la Vicomté de Turene.* Calucium Castrum in Lemouicino pago ditionis Vicecomitis Lemouicensis in cuius obsidione Richardus I. Rex Anglorum telo vulneratus cecidit. Calidum


Ad An. Ch. 1199. Lucium de Capreolo, Rigordo: *Richardus Rex Angliæ*

iuxta Lemouicum ciuitatem grauiter vulneratus occubuit: Obsederat enim castrum quoddam quod Calidum Lucium de Capreolo Lemouicenses vocant, &c.
Calacis patria Guillelmo Britoni. Lib. 5. Philippid.
Lemouicâ regione procul mirabile factum
Contigit in Calacis patria, &c.
& paulò pòst,
-------- *Ergo cohortes*
Concitat & Calacis se mœnibus applicat armis.
Rogero Hoüedeno Chaluz: *Venit ergo Rex Angliæ cum exercitu magno in partes illas ad prædictum Vice-Comitem debellandum, obseditque castellum suum quod dicitur Chaluz*, A. C. 1199. vulgò nomen retinet. Tutelensis vicus pagi Lemouicini insignis cœnobio Benedictini Ordinis, de quo Odo Cluniacensis, in sermone de Combustione Basilicæ B. Martini: *Sanctus quoque Martinus cuidam pauperculo per visum apparuit & quasi conquerens dixit, quòd in sua domo sit iniuriatus, & concitè sit inde migraturus atque ad Tutelensem vicum peruenturus.* & rursus: *Nam & priusquàm illam prædicti domni Martini Basilicam rogus absumeret, quibusdam fidelibus visum est, quòd in Tutelensi Ecclesia isdem sanctus Martinus cum sancto Michaële staret, eúmque de cura ipsius cœnobij iurando monuerit.* Idémque Odo in præfatione vitæ Geraldi Aureliacensis Comitis. *Sed cùm causa insisteret vt Tutelensis cœnobij fraternitatem inuiseremus.* Tullum vocitat Aurelianus scriptor vitæ sancti Martialis. *Ingressus itaque Lemouicinium venit ad Tullum castellum, & ibi receptus est in hospitium ab Arnulpho diuite* vulgò *Tulle.* cœnobium à Ioanne XXII. erectum in sedem Episcopalem. Grandismons locus celebratissimus in Lemouicino, vbi Monasterium caput Ordinis Grandimontensis,

Tutelensis vicu
Ecclesia
Cœnobium

Cap. X.

Gabali, Anderedum, matrix Gabalorum. Mimate. Gredonense castrum. Vellauni Ruessium, Anicium, siue Podium Velaunorum. Podomniacus, siue Poliniacum castrum. Calminiacum.



EMOVICAS ordine proximè sequitur Ciuitas Gabalum, siue Gabalorum; Gabali populi Aquitaniæ primæ; proximi Aruernis, quorum sub imperio esse consueuerât. Cæsar: *Altera ex parte Gabalos proximósque pagos Aruernorum in Heluios.* Et eodem in Commentario: *Parem numerum Aruernis adiunctis Heleuteris, Cadurcis, Gaballis, Velaunis, qui sub imperio Aruernorum esse consueuerunt.* Iidem Narbonensi prouinciæ contermini. Strabo: ῥουτηνοὶ δ' καὶ γαβάλεις τῇ ναρβονίτιδι πλησιάζουσι: *Narbonensi propinquant Ruteni, ac Gabales.* γαβάλεις, Straboni, Gabales Plinio: *Aruerni liberi Gabales.* Gabali, Gaballi Cæsari, γάβαλοι Ptolemæo Sic enim legendum pro τάβαλοι. Gabalitani Sidonio, & Gregorio Turonensi. Gabalici pagi meminit Plinius. Gabalorum caput fuit, Anderedum Ptolemæo: ὑφ' οὓς γάβαλοι καὶ πόλις ἀνδέριδον. In notis Tyronis, Gabal, id est Gabalus, Anderetum & in Tabula Peutingeri, vbi describitur iter à Segoduno Rutenorum ad Anderetū, hodie *Ghaus*. In imò montium, velut in profundo putei situm describit Sidonius.

Lib. 7. de Bell. Gall.

Lib. 4.

Lib. 4. c. 19.

Lib. 6. ep. 7.

Lib. 11. c. 42

Lib. 2.

In propêpt. ad Libell.

Tum terram Gabalum satis niuosam

Et quantum indigenæ volunt putari
Sublimem in puteo videbis vrbem.

Sed Barbaris irruentibus in Gallias Anderetio, ceu Gabalo euerso Sedes Episcopalis Mimate translata. Vicus fuit temporibus S. Priuati Gabalorum Episcopi, vt legitur in eius vita, cui nomen à proximo monte Mimatensi, in quem S. Priuatus orationis causâ secedere solebat, de quo Gregorius Turonensis: Exinde Mimate velut sedes Priuati celebrata. Idem Turonensis: *Ecce adest Iulianus à Briuate, Priuatus ex Mimate, Martinus à Turonis, Martialisque ab vrbe propria*, vnde & Mimate confusa cum Gabalis, & quam vno loco Turonensis Mimate vocitauit, alio loco nuncupat Gabalis. *Adest Priuatus ex Gabalis*, eadémque Gabalus Fortunato,

Lib. 1. hist. cap. 34. Lib. 10. hist. cap. 28. Lib. 2. de mira. Mart. cap. 30. Lib. 8. c. 4.

Priuatum Gabalus, Iulianum Aruernus abundans
Ferreolum pariter pulchra Vienna gerit:

In pago Gabalico memoratur Gredonense castrum Gregorio Turonensi: *Inruentibus autem Alamannis in Gallias sanctus Priuatus Gaballitanæ vrbis Episcopus, in crypta Memmatensis montis, vbi ieiuniis, orationibúsque vacabat reperitur, populi Gredonensis castri munitione conclusus.*

Lib. 1. hist. cap. 34.

Aquitaniæ primæ Metropolim colit, & Ciuitas Vellaunorũ, Vellauni, siue Vellaui Cæsari populi Aruernis proximi, sub quorum imperio esse consueuerunt, Imò olim Aruernis attributi, sed posteà sub Augusto ciuitatem per se constituerunt. Strabo: Οὐελλάϊοι δὲ μετὰ τούτους οἱ προσωρίζοντό ποτε Ἀρουερνοῖς νῦν δὲ τάττονται καθ' ἑαυτούς. *Et Vellaunij qui olim Aruernis adscribebantur, nunc per se ciuitatem constituunt.* Male Ptolemæus locat ὑπὸ τοὺς Αὐσκίους. Vellaunorum Ciuitas Ῥούεσσιον Ptolemæo Anicium nostris. Gregorius Turonensis: *Ingressus*, inquit, *Vellaunæ*


Lib. 7. de Bell. Gall. Lib. 4. Lib. 2. Lib. 10. c. 25

Vellauæ vrbis terminum, ad locum quem Anicium vocitant. Accedit Petrus Cluniacensis: *Præterito Beatæ Dei genitricis festo apud Anicium Regalem Curiam, cui ipse necessitate, non voluntate interfui, adierunt.* Nec non dicta est Podium Vellaunorum, ab editissimo monte, in cuius radice sita est, Podium Galli vocant, vulgò *le Puy en Vellay.* Gregorius VII. P. *Exemplo*, inquit, *Caroli Magni, qui in tribus locis annuatim colligebat mille & ducentas libras, ad seruitium Apostolicæ Sedis, id est Aquis granis, apud Podium sanctæ Mariæ, apud sanctum Ægidium.* Ait Podium sanctæ Mariæ; nam Ecclesia Cathedralis est dicata Virgini Mariæ, miraculis & peregrinantium frequentiâ valde celebris: & Rigordus, *In ciuitate Aniciensi quæ vulgò nunc Podium dicitur.* Nec prætereundum Poliniacum castrum munitissimum, & antiquissimum in Vellaunis, quod Vice-Comitatus honore gaudet. Continuator Aimoini: *Nam Claromontensis Comes, & nepos eius Comes Podiensis Guillelmus, atque Vicecomes de Poliniaco instinctu diaboli exagitati, rapinis miseram vitam agere consueuerant.* Blandè Gabriel Symeonius, & post eum Sauaro commenti arcem illam Apollinarium fuisse, & inde nomen sumpsisse; nam vetus nomen Castri, Podomniacus, vt sæpius legi in veteribus chartis. Calminiacum in diœcesi Aniciensi, hîc Calminius ciuis Aruernus Monasteriũ, quod dicitur S. Theofredi à fundamentis ædificauit, dotauítque, & de suo nomine Calminiacum appellauit, vt legitur in vita sancti Calminij, vulgò S. *Chafre*: hoc monasterium instaurauit Ludouicus Pius, teste incerto Scriptore vitæ ipsius, vbi dicitur monasterium S. Theotfridi.

Lib. 7. ep. 19. — Lib. 3. ep. 25. — In Philipp. A. C. 1183. — Lib. 5. c. 56. — In epist. 6. Sidon. lib. 4. — Cap. 7.

Cap. XI.

Bituriges Cubi. Bituriges Vibisci. Burdegala metropolis Aquitaniæ. Nouiomagus. Ebromagus. Blauia. Meduli. Metullum, Condate. Alingonis oppidum. Reontium. Syluæ Maioris Monast.



Suid. in voce βίρδιγαλα.

SECVNDÆ Aquitaniæ Metropolis, & caput est Burdigala. Suidæ πόλις Κελτογαλατίας, Ciuitas Biturigum Viuiscorum. Duplices in Gallia Bituriges; alij Bituriges Cubi ad Ligerim, quorum Metropolis Auaricum Biturigũ, *Bourges en Berry*. Alij Bituriges Vibisci ad Garumnam, ij sunt

Lib. 4.

Burdigalenses. ἰοσκοὺς appellat Strabo: ἐκβάλλει δ' ὁ μὲν γαρουνᾶς τρισὶ ποταμοῖς αὐξηθεὶς εἰς τὸ μεταξὺ βιτουρίγων τε τῶν ἰοσκῶν ἐπικαλουμένων καὶ σαντόνων: *Garumna tribus auctus fluminibus, effluit inter Bituriges Ioscos, & Santones.*

Lib. 4. c. 19.

Vbiscos Plinius: *Bituriges cognomine Vbisci.* Ptolemæus ὀυιβίσκους, id est Vibiscos, siue Viuiscos: Viuiscam gentem Ausonius, vbi se Burdegalensem profitetur,

In Mosella.

Hæc ego Viuisca ducens ab origine gentem.

& ita Ciuitas Biturigum Viuiscorum, pro Burdigala accipitur, in inscriptione veteri Burdigalensi.

AVGVSTO. SACRVM.
ET GENIO. CIVITATIS.
BITV. VIV.

Hoc est Biturigum Viuiscorum. Bituriges Viuisci

liberi fuere. Strabo : μόνον γὰρ δὴ τὸ τῶν βιτουρίγων τούτων ἔθνος ἐν τοῖς Ἀκουϊτανοῖς ἀλλόφυλον ἵδρυται, καὶ οὐ συντελεῖ αὐτοῖς : *Solà enim horum Biturigum gens inter Aquitanos peregrina degit, & tributum cum illis non pendit.* Lib. 4.
Vrbs sita est ad ostium Garumnæ, quà is ad Oceanum accedens eundem æstum patitur cum Oceano, emporium per Gallias celeberrimum. Idem Strabo : ἔχει δὲ ἐμποριον βουρδίγαλα, ἐπικείμενον λιμνοθαλάττῃ τινὶ ἣν ποιοῦσιν αἱ ἐκβολαὶ τοῦ ποταμοῦ : *& habet emporium Burdigala impositum paludi marinæ, quam Garumnæ ostium efficit,* quod carmine expressit Ausonius, Lib. 4. In Burdegala.

Feruent æquoreos imitata fluenta meatus :

& paulò pòst,

Per mediúmque vrbis fontani fluminis alueum
Quem pater Oceanus refluo cùm impleuerit æstu
Allabi totum spectabis classibus æquor.

Et Sidonius in epistola quâ Trigetium Burdegalam vocat : *Ecce,* inquit, *iam Leontius meus facilè primus Aquitanorum; ecce iam parum inferior parente Paulinus ad locum quem supra dixi per Garumnæ fluenta refluentia, non modò tibi cum classe, verùm etiam cum flumine occurrent.* Ideò æquoreum Garumnam appellat Ausonius, Lib. 8. ep. 12. adde Pauli. in Euchar. In Mosella. in fin.

Æquoreo te commendabo Garumnæ.

In Burdegalæ nominis etymo variant Autores : à Burgis Gallis conditoribus id repetit Isidorus; *Burdegalim appellatam ferunt, quòd Burgos Gallos primùm colonos habuerit, quibus anteà cultoribus impleta est.* Per Burgos Gallos, quos intellexerit Isidorus iam subodoratus est Elias Vinetus in Ausonium, Bituriges Gallos scilicet, id est Bituriges Cubos, quos per syncopen Burgos appellitauit, sicut hodie eorũ metropolim quã veteres Bituri- Lib. 15. Orig. c. 1.

gas, vulgò *Bourges*, dicimus: Nec sinè ratione de Biturigibus Gallicis accipiendus Isidorus; scimus enim ex Strabone, Bituriges Vibiscos esse ἀλλοφυλᾶ. inter Aquitanos, à Biturigibus Cubis Gallicâ gēte profectos: quod expressit Isidorus dum Burdigalam dictam ponit, quòd Burgos Gallos primùm colonos habuerit. Aliam nominis originem tentauit Papias, & Burdegalim sic dictā existimauit, quòd Gallorum Burgus, id est castrum fuerit, *Burdegalis vrbs dicta, quòd Burgum hunc prius Galli habuerunt*: sed stultum est Celticæ voci Latinam, seu Græcam accersere originem. Romanis enim Burgi fuerunt castra per limitem Imperij disposita, à Græco πύργ☉: tum Burgi vox non legitur nisi apud Autores, qui à Constantino scripsere, vt Vegetius, Orosius, Honorius, & Iustinianus Imperatores; quî ergo fieri potest, vt vox medio æuo nata, antiquæ Galliarum vrbi, Straboni iam ab Augusto memoratę, nomē indiderit. Ineptiùs Domitius in Martialem, Burdegalæ etymon sibi finxit à Bardigalis, id est stultis Gallis; sed quæ ratio, planè nòn video: vt vt sit Burdegala inter claras Aquitaniæ vrbes censetur. Ammianus: *Prima prouincia est Aquitanica, amplitudine ciuitatum admodùm culta, omissis aliis multis Burdegala & Aruernis excellunt, &c.* Et Aimoinus: *In Aquitania continentur vrbes egregiæ Pictauis, Burdegalis, Sanctona, & Engolisma*, nec omittendum Burdegalam feracem vini laudatissimi, vuas Bituricas appellant Columella, Plinius, & Isidorus à Biturigibus Viuiscis quorum in solo proueniunt, vulgò, *Vin de Graue*. Præter Burdigalam, fuit aliud oppidum Biturigum Viuiscorum, nomine Nouiomagus: Ptolemæo ὑφ᾽ ὃς βιτούριγες οἱ ὀυιβίσκοι, ὧν πολεις νουιόμαγ☉,

Veg. lib. 4. cap. 10. Orof. lib. 7 cap. 32. l. 2. C. de fund. rei priuat. l. 2. C. de præf. præt. Afric.

lib. 9. epigr. 33.

Lib. 16.

lib. 2. cap. 4.

Columell. lib. 3. de re Rust. cap. 9. & 11.

βουρδίγαλα : *Sub quibus Bituriges Vibisci, quorum vrbes Nouiomagus, Burdigala.* Idem oppidum esse existimat Zurita, quod Nouioregum Antonini, sed magis assentior Eliæ Vineto, qui ex situ Nouiomagi, quem describit Ptolemæus, colligit versùs ostium Garumnæ hanc sitam fuisse, circa quem locum est Solacus, vicus nobilis, aliis S. Mariæ de Solaco. In pago Burdegalensi sunt & alia oppida non tacenda, Hebromagus, siue Ebromagus sine aspiratione, oppidum haud procul Burdegalâ impositum Garumnæ, Paulini ditionis, quod & patriam ipse Paulinus appellat, in epistola ad Seuerum: *Ebromagum enim non hortuli causâ, vt scribis, reliquimus, sed paradisi: illum hortum prætulimus & patrimonio & patriæ; quia illic magis domus vera vbi æterna, ibi veriùs patria, vbi originalis terra & principalis habitatio.* Meminit huius Ebromagi Ausonius non vno loco, vt in epistola ad Paulinum, Ep. 5. in fin.

Fer hanc salutem præpes & volucripes
Paulini ad vsque mœnia, Hebromagum loquor. Ep. 21.

Et in sequenti epistola ad eundem Paulinum, pro Philone actore suo petit hospitium apud Ebromagum coëmptarum mercium condendarum causâ: Ebromagus, si fides Iosepho Scaligero, sita ad confluentes Duranij & Garumnæ, ídque oppidum, quia in modum castri munitum fuit ab vno ex posteris Paulini, Pontio Leontio, Burgus vocatum fuit; sed probabiliùs Elias Vinetus veterem Ebromagum esse credidit vicum infra Blauiam ad Garumnam nomine *Embrau.* Et Ebromagus aliud oppidum à Burgo, quod scilicet ad confluentes Duranij & Garumnæ, quod eleganti carmine Sidonius descripsit, nomen retinet *Bourg*, vtrumque Paulini,

Ep. 22. adde eiusd. ep. 24

Auson. lect. lib. 2. cap. 9.

In edyll. 22.

nam multas ditiones, & prædia in Aquitania poſſedit, Ambroſio teſte, in Epiſtola ad Paulinum, *Splendore generis in partibus Aquitaniæ nulli ſecundum, venditis facultatibus tam ſuis, quàm coniugalibus, in hos ſe induiſſe cultus ad fidem comperi*, &c. Blauia caſtrum munitiſſimum, in Garumnæ ripa Santones ſpectante ſitum, leucis ſeptem à Burdegala, mendoſè in Itinerario Antonini Blauutum, Blauium Turpino, vulgò *Blaye*. militarem vocat Auſonius in epiſtola ad Paulum,

Ep. 36.

De geſt. Carol. M. cap. 11. & 29.

Epiſt. 10.

Aut iteratarum qua glarea trita viarum
Fert militarem ad Blauiam;

quòd ſcilicet ibi erat præſidium militum Carronenſiũ, ſub diſpoſitione Ducis tractûs Armoricani, ſecundæ Aquitaniæ in obſequio continendæ gratiâ. Notitia Imperij: *Sub diſpoſitione viri ſpectabilis Ducis tractûs Armoricani, Tribunus cohortis primæ nouæ Armoricæ Grannoua in littore Santonico, præfectus militum Carronenſium Blabiæ.* Blauia inſignis funere & tumulo illuſtrium virorum: hîc ſepulti S. Romanus Presbyter Blauienſis, Charibertus Rex Pariſiorum, & Rolandus Comes Cenomanenſis & Blauij Dominus, de quo Gregorius Turonenſis, Aymoinus, & Turpinus. Blauiam recentiores nonnulli Santonum promontorium, & Santonum portum Rupellam eſſe voluerunt, ſed ſitus ratio, quem ponit Ptolemæus reclamat: quoniam Santonum portum quum faciat Ptolemæus auſtralem, magis quã promontorium Santonum, Rupellam illi locant vbi Blauia eſt, & Blauiam vbi Rupella, vt oſtendit Elias Vinetus in Auſonium. In Pago Burdegalenſi eſt tractus Medulorum, ij non ſunt finitimi Boijs, vt vult Ioſephus Scaliger, ſed ſiti ſunt infra Burdegalam inter Garum-

Gregor. Tur. lib. de glor. Cõfeſſ. cap. 46. Aymoin. lib. 3. cap. 2. Turpin. cap. 11. & 29.

lib. 2. Auſonian. lect. cap. 12.

nam & Oceanum, vulgò *Medoc*. Ausonius in epistola ad Theonem Medulinum. Ep. 4.

Ausonius cuius ferulam nunc sceptra verentur
Paganum Medulis iubeo saluere Theonem.
Quid geris extremis positus telluris in oris
Cultor arenarum vates? cui littus arandum
Oceani finem iuxta, solémque cadentem
Vilis arundineis cohibet quem pergula tectis,
Et tingit piceo lacrymosa colonica fumo.

Non inscitè cultor arenarum vates appellatur & fumosus depingitur, est enim solum valdè arenosum, & abũdans arboribus quæ picem & resinam ferunt, & crassum fumum edunt; infelix solum, sed cui Oceanus effundit ostrea Bajanis pretio certantia. Ausonius in alia epistola ad Theonem.

Ostrea Bajanis certantia, quæ Medulorum Ep. 7.
Dulcibus in stagnis reflui maris æstus opimat.

& idem in epistola ad Paulum, Ep. 8.

Sed mihi præ cunctis ditissima quæ Medulorum
Educat Oceanus, quæ Burdigalensia nomen,
Vsque ad Cæsareas tulit admiratio mensas.

De quibus accipiendum illud Sidonij, *Medulicæ supellectilis epulones.* Lib. 8. ep. 12. Medulorum caput Metullum vicus, vbi olim fuit officina monetæ regiæ. Capitulum Caroli Calui: *Constituimus vt in nullo loco alio, in omni regno nostro moneta fiat, nisi in Palatio nostro, & in Metullo, & in Narbona*: tit. 31. cap. 12. Miraris officinam monetæ regiæ constitutam in loco humili ad inuidiam Burdigalæ, quæ est Metropolis secundæ Aquitaniæ? & hac fortè de causa Sirmundus de hoc Metullo agi hoc locò non putat; sed si spectes statum istorum temporum mirari desines. La-

borabat Aquitania incursionibus Normannorum, Burdegala, & aliæ vrbes igne, ferróque vastatæ: Burdigala, inquam, eò redacta erat, vt cùm Bituricensis Ecclesia vacasset, Frotharius Burdegalensis Episcopus in Pontigonensi Synodo habita anno Christi DCCCLXXVI. Lib. 5. cap. 33. postularit se transferri ad sedem Bituricensem, *Quia*, vt inquit Continuator Aymoini, *non poterat consistere propter infestationem Paganorum in Ciuitate sua.* Burdegala igitur in hoc statu posita, & Metullo fortè ob munitionem incolumi, vel post cladem restituto, fieri potuit vt officina monetæ, quæ erat Burdegalæ, translata fuerit Metullum vicum; nec immeritò coniunguntur officinæ monetæ Metulli & Narbonæ; quia spectabant Aquitaniam, & Narbonensem prouincias conterminas. Condate portus olim fuit in ripa Duranij amnis haud procul vrbe, quam Liburniam vocant. Huius portûs Ep. 5. meminit Ausonius in epistola ad Theonem, quâ eum inuitat vt è Medulis ad se veniat Lucaniacum,

Vnus Domnotoni te à littore perferet æstus,
Condatem ad portum, si modò deproperes.

Ep. 12. Condatinum vicum appellitat Paulinus, in epistola ad Ausonium,

In Condatino diceris degere vico.

Condate in tabula Peutingeriana: alius Condatensis vicus pagi Turonici, vbi D. Martinus supremum diem vitæ nactus est, teste Gregorio Turonensi. Domnotonus fuit villa Theonis in tractu Medulorum. Ausonius Theoni,

Scirpea Domnotoni tanti est habitatio vati.

Lucaniacus fuit villa Ausonij in ripa Duranij suprà Condate; vt colligitur ex eadem epistola Ausonij ad Theonem,

Theonem, vbi Condate medium ſignat inter Domnotonum, & Lucaniacum, & poſtquàm peruentum ſit Condate, inde breue iter Lucaniacum vſque. *Villá Lucani*, inquit, *mox potieris aco.* Lucanum fundum vocitat Paulinus, in Epiſtola ad Auſonium, Ep. 12.

Aut cùm Lucani retineris culmine fundi.

Malè Ioſephus Scaliger Lucaniacum Auſonij collocat in finibus Medulorum cùm in ipſius epiſtola ad Theonem non longè à Condate portu conſtituatur, quem conſtat fuiſſe in ripa Duranij. Pauliacus etiam fuit Auſonij in Burdegalenſi tractu, de quo ipſe meminit in epiſtola ad Theonem. Lib. 2. Auſonian. lect. cap.

Pauliacus tanti non mihi villa foret.

Hodie iſte vicus nomen retinet, *Pauliac.* Alingonij oppidum ad ripam Garumnæ ſitum ſeptem leucis à Burdegalè, Alingonis portum vocat Sidonius ad Trigetiũ: *Poſt hæc portum Alingonis tam piger calcas, ac ſi tibi nunc eſſet ad limitem Danubinum contra incurſaces Maſſagetas proficiſcendum*: Olim fuit Diœceſis Burdegalenſis, vnde Paulinus, in epiſtola ad Delphinum Burdegalenſem Epiſcopum: *Fatemur*, inquit, *venerandæ pietati tuæ legentibus nobis illam epiſtolæ partem, quâ Alingonenſi Eccleſiæ nouam filiam te auctore progenitam iam in nomine Domini, vſque ad dedicationis diem creuiſſe ſignabas.* Et idem ad Amandum Burdegalenſem Epiſcopum: *Si clericum fortè noluerit occupari, vnum de Alingonenſibus dignamini mittere.* Nunc ad Diœceſim pertinet Vaſatenſem, vulgò vocant *Lengon.* In pago Burdegalenſi ſecundùm Garumnam eſt Reontium villa, de qua meminit Gregorius Turonenſis: *Haud ſecus & Reontio villa eſt, in qua cùm eſſet Eccleſia Catholica, aduenientibus Gothis ad ſuam ſectæ immundi-*

Lib. 8. epi. 12. — Ep. 16. — Ep. 21. — Lib. de glor. Conf. cap. 48.

tiam eam transtulerunt. Vulgò Roianum vocant. In codē tractu est vicus Vodollacensis, de quo idem Turonensis; *Nec tacendum Syluæ maioris Monasterium in pago Burdegalensi*: cuius fundatorem B. Geraldum agnoscit Stephanus Tornacensis, in epistola quadam: *Sanè Beatus Geraldus à partibus Gallicanis trahens originem, qui ad partes Burdigalenses accedens, monasterium Syluæ Majoris, & à primo lapide fundauit, & regularibus disciplinis reformauit, hoc anno à Domino Papa Romæ debitâ Missarum solennitate authenticatus, & in catalogo Sanctorum meruit ascribi.* Gallis, *la Seuue.* Aliud est Monasterium Grandis Syluæ in pago Tolosano, de quo D. Bernardus meminit, vulgò *Grand-Selue.* In agro Burdegalensi ad Garumnam fuerunt & Præmiacum, Bissonnus, & Veroximis, prædia Leontij Burdegalensis Episcopi, quæ carmine celebrat Fortunatus. In eiusdem diœcesis finibus situm est Fronciacum castrum ad Dordoniam amnem, conditum à Carolo M. sic dictum sibi suadent nonnulli quasi frontem Sarracenorum; id est munimentum Galliarum aduersùs irruptiones Sarracenorum: sed planè nugatorium, & commētitium; nam vetus nomen Castro, Francicum. Annales Eginhardi: *At Rex castellum iuxta Dornoniam fluuium nomine Francicum ædificat*, alijs Fronticus. Regino Abbas: *Et abijt super flumen Dordoniam & ædificauit ibi castrum, quod dicitur Fronticus, & in dicto præsidio Francos collocauit.* Præterea hoc castrum à Carolo M. exstructum & munitum constat confecto bello Aquitanico, & Hunoldo Duce in potestatem redacto, ad cōtinendos in obsequio Aquitanos, potiùs quàm vt Sarracenis opponeretur, à quibus iam metus aberat

Eod. lib. c. 47.

Ep. 231.

Ep. 241.

Lib. 1. ep. 18. 19. 20.

A. C. 769.

Lib. 2. Chr.

ſecuritate Gallijs partâ, inſigni de illis Caroli Martelli victoriâ.

Cap. XII.

Nitiobriges. Aginnum. Pompeiacus. Exciſum. Regula Caſtrum. Caſsinogilum, Caſtellio. Monſpenſatus. Condomium.



ETROPOLI Burdegalenſi proximè ſuccenturiatur Aginnum, Ciuitas Nitiobrigũ. Nitiobriges, & Nitiobroges Cadurcis, & Toloſanis contermini. Præter Cæſarem Lib. 7. Strabo: πρὸς δὲ τούτοις νιτιόβριγες, καὶ Καδοῦρκοι: *Tum Nitiobriges & Cadurci.* Et Plinius: *Rurſus*, inquit, Lib. 4. c. 19. *Narbonenſi prouinciæ contermini Ruteni, Cadurci, Antobroges, Tarnéque amne diſcreti à Toloſanis Petrocorij.* Locus valdè deprauatus, ſed ita reſtituendus, vt optimè animaduertit Ioſephus Scaliger: *Cadurci, Nitiobroges Tarne amne* Auſonian. lect. lib. 1. cap. 10. *diſcreti à Toloſanis: Petrocorij, &c.* Nitiobrigum meminit & Sidonius ad Lupum: *Quid agunt Nitiobroges? quid* Lib. 8. ep. 12 *Veſunici tui?* Nitiobrigum caput Aginnum Ptolemæo: Lib. 2. νιτιόβριγες καὶ πόλις ἀγιννόν. Agennum Fredegario, Turpino, & recentioribus, vrbs ſita ad Garumnæ flumen versùs Burdegalam. Auſonius, Ep. 24.

Santonus vt ſibi Burdegalam mox iungit Aginnum.

Eius ſitum deſcribit Petrus Valliſſarn. *Erat enim Aginnum ciuitas nobilis, inter Toloſam & Burdegalam in amœniſſimo loco ſita, &c.* Hiſt. Albig. cap. 63. Iuxta Aginnum oppidum locatur Pompeiacus, locus inſignis martyrio Sancti Vincentij

5. Id. Iunij. Leuitæ Aginnensis. Notkerus: *In Gallijs Ciuitate Agenno, loco Pompeiaco passio Sancti Vincentij Leuitæ & Martyris.* In Aginnensi Pago situm Excisum, de quo in Itinerario Antonini. *Aginnum, Excisum, Traiectum, Vesunnam.* Hîc Monasterium fundatum fertur à Carolo M. Monasterium Exscience dictum in Tabulis Moyssiacēsibus. Vulgò *Nostre Dame Deysses.* Ex huius oppidi ruderibus surrexit Villanoua ad Oltum amnem. Cassinogilus villa regia in pago Aginnensi. Ademarus & Eginardus scriptores vitæ Caroli Magni ijsdem verbis: *Natalem Domini in Duciaco Villa, Pascha verò in Aquitania apud Cassi-*
Lib. 4. c. 71. *nogilum celebrauit.* Cassinoilum Aimoini Continuatori.
Hist. Albig. cap. 79. Cassanolij castrum Petro Vallissarnēsi. Villam Regiam
Lib. 5. c. 1. nuncupant Auctor vitæ Ludouici Pij, & Continuator Aimoini: *In villa regia cuius vocabulum est Cassinogilus.* Hîc natus Ludouicus Pius; hæc vna è quatuor hybernis stationibus, seu mansionibus, quas Ludouico Regi Aquitaniæ facto pater disposuit, vt proditur in vita
Lib. 5. c. 3. Ludouici Pij, & supplemento Aimoini: *Ordinauit qualiter in quatuor locis hyberna transigeret, vt tribus annis exactis quarto demum anno hyematurum se quisque eorum susciperet locus, Theotuadum scilicet palatium, Cassinogilum, Andiacum, & Eurogetum.* Gallis *Chassenüeil.* In eodem pago Aginnensi Castellio, castrum munitissimum. Rober-
A. C. 1161. tus Montensis: *Henricus Rex Anglorum perrexit in Aquitaniam, & inter alia quæ strenuè gessit Castellionem suprà vrbem Agennum, castrum scilicet naturâ & artificio munitum obsedit, &c.* Vulgò *Castillon.* In pago Aginnensi etiam
Hist. Albig. cap. 79. Mons-pensatus, Castrum vetus, Vallissarnensi Monspisatus vulgò *Montpezat.* In eodem tractu fuit Monsalbanus, Castrum Rainaldi Heroïs vernaculis fabellis

decantatissimi. Condomium oppidũ in Aginnensi quod initia, noménque haud dubiè sumpsit è Monasterio ordinis Benedictini, cui Condomium nomen: Condomium enim mediæ ætati nihil aliud, quàm massa, seu prædium Ecclesiæ. Gregorius I. *Vnam illi de iure Ecclesiæ deputare Condumiam debuisses. Sed quia Condumiam ipsam vineolam paruulam iuris eiusdem Ecclesiæ nostræ tenere dicitur, ipse sibi pariter vineolam petit debere locari.* nunc Episcopatus ex Monasterio delibatus ex Aginnensi. Lib. 9. ep. 14

Cap. XIII.

Engolisma, Santones. Mediolanum Santonum. Santonus portus, an Rupella. Santonum, promontorium. Ingeriacum Talleburgus, Pons Castrum, Mortania, Broagium, Nonerus Naiogialo.



POST Aginnum Nitiobrigum, sub Metropoli Burdegalensi locatur, Engolisma ciuitas sita in colle, cuius radicem adlambit Carantonus amœnissimus amnis. Iculisma Ausonio, qui primus è veteribus, eam memorauit in epistola ad Tetradium.

Quondam docendi munere astrictum graui Ep. 15.
Iculisma quùm te absconderet.

Ecolisma Gregorio Turonensi: *Dynamium Ecolismæ, vel Venerandum Aruernis.* Mendosè Ecolesina eidem alio loco. *Chlodoueus verò apud Burdegalensem vrbem hyemem agens, cũctos thesauros Alarici à Tholosa auferens Ecolesinam venit.* Et Sigeberto: *Fertur autem muros Ecolesinæ vrbis*

Lib. 2. hist. Franc. c. 13. d Lib. 2. cap. 27. A. C. 509.

antè faciem eius corruisse. Mendosè Etolisensium Ciuitas in Notitia Prouinciarũ;Mirum quod ait Ausoni' Iculismã sitam deuio ac solo loco; quum ea ciuitas celebretur in Notitia Prouinciarum;& vetustissimus Episcopatus sit, & sita in vberrimo solo ad Carantonum amœnissimum & piscosissimum amnem; eam inter claras Aquitaniæ vrbes haud prætcrijt Aymoinus: *In Aquitania continentur vrbes egregiæ, Narbona, Pictauis, Burdegalis, Sãctona, & Engolisma.* Engolismæ accedit Mediolanum Santonum, Santones Aquitaniæ populi ad Oceanum spectantes, Garumnæ accolæ. Strabo: πρὸς δὲ τῷ ὠκεανῷ σαντονοί τε καὶ πίκτονες, οἱ μὲν τῷ γαρουνᾷ παροικοῦντες, οἱ δὲ τῷ λείγηρι: *Ad Oceanum sunt Santones & Pictones, quorum hi Garumnæ vicini, illi Ligeri.* Santonum fines latiùs olim patuêre, quàm nunc habeantur. Testem habem' Cæsarem, vbi ait Heluetios asperitate patrij cœli, solique pertæsos consilium cepisse incensis laribus migrandi in Santonum fines, *qui non longè*, inquit, *à Tolosatium finibus absunt*, Santones, alijs Santoni Lucanus,

Lib. 1. de gest. Franc. cap. 5.

Lib. 4.

Lib. 1. de bell. Gall.

Lib. 1. de Bell. Ciu.

---- *Gaudétque amoto Santonus hoste.*

Lib. 8. ep. 6. & Sidonius Nammatio: *Subitus à Santonis nuncius.* Santonum caput Mediolanium, seu Mediolanum. Strabo: τῶν δὲ σαντόνων πόλις ἐστὶ μεδιολάνιον. *Santonum vrbs est Mediolanium.* Similiter Ptolemæus σάντονες ὧν πόλις μεδιολάνιον, & Stephanus μεδιόλανον πόλις Ακυτανίας. Tum Santonum vrbs regionis nomen suum fecit. Tacitus: *Tractique sunt in casum eundem Iulius Africanus, è Santonis Gallica ciuitate.* & Ausonius ad Paulum,

Lib. 4.

Lib. 2.

Lib de vrb.

Lib. 6. Ann.

Lib. 6. Ann.

Ep. 31.

Vinum cum biiugo parabo plaustro
Primo tempore Santonos vehendum.

Ep. 15. Idémque ad Tetradium.

Cur me propinquum Santonorum mœnibus
Declinas vt Lucas boues. Idémque Ep. 24.
Santonus vt sibi Burdegalam, mox iungat Aginnum.

Ammianus quoque Santones, pro Santonum vrbe di- Lib. 15. ctitauit: *Prima prouincia est Aquitanica amplitudine ciuitatum admodùm culta, omissis alijs multis Burdegala & Aruerni excellunt, & Santones, & Pictaui.* Aimoïno inter claras Lib. 1. de gest. Franc. cap. 4. Aquitaniæ vrbes censetur Sanctona, vulgò *Saintes.* Santones liberos notat Plinius & ante Æthicus Sancto- Lib. 4. c. 19 nes posuit inter famosa Oceani Occidentalis oppida. Sanctonum Portum, & Santonum promontorium memorat Ptolemæus σαντωνῶν λιμὴν, σαντωνῶν ἄκρον. sunt qui Santonum portum Rupellam, siue Rochellam; Santonum promontorium Blauiam esse scripserunt, sed eos falli putat Vinetus in Ausonium: quòd Santonum Ep. 12. portum quum faciat Ptolemæus australem magis quã promontorium Santonum, Rupellam illi locant vbi Blauia est, & Blauiam, vbi Rupella; vt vt sit Rupella sita est ad Oceanum in territorio Alniensi, de quo meminit Autor reuelationis capitis B. Ioannis Baptistæ; pars est pagi Santonici, vulgò *le Pays d'Aulnix.* Hæc vrbs olim bene merita ius Maioratus, & alia plurima priuilegia à Regibus nostris obtinuit: quò pertinet Capitulum pen. extr. de Consuetudine, inscriptum, Maiori & Burgensibus de Rupella. Sed tandem auitę erga Deum, Regémque fidei oblita, post diutinam terrâ, maríque obsidionem à Ludouico Iusto capta, & expugnata, muris, priuilegiísque discincta. Emporium totius Galliæ celeberrimum, vulgò *la Rochelle.* Angeriacum, siue Ingeriacum, Tiraquell. de ret. gent. gl. 2. §. 17. vel Engeriacum in pago Santonico ad Vultonam amnem, Regium Palatium fuit, si fides Autori suprà lau-

dato, de reuelatione capitis Ioannis Baptistæ: *Isdem Rex Pipinus tunc morabatur in territorio Alniense super fluuiũ Vultonæ in Palatio, qui vocatur Engeriacus, inter medios fines Pictauorum, ac Xanctonicæ.* Hîc Monasterium D. Ioanni
Lib. 2. c. 5. Baptistæ posuit Pipinus Rex Aquitanorum, vt prodit idem scriptor, quod de Pipino Ludouici Pij filio accipiendum monet Autor vitæ S. Genulfi: *Pipinus verò filius eius* (Ludouici Pij) *hæc ædificauit cœnobia, Ingeriacum videlicet, atque Brantosmum,* vulgò S. *Iean Dangely. Tallebourg*, castrum munitissimum pagi Santonici. Ro-
A. C. 1179. bertus de Monte: *Similiter fecit Richardus Dux Aquitaniæ de Gaufrido de Raueim: nam castrum Tallebourg quod videbatur inexpugnabile, munitum arte & naturâ obsedit, cepit,*
eod. ann. *diruit.* Pons castrum etiam eiusdem pagi. Idem Robertus: *Similiter fecit Domino de Ponts, destruendo scilicet castellum suum Ponts, qui erat confœderatus ipsi Gaufrido.* Feudũ nobilissimum quod præcipuo regij nomine gaudet, vulgò *la Syrie de Pons,* cuius meminit Matthæus Paris:
A. C. 1242. *Inde venit ad Pontes nobilem ciuitatem, occurrente Domino ciuitatis eiusdem, scilicet Reginaldo de Pontibus, cum alijs magnatibus Xantungiæ.* Niortum, Santonum oppidum vini ferax. Guillelmus Brito.

Lib. 8. Philipid. *Londunúmque ferax Cereris, Bacchique Niortum.*

Mortagne sur mer, oppidum in ora Santonum nonnullis Mauricania, quem locum memorat Aurelianus in vita sancti Martialis, sed situs ratio valdè resistit: cùm ille Mauricaniam ponat super Garumnam, quæ multùm abest à littore Oceani Santonici, in quo situm est Mortagniæ oppidum. Broagium castrum, non à multis annis munitum in ora Santonica, vbi sal paratur ex aquis, maris æstu in littus effusis ex eo ingens Regibus vectigal;

gal; laudantur & salinæ Narbonenses de quibus meminit Rutilius Numatianus. Nouerus pagus in agro Santonico in quo luculenta prædia habuit Ausonius, testis ipse in Epistola ad Paulinum. Lib. 1. Itinerar. Ep. 24.

Tótque mea in Nouero sibi proxima prædia pago.

Naiogialo, villa in pago Santonico, clara miraculo D. Martini, de quo Gregorius Turonensis; *Exinde egressi Santonicum territorium ingressi sumus Naiogialo, villa est in hoc territorio sita.* Lib. 4. de Mirac. S. Martin. c. 3.

Cap. XIV.

Pictones. Vnde Teifali dicti. Augustoritum Pictonum, Limonum, Malleacum, Lucionum, Liziniacum, Castrum Heraldi. Carrosum Nobiliacum S. Maxentij oppidum. Fons Ebraldi. Sellense Castrum Agesinates Aunedonacum.

MEDIOLANVM Santonum, sequitur Pictauiorum, seu Pictonum Ciuitas. Pictones populi inter Aquitanos Santonibus proximi ad Oceanum, & Ligerim vsque pertinentes. Strabo: Lib. 4. πρὸς ᾗ τῷ ὠκεανῷ σαντονοί τε καὶ πίκτονες, οἱ μὲν τῷ γαρουνᾷ παροικοῦντες οἱ ᾗ τῷ λείγηρι: *Ad Oceanum sunt Santones & Pictones quorum hi Garumnæ sunt vicini, illi Ligeri.* Ideò Ligeris dicitur diuidere Pictones à Nannetibus, qui sunt ad ostia Ligeris. Idem Strabo; ὁ ᾗ λείγηρ μεταξὺ πικτόνων τε καὶ ναμνιτῶν ἐκβάλλει: *Ligeris inter Pictones & Nannetas effluit*, & Ratiatensem

I

vicum proximum Nannetibus Pictauum terminum ponit Gregorius Turonensis : *Infra ipsum Pictauorum terminum, qui adiacet ciuitati Namneticæ, id est in vico Ratiatensi*, Pictones falsò Pictos Britannicas gentes autores iactant : quò alludens Guillelmus Brito Pictones Pictos vocitat.

De Glor. Conf. c. 34.

Lib. 6. Philippid.

At Picti quibus est fidei mutatio semper.
Grata comes.

Lib. 4. hist. Franc. c. 18.

Theifalos dixit Gregorius Turonensis de Austrapio Duce : *Tempore verò eius ad clericatum accedens apud Sellense castrum, quod in Pictaua habetur Diœcesi Episcopus ordinatur, futurum vt decedente Pientio Antistite, qui tunc Pictauam regebat Ecclesiam ipse succederet: Ipse quoque regressus ad castrum suum, motâ super se Theifalorum seditione, quos sæpe grauauerat lanceâ sauciatus crudeliter vitam finiuit.* & idem alio loco de S. Senoch Abbate patria Pictauio : *Fuit autem genere Theifalus & in Turonico clericus factus.* Vnde pagum Pictauensem Theifaliam vocitat idem Turonensis : *Senoch. Abbas genere Theifalus Pictaui Pagi, quem Theifaliam vocant* : nempe à Theifalis Transistrianis barbaris, qui inclinante imperio Romanorum militiæ adlecti ex Zozimo, & alijs, ita vt Theifalorum præsidium Pictauis in Aquitania impositum fuerit. Notitia imperij Occidentis : *Sub dispositione Magistri militum Præfectus Sarmatarum, & Taifalorum gentilium Pictauis in Gallia.* Ex quo fieri potuit, vt Theifali è præsidiarijs militibus, connubijs ciues effecti, statas ibi sedes fixerint, & vniuerso pago nomen reliquerint. Pictonum caput Pictauis, seu Pictauium ad Clanum, amnem , αὐγυςόριτον Ptolemæo Augustoritum Antonino, vulgò *Poictiers.* Inter Aquitaniæ vrbes eam agnoscit Sozomenus:

Lib. 5. hist. Franc. c. 7.

de Vit. Patr. cap. 15.

Lib. 4.

ἰλάειον ὅς πικτάβων πόλις ἡ ἦδε ἀκοιτανίας ἐπίσκοπος λῶ. inter clariores totius Aquitaniæ, Ammianus: *Prima prouincia est Aquitanica, amplitudine ciuitatum admodùm culta, omissis alijs multis Burdegala & Aruerni excellunt, & Santones & Pictaui.* Idem Aimoino iudicium. Nec omittendum testimonium Fulberti in vita sancti Aichadri apud Surium: *Inter nobilissimas Aquitaniæ vrbes Pictauis ciuitas caput attollit, quæ hinc murali ambitu circumsepta, hinc copijs militaribus suffulta & suos fouet ciues interiùs, & hostiles procul pellit incursus.* Haud procul ostẽduntur veteris oppidi vestigia: vetus Pictauium vocant, vbi regnum inter se diuisêre Karlomannus & Pipinus fratres rerum potiti vt scribit Eginartus. Decimo à Pictaua vrbe milliario iacet campus Vogladensis, in quo de summa rerum Aquitaniæ feliciter cum Alarico Gothorum Rege pugnauit Clodoueus, autore Gregorio Turonensi, & alijs scriptoribus. Præter Augustoritum, seu Pictauium, alia Pictonum oppida, Limonum λίμωνον Ptolemæo, cuius vestigia nec ex situ, nec ex nomine agnoscuntur. Malleacum in pago Pictauensi oppidum nobile cœnobio S. Benedicti, cuius fundatorem Guillelmum caput stupæ, Ducem Aquitanorum facit Ademarus, sed vir aliàs rerum nostrarum peritissimus hîc deceptùs est: Nam multis ante seculis Malliacense cœnobium celebrauit Gregorius Turonensis: *Silere nequiuimus quòd apud Malliacense Monasterium comperimus*, &c. Illud à Ioanne XXII. in Episcopatum erectum, & à Pictauensi auulsum vulgò *Maillesais.* Lucionum & pagi Pictauensis oppidum, Lucæ castrum id esse putant nonnulli, quod in Aquitania locat, & à Carlomanno vnà cum Pipino in expeditione aduersùs Hu-

Lib. 5. c. 11.
Lib. 16. 15.
Lib. 1. de gest. Fr. c. 4.
Tom. 5. Sept. 15.
A. C. 742.
Lib. 2. hist. Fran. c. 37.
Lib. de Glo. Conf. c. 21.

noldum Aquitanorum Ducem, captum & expugna-
A. C. 742. tum scribit Eginartus. *Karolomannus & Pipinus regno Francorum potiti primò Aquitaniam recipere volentes, contra Hunoldum ipsius Prouinciæ Ducem, cum exercitu eandem Aquitaniam ingrediuntur, & capto quodam castello, cui Lucas nomen est, priusquàm ex prouincia secederent, regnum quod communiter administrabant, in loco, qui vetus Pictauium dicitur inter se diuiserunt.* Nunc sedes Episcopatus à Ioanne XXII. vnà cum Malliacensi delibati ex Pictauensi. Aliud à Lucacensi castro, quod est pagi Turonici. Gla-
Lib. 1. c. 4. ber. *In pago scilicet Turonico milliario interposito à Lucacense*
Lib. 8. Philippid. *castro.* Lochia Guillelmo Britoni.

Nobile castellum quod Lochia nomine dicunt.

vulgò *Loches.* Liziniacum castrum in pago Pictauensi.
Lib. 1. de mirac. c. 25. A. C. 1169. Petrus Cluniacensis: *Apud Castrum Liziniacum, quod in Pictauensi pago situm est,* &c. Lezenninum castrum Roberto Montensi: *Quod Rex (* Henricus II. Rex Anglorum *) audiens, impiger aduolat, & eorum insaniæ obsistens Lezenninum castrum munitissimum cepit.* vulgò *Luzignan.* Castrum Heraldi in agro Pictauensi ad Vingennam amnem, Vice-comitatus honore insigne. Malbergionem Vice-Comitis de Castello Airaldi coniugem, dimissâ Hildegardi legitimâ vxore, superduxit Guillelmus Dux Aquitanorum, de quo audita querela Hildegardis in Synodo Rhemensi apud Callixtum II. vt refert Orde-
Lib. 12. ad A. C. 1119. ricus Vitalis. Carrofum locus in pago Pictauensi; ibi Monasterium posuit Ludouicus Pius, vt legitur in eius vita *& quidem multa ab eo sunt in eius ditione reparata, imò à fundamentis ædificata Monasteria, sed præcipuè hæc, Monasterium Carroffi, Monasterium Concas, &c.* vulgò *Charroux.* Nobiliacum itidem locus in pago Pictauensi, vbi Mo-

nasterium ædificatum à Ludouico Pio, vt subijcitur in eiusdem vita; *Monasterium Nouiliacum, Monasterium sancti Theotfridi*, &c. vulgò *Noüaille.* S. Maxentij oppidum in ora Pictonum, è Monasterio S. Maxentij Abbatis, Clodouei coæui de quo Gregorius Turonensis; *Erat in his diebus vir laudabilis sanctitatis Maxentius, Abbas reclausus, in Monasterio suo ob Dei timorem, intra terminum Pictauensem, cuius Monasterij nomen lectioni non indidimus, quia locus ille vsque hodie cellula sancti Maxentij vocatur.* Idem à Ludouico P. refectum narrat eius vitæ Autor, & rursus à Guillelmo caput stupæ instauratum & castri munitione cinctum prodit Ademarus, vulgò *S. Maxent.*. Fons Ebraudi, Monasterium sanctimonialium celeberrimum, in pago Pictauensi, quod à Roberto de Arbrissello conditum, & institutum, vt referunt Vvillelmus Malmesburiensis, & Vvillelmus Neubrigensis, vùlgò *Fontevraut.* Sellense castrum in Pictaua diœcesi, sedes Austrapij à Clothario designati in Episcopum Pictauiensem, post decessum Pientij Antistitis. Gregorius Turonensis: *Tempore verò eius ad clericatum accedens, apud Sellense castrum, quod in Pictaua habetur diœcesi Episcopus ordinatur; futurum vt decedente Pientio Antistite, qui tunc Pictauam regebat Ecclesiam ipse succederet.* Becciaco vicus in Arbatilico tractu pagi Pictauensis. Gregorius Turonensis: *Apud terminum verò Pictauum, vicus est in Arbatilico nomine Becciaco.* Agesinates Plinio Pictonibus iuncti, id est Pictonibus contermini, vel potiùs pars Pictonum. Aunedonacum oppidum in finibus Pictonum. Itinerarium Antonini: *Mediolanum Santonum, Aunedonacum.* vulgò *Aulnay*, Limonum in itinerario Antonini λίμωνον Ptolemæo oppidum in finibus Pictonum cuius vestigium non extat.

Lib. 2. hist. Franc. c. 37.

Lib. 5. de gest. Angl.

Lib. 1. c. 15.


Lib. 4. hist. Fran. c. 18.

1. De glor. Mart. c. 90.

Lib. 4. c. 19.

Cap. XV.

Petrocorij, Vesunna, Matrix Petrocoriorum. Sarlatum, Cadonium.




SEQVITVR Vesunna Petrocoriorum. Petrocorij Cæsari, Petrogori Plinio, populi Aquitaniæ secundæ. Lemouicibus, Cadurcis, Nitiobrigibus proximi, Strabo : Lib. 4. εἶτα ἀρουερνοὶ, καὶ λεμοβίκες, καὶ πετροκόριοι, πρὸς δὲ τούτοις νιτιόβριγες, καὶ Καδοῦρκοὶ : *Deinde Aruerni, & Lemouices, & Petrocorij, tum Nitiobriges & Cadurci.* Petrocorios Cadurcis subiungit Ptolemæus. Nemo est tantisper locorum peritus, qui non rideat vulgatam lectionem Lib. 4. c. 19. Plinij : *Cadurci, Antobroges Tarnéque amne discreti à Tolosanis Petrocori*, & non fateatur ita legendum : Cadurci, Nitiobriges, Tarne amne discreti à Tolosanis : Petrocorij, cùm inter Tolosanos & Petrocorios medij sint Lib. 2. c. 7. Nitiobriges. Petrocoriorum caput Vesuna, Ptolemæus: ὑφ' οὓς πετροκόριοι, καὶ πόλις οὐέσοννα. Itinerarium Antonini : *Aginnum, Excisum, Traiectus, Vesunna.* Tabula Peutingeri *Condate* X. *Sarrum* XX. *Vesonna* XIIII. vetus inscriptio in ciuitate Petrocoriorum

TVTELÆ AVG.
VESVNNÆ
SECVNDVS
SOTERD. S. D.

Nomen retinet vetusta Petrocoriorum arx, quæ *Visune* Lib. 8. ep. 11 dicitur. Vnde & Petrocorij Vesunnici Sidonio ad Lupum. *Quid agunt Nitiobroges, quid Vesunnici tui.* Præter

Vesunnam sunt alia Petrocoriorum oppida non tacenda. Sarlatum oppidum in pago Petrogoricensi, vicus Sarlatensis in vita nondum edita S. sacerdotis Episcopi Lemouicensis: vbi temporibus Ludouici Pij Monasterium S. Saluatoris conditum, eóque translatum corpus D. Sacerdotis Lemouicensis Episcopi; vbi in huncusque diem quiescit. Nunc sedes Episcopatus à Ioanne XXII. delibati ex Petragoricensi Episcopatu. Cadonium oppidum Petrocoriorum in Sarlatensi diœcesi, vbi Monasterium Ordinis Cisterciensis celebrè Sudario Domini nostri Iesu Christi, quod Antiochiâ Sarracenorum manibus ereptâ per Raymundum Comitem Tolosanum in Gallias asportatum, si fides Chronico Moyssacensi M S. *Cæterùm anno Domini* MCCCLXXXXV. *Abbas de Cadonio nuper detulit Tolosæ Sudarium Domini nostri Iesu Christi, quod dicebatur esse in Abbatia sua, in Petragoricensi pago, & in Diœcesi Sarlatensi, quæ Abbatia est Ordinis Cisterciensis: Quidam autumant per Ramundum Comitem Tolosanum tempore conquestæ gloriosæ Hierosolymitanæ factæ tempore Vrbani Papæ* II. *de Antiochia fuisse delatum.* Ioannes Puteanus, ex veteri tabula scripsit, id ab Aniciensi Episcopo Antiochiæ repertum, & in extremis apud clericum familiarem commendatum, qui redux in fines Petrocoriorum, vnde oriundus erat, Dominicum Sudarium deposuit in quadam Ecclesia prope Cadonium sita. In Episc. Petrocor.



Cap. XVI.

Nouempopulania, à Vasconibus qui eam occuparunt Vasconia dicta. Auscij, Auscius, Ausciorum vrbs. Elusa, Elusates. Socia Sociates. siue Sontiates.



AQVITANIA tertia est quidquid à Garumna flumine ad Pyreneos montes, & Oceanum pertinet, quæ Iulio Cæsari fuit vetus Aquitania. Ea Nouempopulonia dicta est, à Nouempopulis de quibus in primis meminêre Ammianus.
Lib. 15. *Nouempopulos Ausci commendant & Vasatæ*, & Ausonius ipse Aquitanus.

Parental. 3. *Et tria Hiberorum; quaque Nouempopulis.*

In prof. 21. & idem alio loco,

Et Staphyli genitum stirpe Nouempopulis.

Attamen nescio qua ratione Nouempopulanæ adscribuntur tres, supra nouem populos in Notitia Prouinciarum. Nempe Auscij, Aquenses, Lactorates, Conuenæ, Conserani, Boij, Benarnenses, Atturienses, Vasates, Bigeriones, Elloronenses, Ellusates; imò & plures è veteribus Nouempopulanam, siue Nouempopuloniam prouinciam per se constituunt, duplicémque tantùm
In Breuiar. Aquitaniam faciunt. Sextus Rufus: *Narbonensis Nouempopulana, Aquitaniæ duæ.* Nomenclator Prouinciarum: *Aquitania prima, Aquitania secunda, Nouempopulana.* Notitia Imperij: *Aquitania prima, Aquitania secunda, Nouempopuli.* & Gregorius Turonensis: *Maximè tunc Nouem-*
Lib. 2. hist. Fran. c. 25. *populanæ, geminæque Germaniæ* (lege Aquitaniæ) *vrbes*, ab

ab hac tempestate depopulatæ sunt. Eadem posteà Vasconia dicta, Gregorius Turonensis : *Blandastes verò Dux in Vasconiam abijt, maximámque partem exercitus sui amisit.* Et Guasconia, mutata littera V. in G. vt Gallis familiare est. Petrus Cluniacensis: *Migrauit tamen, sicut audiui ad loca satis vobis contigua, & à Septimania vestra vobis persequentibus expulsa, in prouincia Nouempopulana, quæ vulgò Guasconia vocatur, & in partibus ei adiacentibus sibi foueas præparauit.* & Godefridus Viterbiensis. Lib. 6. hist. Franc. Aduers. Petrobrus.

Ad scelus, edoctos peperit Guasconia Gothos.

& Anonymus Floriacensis. *Vnde factum est dum Gasconiam peragraret, vt trāsmeata Garonna fines eiusdem regionis attingeret*: nempe à Vasconibus ferocissimis Pyrenæorum populis, qui cœli, solique sui asperitatis tædio; varijs incursionibus Aquitaniâ pessumdatâ in ea ipsius parte quæ ad imum Pyrenæi montis iacet, consederūt, inclinante iam Regum primæuæ stirpis imperio: vt insinuat Turonensis. *Vascones verò de montibus prorumpentes in plana descendunt, vineas, agrósque depopulantes, domos tradentes incendio, nonnullos abducentes captiuos cum pecoribus, contra quos sæpiùs Austroualdus Dux processit, sed paruam vltionem exercuit ab eis.* Ex quo facilè deprehendas lapsū Iosephi Scaligeri, qui Vascones primùm à Pipino deuictos, tum à Ludouico Pio in plana Nouempopulonię depositos; posteà huic regioni nomen dedisse existimauit cùm eam longè antè à Vasconibus occupatam, & Vasconiam dictam constet ex Gregorio Turonensi. Vasconia propriè vocata fuit, quicquid à Pyrenæo mōte pertinet vsque ad Garumnam, vnde Garumna fluuius Vasconum & Aquitanorum conterminus dicitur, in vita Ludouici Pij, *& transijt Garonnam fluuium Aqui-* Lib. de miracul. S. Benedict. c. 13. Lib. 9. hist. Franc. c. 7. In Notit. Gall.

tanorum & Vaſconum conterminum. Nouempopulaniæ Metropolis ciuitas Auſciorum. Auſci Aquitaniæ po-
Lib. 3. de Bell. Gall. puli de quibus Cæſar : *Hac auditâ pugnâ maxima pars Aquitaniæ ſeſe Craſſo dedidit, obſidéſque vltrò miſit, quo in numero fuerunt Tarbelli, Bigerriones, Preciani, Vocates, Taruſates, Eluſates, Garites, Auſci, Garumni, &c.* Et Plinius:
Lib. 4. c. 19. *Conſeranni, Auſci, Eluſates, Sottiates.* Inter clariſſimos
Lib. 3. c. 2. Aquitaniæ populos cenſentur Melæ : *Aquitanorum clariſſimi ſunt Auſci.* Et Marcellino : *Nouempopulos Auſci*
Lib. 15. *Commendant.* Auſcijs quoque ius Latij datum à Roma-
Lib. 4. nis, Autor eſt Strabo : δεδώκασι, ἢ λατίνιον οἱ ῥωμαῖοι καὶ τῶν Ἀκουϊτανῶν τισὶ, καθάπερ Αὐσκίοις καὶ Κονουέναις: *Dederunt ius Latij Romani Aquitanorum nonnullis, vt Auſ-*
Lib. 2. *cijs, & Conuenis.* Auſciorum ciuitas Αὔγουστα Ptolemæo, Αὔσκιοι καὶ πόλις αὐγοῦστα. Ciuitas Auſcius in Itine-
Lib. 10. c. 22 rario Burdegalenſi : Auſcienſis vrbs Gregorio Turo-
Kal. Maij. nenſi : Auſcium Martyrologio Romano, & Vſuardo, vulgò *Auch*, olim Nouempopulaniæ metropolis fuit Eluſa, & ſub ea cum ceteris Ciuitas Auſciorum, teſtantur non modò veteres notitiæ Prouinciarum, in quibus Nouempopulanæ ciuitates hâc ſerie deſcribuntur: Metropolis ciuitas Eluſatium, ciuitas Aquenſium, & agmen claudit ciuitas Auſciorum : teſtantur & ſubſcriptiones antiquorum Conciliorum Galliæ, Agathenſi enim ſubſcripſerunt, Clarus Eluſæ Metropolitanus, & Nicetius Auſciorum Epiſcopus. Aurelianenſi I. Leontius non Toloſanæ, vt mendosè legitur, ſed Eloſanæ Metropolis, & Tetradius Auſciorum Epiſcopus. Re-
Lib. 2. c. 5. menſi denique apud Flodoardum ſubſcripsêre Senochus Eloſanenſis, & Audericus Auſcenſis, vnde non in-
Lib. 7. ep. 6. iuriâ Sidonius Eluſates Auſcenſibus præponit: *Heluſani,*

Vasates, Conuenæ, Auscenses. Et antè Seuerus Elusam à Priscillianistis ex Hispania Romam per Aquitaniam iter facientibus, velut Prouinciæ caput nefariæ hæreseos semine primùm tentatam obseruauit: *Sed iter eis præter interiorem Aquitaniam fuit, vbi tum ab imperitis magnificè suscepti, sparsere perfidiæ semina, maximéque Elusanam plebem sanè tum bonam & religioni studentem prauis prædicationibus peruertêre.* Sed Elusâ vt se habent rerum vices, hostili manu euersâ, metropolis totius, prouinciæ facta est Ciuitas Ausciorum, vnde in Notitia Prouinciarum Galliæ quæ temporibus Caroli Magni edita fertur, extatque apud Goldastum Elusa perperam confunditur cum Auscio: *Metropolis ciuitas Elosacis id est Auscius*, vnde ualde miror in testamento Caroli M. apud Eginartum in descriptione imperij Metropoleon Bituricas & Burdegalam memorari, sileri Ausciorum vrbem. *Nomina verò Metropolicarum ciuitatum in quas eadem eleemosyna vel largitio relicta est, hæc sunt: Roma, Rauenna, Mediolanum, Forum Iulij, Gradus, Colonia, Moguntiacum, Viuanum quæ & Salzburgum, Rotomagus, Treueri, Senones, Vesuntium, Lŭgdunum, Remi, Arelatum, Vienna, Tarantasia, Ebrodunum, Burdigala, Turones, Bituriges,* & apud Notgerum Leodiensem: duas tantùm Aquitaniæ Metropoles statui Bituricensem & Burdegalensem. *Habet Aquitania, præter castra, & loca munita, vrbes quatuordecim prægrandes, eásque populosas, & celeberrimas, è quibus duæ sunt metropoles: vna Burdegalensis magnis semper viris conspicua; altera Bituricensis*, magisque mirum apud Aimoinum, in censu clariorum Aquitaniæ vrbium, non modò Auscium, sed & Biturigam silentio præteriri. *Secundum quam traditionem in Aquitania continentur vrbes egregiæ,*

Lib. 2. hist. sacr.

Tom. 3. rer. Allemanni.

In vit. S. Remacli.

Lib. 1. hist. Franc. c. 4.


Narbona, Aruernus, quæ nunc Clarus mons vocatur, Cadurx, Tolosa, Gaualis, Rotenus, Lemouis, Petragorica, Pictauis, Burdegalis, Sanctona, & Engolisma. Sub Auscis hodie comprehenditur Sotia oppidum vulgò *Sos*, Nonnullis idem quod Sotiatium oppidum quod à P. Crasso legato Cæsaris, deditione captum refert ipse Cæsar. Sotiates, seu Sottiates tamen Cæsari & Plinio populi ab Auscijs, & Elusatibus distincti, Sontiates vocat Orosius, σωτιανὲς Athenæus ex Nicolao Damasceno. In pago Ausciensi memoratur Pontons villa ditionis Monasterij Floriacensis ad flumen Atturrum. Anonymus Floriacensis. *Vocatur itaque Pontons in regione posita Guasconiæ.* & alio loco: *Vnde factum est dum Gasconiam peragraret, vt transmeatâ Garonna fines eiusdem regionis attingeret, in quibus positus est locus superiùs memoratus Pontons, videlicet in pago Ausciensi super flumen Adurcium ditioni Floriacensium fratrum subditus.*

Lib. 3. de bell. Gall. Cæsar. eod. loc. Plinio lib. 4. c. 19. Orof. lib. 6. cap. 7. Athen. lib. 6. cap. 13.

Lib. 4. de mirac. S. Bened. cap. 22. & cap. 23.

Cap. XVI.

Aquenses, Aquæ Augustæ alias Tarbellicæ. Atyr. Tarbellicus sinus. Lactora. Tauropolium. Conuenæ. Lugdunum Conuenarum. Onesiæ Thermæ. Conseranni.



Nter Comprouinciales Metropoles Ausciorum prior occurrit Aquensium Ciuitas ad Atturrum flumen, Aquæ Augustæ Ptolemæo Ταρβελλοι καὶ πόλις αὐτῶν ὕδατα αὐγοῦστα: *Tarbelli & eorum Ciuitas Aquæ Augustæ.* Aquensis vrbs Gregorio Turonensi: *Dum autem in hac vrbe mora-*

Lib. 2.

Lib. 7. hist. Fran. c. 31.

rintur Faustianum Presbyterum Aquensi vrbi ordinari præcipiunt. Aquense municipium eidem Turonensi: *Aquensibus igitur est concessus inclytus athleta Metrias: Tempore igitur quodam cum Franco Episcopus, huius municipij Ecclesiam gubernaret.* Aquæ Tarbellicæ in itinerario Antonini, vbi describitur iter de Hispania in Aquitaniam: *Imum Pyrenæum Carasam, Aquas Tarbellicas.* Aquis in Tabula Peutingeri, nempè ab aquis salubribus, quas Romanorum temporibus valde celebres fuisse testis est Plinius: *Emicãt benignè, passimq; in plurimis terris alibi frigidæ, alibi calidæ, alibi iunctæ, sicut in Tarbellis, Aquitanica gente.* Tarbella Ciuitas dicitur Vibio sequestro. *Atyr, Tarbellæ Ciuitatis Aquitaniæ in Oceanũ fluit,* nẽpè quòd sit in finibus Tarbellorum: Tarbelli enim eum tractum tenuere qui à Biturigibus Viuiscis ad Pyrenæum vsque patet. Ptolemæus: ὑφ' οὓς (sub Biturigibus Viuiscis) μέχρι τῆς πυρήνης τοῦ ὄρους τάρβελλοι: *sub ijs ad Pyrenæum montem Tarbelli.* Ideò Tarbellam Pyrenen vocauit Tibullus ad Messalam.

Lib. de glor. Conf. c. 71.

Lib. 31. c. 2.

Lib. de fluminib.

Lib. 2.

-------- Tarbella Pyrene
Testis, & Oceani littora Santonici.

Lib. 1. ele. 7.

Et Ausonius Paulino ex Hispania Burdigalam cogitanti iter signat per agrum Tarbellorum;

Et quando iste meas impellet nuntius aures
Ecce tuus Paulinus adest, iam ninguida linquit
Oppida Iberorum, Tarbellica iam tenet arua.

Ep. 24.

Imò & Tarbelli latiùs à Pyrenęo ad Oceanũ vsq; habitarunt, & oram sinus, quẽ Oceanus efficit accoluerunt. Strabo: ἔστι δ' ἡ μὲν παρωκεανῖτις τῶν Ακυϊτανῶν ἀμμώδης ἡ πλείστη καὶ λεπτή; ἐν ταῦθα δ' ἐστὶ καὶ ὁ κόλπος,

Lib. 4.

ὁ ποιῶν τ̃ ἰσθμὸν, ἔχουσι δ' Ταρβελλοι τὸν κόλπον: *Aquitaniæ solum quod est ad littus Oceani, maiore sui parte arenosum est, & tenue, ibi est etiam sinus isthmum efficiens, Tarbelli hunc sinum tenent.* Hoc est ad ostia vsque Aturri, ideò Ausonius cum auum maternum ortu Æduum ad Tarbellos secessisse obseruat, eius secessum figit quà Aturrus in mare mergitur, & Oceanus Tarbellicus perstrepit.

Parental. 4. *Tum profugum in terris per quas erumpit Aturrus*
Tarbellique furor perstregit Oceani.

& Lucano Tarbellicus æquor dicitur, quà Atturrum excipit,

Lib. 1. ----- *Tunc rura Nemossi*
Qui tenet & ripas Aturi, qua littore curuo
Molliter admissum claudit Tarbellicus æquor.

& Ausonius Tarbellium Aturrum vocitat

In Mosella. *In mare purpureum domina tamen ante Mosellæ*
Numine adorato Tarbellius ibit Aturrus.

Aquæ Augustæ, siue Tarbellicæ, non eæ quæ ad radicē Pyrenæi sitæ sunt, propè Tarbam Bigeronum nostris *Bagneres.* Sed eæ quæ ad ostia Aturri sunt vulgò *Aqs*, Lib. 1. lect. cap. 6. vt docuit Iosephus Scaliger in Ausonium, à nomine istius oppidi accolis nomen Aquenses. Eosdem Aquitanos dixit Plinius, & ab ijs vniuersæ Aquitaniæ nomen Lib. 4. c. 19. transfusum opinatus est; *Bituriges cognomine Vibisci Aquitani vnde nomen Prouinciæ.* Parental. 24 Quò fortè alludens Ausonius. Paulini matrem stirpis Aquitanæ dixit, quòd esset Aquensis: tamen Aquitanos à Tarbellis distinguit Plinius: & Aquitanis subiungit Begerros, Tarbellos. Ciuitatem Lib. 4. c. 19. Aquensium sequitur Ciuitas Lactoratium, ad Ægircium amnem sita, Lactura Antonino, vbi iter ab

Aginno Lugdunum deſcribitur *Lacturam, Climberrum, Belſinum, Lugdunum.* Lactora in Tabula Peutingeri, nomen retinet. *Leictoure.* Ridendus prorſus Belleforeſtius, qui Tauropolium, de quo mentio occurrit in veteri inſcriptione, Lactorenſis iſtius vrbis vetus nomen eſſe credidit. Nemo enim eſt, qui neſciat Tauropolium eſſe taurorum ſacrificium, quod Iulio firmico Taurib olũ. *Tauribolum vel Oriobolium ſceleratâ te ſanguinis labe perfundit.* Proximè accedit Conuenarum ciuitas, Conuenæ fuêre prædones, qui à Cn. Pompeio perdomitâ Hiſpaniâ è Pyreneo ſaltu deportati, in vnum oppidum coaluêre. Hieronymus aduersùs Vigilantium. *Nimirùm reſpondet generi ſuo, vt qui de latronum & conuenarum natus eſt ſemine, quos Cn. Pompeius edomitâ Hiſpaniâ & ad triumphum redire feſtinans de Pyrenei iugis depoſuit, & in vnum oppidum congregauit, vnde & Conuenarum vrbs nomen accepit.* Qui fuerint illi latrones Pyrenei ſubſeſſores, non alij quàm Vaſcones, qui ad radices Pyrenei deiecti vt cœli mutatione eorum feritas compeſceretur. Iſidorus Hiſpalenſis: *Vacca oppidum fuit iuxta Pyrenæum à quo ſunt cognominati Vacchi. Hi Pyrinæi iugis peramplam montis habitant ſolitudinem, ijdem & Vaſcones, quaſi Vaccones c, in s, litteram demutatâ, quod genus Pompeius edomitâ Hiſpaniâ, & ad triumphum venire feſtinans de Pyrenæi iugis depoſuit, & in vnum oppidum congregauit; vnde & Conuenarum vrbs nomen accepit.* Hinc Plinius, cùm Aquitaniæ populos recenſet: *Aquitani*, inquit, *vnde nomen Prouinciæ, Sediboniates, mox in oppidum contributi Conuenæ.* Conuenarum oppidum ſitum ad Garumnam flumen & radicem Pyrenæi, Lugdunum Straboni: πρὸς μὲν τῇ πυρήνῃ τῶν Κονουένων ἐστὶ συγκλύδων, ἐν ᾗ πόλις λούγδουνος: *Ad Pyræ-*

Lib. de err. prof. relig. Hesych. in v. ταυρόπολια.

Lib. 9. Orig. cap. 2.

Lib. 4. c. 19.

Lib. 4.

rannorum, siue Consorannorum, vulgò *Conserans*, primus Consorannensis Episcopus laudatur D. Valerius, apud Gregorium Turonensem: huius tamen vrbis tutela S. Licerius, eiusdem vrbis antistes, nostris S. *Lisier*, non contemnendum oppidum fuisse satis argumento est, quòd in pactione habita, inter Guntranum & Childebertum Reges, Conserannis cum alijs matricibus Aquitaniæ ciuitatibus Childeberti sorti accessit, vt legitur apud Gregorium Turonensem: *Pari conditione ciuitates Meldis & duas portiones de Syluanectis, Turonis, Pictauis, Abrincantis Vicoiuli, Coseranis, Lapurdo, & Albige Domnus Childebertus Rex cum terminis à præsenti die suæ vindicet potestati.* inter Aquitaniæ populos non tacentur. Consoranni. Plinius: *Vellates, Tornates, Consoranni, Ausci, Elusates.*

Lib. de glor. Conf. c. 84.
Lib. 9. c. 20.
Lib. 4. c. 19.

Cap. XVIII.

Boij. Baiona aliàs Lapurda. Basculi Bascli. Castrum S. Ioannis de pede portus. portus fauces montium, Castrum Lybiæ, seu Lugiæ.



Onserannis committitur ciuitas Boatum, id est Bot, siue Boius, variant enim veteres Notitiæ prouinciarum. Hodie Baiona, olim & Lapurdum, vbi dum res Romana stetit, excubabat præsidium militum. Notitia imperij: *Tribunus cohortis Nouempopulanæ Lapurdo*: Et in pactione modò adducta Guntrani & Childeberti Regum apud Gregorium Turonensem: *Conseranis Lapurdo & Albigé.* Vnde & Baionenses Episcopi in veteribus tabulis La-

Lib. 9. c. 20.

purdenſes vocitantur,& Baionenſis tractus, *Lapord.* nec
Lib.8.ep.12 non Lapurdenſes locuſtæ apud Sidonium, id piſcis genus Langoſtas noſtri vocant, quarum ingens copia in ora Baionenſi. Lapurdum eſſe Lordam, tenuem vicum
Lib.2 ep.7. in Comitatu Bigorræ primùm voluit Ioſephus Scaliger in Auſonium, ſed ipſe in poſteriori editione commentationis ſuæ, iudicio ſuo ſpongiâ damnato Lapurdum non aliud oppidum quàm Baionam eſſe agnouit. Ba-
Vinet. in Paulin.ep.3. n. 566. B. Scali. lib. 2. Auſon. lect. lib. 2.cap.7. ionæ nomen à Boijs populis hauſerunt Elias Vinetus & Scaliger, & Baionam dictam voluêre quaſi Boionā. Sed caue ne te decipiant viri doctiſſimi; nam Lapurdenſes, ſeu Baionenſes, ſunt pars Tarbellorum, qui à Pyrenæo pertinent ad oram Oceani quà in ſinum flectitur,& ad oſtia Aturri: Boij verò ſunt populi Medulis
Ep. 3. & Burdegalenſibus finitimi. Paulinus in epiſtola ad Auſonium.

Qua regione habites placeat reticere nitentem
Burdigalam, & piceos malis deſcribere Boios.

Piceos appellat, quòd ſolum ſit ferax arborum, quæ picem & reſinam ferunt. Præterea Antoninus ab aquis Tarbellicis Boios vſque, ponit M. Paſſuum XLVII. & à Boijs Burdigalam M. P. XVI. quod Baionæ minimè conuenire poteſt, cùm ea abſit Burdegalâ, itinere quatuor fere dierum. Boiorum caput, vicus qui hodie dicitur *Buchs.* id eſt teſta Boiorum Ptolemæo : κυριανὸν ἄκρον: *Curianum promontorium.* Huiuſce tractus dominus principalis Capitalis Buziorum P. Æmilio ſcriptori rerum Gallicarum: *Capitalis Buziorum ita principem ſuum Buzij, Vaſconiæ ea regio eſt, vocitant, nobilis bello Anglicarum partium Dux.* vulgò *Captal de Buch.* Vt vt ſit Baiona, eſt clariſſimū Nouempopulaniæ oppidum,Vicecomitatus

honore olim pollens. Rogerus Houedenus: *Deinde obsedit* (Richardus Comes Pictauiensis, tum Rex Anglorum) *Baioniam ciuitatem, quam Ernaldus Bertramus, Vicecomes Baioniæ contra eum munierat.* Imò caput Vascitaniæ, seu Vaschorum regionis. Vvalsinganus: *Terram Basclorum, cui caput est ciuitas Baiona.* Turpinus: *Cùm igitur apud Baionam vrbem Basculorum Caroli exercitus hospitatus esset.* Vascitania ea regio est in finibus Aquitaniæ quæ Basconia dicitur Alberto Aquensi: *Is autem Gaston* (princeps Bearnensis) *vir illustris atque ditissimus, vtrùm de Gasconia, an Basconia foret, non integrè memini.* Regionis incolæ Basculi passim & Bascli, vulgò *Baschi*, populi linguâ & moribus à Gallis & Hispanis discrepantes, prædationibus & latrocinijs olim famosi, Galliæque infesti. Houedenus: *Et compulit* (Richardus modò laudatus) *per vim Basclos & Nauarrenses iurare, quòd pacem ab illa hora peregrinis & inter se seruarent in perpetuum.* & Robertus Montensis: *Quidam Bascli & Nauarenses & Brebensones venerunt ad vrbem Burdegalensem, & ipsam vrbem vastauerunt, in suburbijs flammis & rapina.* Vnde Basclorum appellatio transijt in factionis nomen, & in Concilio Lateranensi habito sub Alexandro III. anno
1179 Christi MCLXXIX. Bascli, & alij id genus hominum velut hæretici diris solennibus proscripti: *De Brabantionibus, & Aragonensibus, Nauarijs, Bascolis, Coterellis & Triauerdinis, qui tantam in Christianos immanitatem exercent, vt nec Ecclesijs, nec Monasterijs deferãt, non viduis & pupillis, non senibus & pueris, nec cuilibet parcant ætati, aut sexui; sed more paganorum omnia perdant & vastent, similiter constituimus, vt qui eos conduxerint, vel tenuerint, vel fouerint per regiones in quibus taliter debacchantur, in dominicis & alijs so-*

A. C. 1177.

A. C. 1239.

In Chron. cap. 7.

Lib. 2. c. 23.

A. C. 1177.

A. C. 1179.

Can. 27. & apud Guill. Neubrig. lib. 3. c. 2.

a Hos omnes comprehendit Idacius cùm dixit Tarraconensium multitudinem Bagaudarum f. fol. 135.

lennibus diebus, per Ecclesias publicè denuncientur, & eadem omnino sententia & pœna cum prædictis hæreticis habeantur adstricti, nec ad communionem recipiantur Ecclesiæ, nisi societate illa pestifera & hæresi abiuratis. Nec dum istorum furor desæuijt, iam enim proximo pòst seculo apud Innocentium III. P. querebatur Guido Aruernorum Comes, terram & ditionem suam à Claromontensi Episcopo armis vastatam, coniunctis seu adiuratis Basculorum copijs, vt constat ex ipsius Pontificis epistola. In Diœcesi Baionensi præcipua loca veterúmque memoriâ celebrata hæc sunt: Castrum S. Ioannis de Pede-portus, seu portæ. Antonino imum Pyrenæum, vulgò, *S. Iean de Pied de port.* Id à Sancio Rege Nauarræ, Berengariç filiç nomine Richardo Regi Anglorum cum alijs in dotem dictum, testis Innocentius III. in epistola ad Regem Nauarræ. Fauces montium nostri Portus appellitant. Turpinus: *Tunc Aigolandus fugiens transmeauit portus Aserros, & venit vsque Pampiloniam.* & alio loco: *Tunc Carolus credens verbis Ganalonis disposuit transire portus Cisereos, & redire in Galliam.* Græci πύλας. Fanum S. Iohannis Lussij in finibus Aquitaniæ. Castrum Lybiæ Iuliano Toletano apud Lucam Tudensem. *Post hæc Rex Bamba in tres turmas exercitum diuidit, ita vt vna pars ad castrum Lybiæ, quod est Aquitaniæ caput, tenderet,* &c. & paulò pòst. *& Castra Pyrenaica quæ vocantur Cancoliberum, Vulturariam & Lybiam mirabili victoriæ triumpho cepit.* Lugia Reginoni: *Carolus sentiens viros regni à se defecisse, in vltimis finibus Aquitaniæ Lugiæ latibulum quæsiuit.* Hodie *S. Iean de Luz.*

Lib. 1. ep. 533.

Lib. 1. ep. 219.

In Chron. cap. 11.

Lib. 3.

A. C. 866. lib. 2.

CAP. XIX.

Benearnum. Aturrenses. Vicus Iulij. S. Seueri oppidum. Vasates, Cossio Vasatum. Regula castrum. Bigerones. Tarba Bigerronum. Aquensis Vicus. Elarona, Elusa.

BOATIVM ciuitati in Notitia Prouinciarum proximè additur ciuitas Benarnensium, id est Benarnus, Benearnum Antonino, in itinere à Cæsar augusta Benearnum. *Summo Pyrenæo foro ligneo, Asspaluca, Ilurone, Benearnum.* & in itinere ab Aquis Tarbellicis Tolosam, *Benebarnum oppidum nouum, Aquas Conuenarum.* Benarnum Gregorio Turonensi: *de Ciuitatibus verò hoc est Burdegala, Lemouica, Cadurco, Benarno & Begorra.* Lib. 9. c. 20. Benarna vrbs eidem: *Ennodius cum Ducatum vrbium Turonicæ, atque Pictauæ administraret, adhuc & Vici Iuliensis atque Benarnæ vrbium principatum accipit.* Lib. 9. c. 7. Vnde nomen Bearnensi Dynastiæ, quodnam esset hoc oppidum, non consentiunt nostri. Iosephus Scaliger in Ausonium, Ortesium esse existimauit, sed probabilius id Lib. 2. c. 7. esse Lascurrim, vulgò *Lescar.* in pago enim Benarnensi non alios nouimus, quàm duos Episcopatus Lascariensem & Oloronensem, quorum prior Benarni nomine olim gaudebat, vt colligitur ex subscriptionibus Synodi Agathensis, cui subscripsêre Galactorius Episcopus de Benarno, & Gratus Episcopus Olorensis. Inde Nouempopulaniæ Metropoli fasces submittit ciuitas Aturrensium. Aturrenses sunt Nouempopulaniæ populi, his nomen ab Aturro amne qui pagum illum rigat,

vulgò *l'Adour*. Aturrensium oppidum Vicus Iulij, in Notitia Prouinciarum Galliæ, edita ex Bibliotheca Thuana, *Ciuitas Adtorensium, Vico Iuli.* & in exemplo pactionis habitæ inter Guntranum & Childebertum Reges apud Gregorium Turonensem: *Pictauis, Abrincatas, Vico-Iuli Consoranis*; & in vita S. Philiberti apud Surium: *Itaque Beatus Philibertus Helisano territorio ortus; secularis litteraturæ minimè rudis, pro gentis illius more planè strenuus in vico Iulij est educatus.* Vicus Iuliensis eidem Turonensi: *Nuper enim in Aquensi vrbe Episcopus obierat, & Nicetius Comes loci illius, germanus Rustici Vici-Iuliensis Episcopi, præceptionem ab Chilperico elicuerat, vt tonsoratus Ciuitati illi Sacerdos daretur.* Eidémque alio loco: *Sub termino quoque Vici-Iuliensis sunt tres Presbyteri consepulti.* Idem oppidum de pagi nomine dictum Aturres. Sidonius: *Rediji ipse Catilina seculi nostri nuper Aturribus.* Aduris in Commonitorio Aniani Codici Theodosiano præfixo: *Anianus vir spectabilis ex præceptione D. N. gloriosissimi Alarici Regis hunc Codicem de Theod. legibus, atque sententijs iuris, vel diuersis libris electum Aduris anno XXII. eo regnante edidit, atque subscripsit.* vulgò *Ayre.* In Diœcesi Adurensi est oppidum S. Seueri quod caput Vasconiæ dicitur, celebre Monasterio Ordinis S. Benedicti à Vvillelmo Sancij Vvasconiæ Comite ibi fundato; vt compertum habemus ex Innocentio III. Sequitur Ciuitas Vasatica. Vasates Nouempopulaniæ populi, olim cum Auscijs dignitate certantes. Ammianus: *Nouempopulos Ausci commendant & Vasates*; Vassei Plinio. Vasatum oppidũ Cossio Ptolemæo. ὐασάτοι κ̀ πόλις κόσσιον. & Ausonio, *Cossio Vasatum municipale genus.*

Lib. 9. c. 20. Tom. 4. August. 20. Lib. 9. c. 7. De glor. Conf. c. 52. Lib. 2. ep. 1. Registr. 15. ep. 32. Lib. 15. Lib. 4. c. 19. Lib. 2. Parental. 24

Reperitur in calce capitis

idest Aturribus, vt explicat etiam Iac. Gothofred. Prolegom. ad C. Theodos. cap. 5. n. 9. Marca Hist. Bearnensi l. 1. c. 14. et lib. 2. fol. 276

Sed postea vt pleræque aliæ Galliarum vrbes Vasates de pagi nomine nuncupata est, vulgò *Bazas*, sita in arenoso solo, & tractu illo Syrtium, quem Landas vocant, eius situm graphicè depingit Sidonius in epistola ad Trigetium: *Tantúmne te Vasatium ciuitas, non cespiti imposita sed pulueri, tantùm Syrticus ager, ac vagum solum, & volatiles ventis altercantibus arenæ sibi possident; vt te magnis flagitatum precibus, paruis separatum spatijs, multis expectatum diebus attrahere Burdegalam non potestates, non amicitiæ, non opimata viuarijs ostrea queant*; vnde arenosi Vasates Paulino ad Ausonium, Lib. 8. ep. 12

Ep. 3.

Consul arenosos non dedignare Vasatas,

In Vasatensi Diœcesi est Monasterium Regulæ ad Garumnam à Gumbaldo Episcopo Vasatensi, & Vvillelmo Sancio Vasconiæ Duce germanis conditum: huic nomen Regulæ, quòd regulari disciplinâ valde floruerit; olim *Squirs* eâdem significatione. Aymoïnus Floriacensis de S. Abbone Abbate Floriacensi: *Vvasconiam proficiscitur. Est in illis partibus monasterium quoddam* Squirs, *vt fertur antiquitus nominatum, à modernis contrario nunc vocabulo Regula vocitatum.* Et Fragmentum Chronici Floriacensis: *Eodem anno tempore Paschali cùm essem super fluuium Garonnæ in loco qui dicitur Scyrs*, Regulæ castrũ, in quo cõstructũ est monasteriũ, celebrat. P. Vallissarnẽsis; *Recipientésque se in nauibus per Garonam fluuium celeriter descendebant ad quoddam castrum proximum Regis Angliæ, quod Regula dicebatur.* Nouempopulaniæ Metropoli suffragatur & Ciuitas Tursa, vbi castrum Bigorra, vt est in Notitia prouinciarum; Bigerones, seu Bigerriones sunt Nouempopulaniæ populi ad Pyrenæum, Tarbellis & Conuenis proximi. Cæsar: *Hâc auditâ pugnâ maxi-*

Lib. de vit. S. Abbon c. 16. Idem in membrana. M. Regul. apud Pitheũ A. C. 1108.

Hist. Albig. cap. 79.

Lib. 3. de Bell. Gall.

ma pars Aquitaniæ ſeſe Craſſo dedidit, obſidéſque vltrò miſit, quo in numero fuerunt Tarbelli, Bigerriones, Preciani. & Plinius, *Mox in oppidum contributi Conuenæ, Begerri, Tarbelli,* Bigeronũ caput Tarba. olim Turſa, vbi fuit vetus caſtrũ Bigorra, ex quo ciuitas ipſa Begorra dici amauit, vt apud Gregorium Turonenſem: *De ciuitatibus verò hoc eſt Burdegala, Lemouica, Cadurco, Benarno & Begorra.* Beorritana, ſiue Beorritana vrbs eidem Turonenſi: *Eſt alius martyr infra terminum vrbis Beorritanæ Presbyterij honore præditus.* & alio loco: *Infrà terminum autem Beorritanæ vrbis.* Hodie Tarba, cui malè quidam nomen affingunt à Tarbellis: eſt enim Ciuitas Bigeronum, qui alij omnino ſunt à Tarbellis, vt iam ex Cæſare & Plinio comprobatum. Bigeronum in finibus eſt & vicus Aquenſis, ab aquis ſalubribus quæ ingentem famam loco conciliant, hodie *Bagneres.* In eodem tractu ſunt & vici inſignes Sanctorum reliquijs Sexciacenſis, & Talua, de quibus Gregorius Turonenſis. Eiuſdem metropolis vernacula eſt ciuitas Elloronenſium, Elarona in veteri Notitia edita ex Bibliotheca Thuana. *Ciuitas Lurunenſium Elarona.* Et apud Gregorium VII. Pontif. memoratur Amatus Ellorenſis, ſeu Olorenſis Epiſcopus, vulgò *Oleron.* Ciuitas Eloſatium quæ fuerat olim Metropolis totius Nouempopulaniæ, è faſtigio lapſa in infimum gradum, diu poſt caſum ſuos Epiſcopos habuit, ſed vltima luxit ſub Metropoli Auſciorum, tandémque in humilem vicum redacta, Epiſcopatum amiſit, & acceſſione ſua Auſcienſem locupletauit. Eluſa vrbs olim clariſſima Aquitaniæ, ſub Auſcis eam locat Mela. *Aquitanorum clariſſimi ſunt Auſci, Celtarum Hedui, Belgarum Treueri, vrbéſque opulentiſſimæ in Treueris Auguſta, in Heduis Auguſtodunum, in*

Lib. 1. de mirac. c. 74.

De Glor. Conf. c. 49.

Lib. de glo. Conf. c. 49. & 50.

Lib. 2. ep. 1. & lib. 6. ep. 25.

Lib. 3.

Auſcis,

Ausciis Elusaberris. vulgò *Euse*, patria Rufini quondam Præfecti imperij Romani, de quo Claudianus, In Ruffin. Lib. 1.

Inuadat muros Elysæ notissima dudum
Tecta petens.

Felicior partu S. Philiberti Abbatis Gemiticēsis, quem Helisano territorio ortum, Vico Iulij educatum, & à ciuibus eius loci in Episcopum expetitum agnoscit eius vitæ Autor.

Cap. XIX.

Obscuriores Aquitaniæ populi.

Trinam Aquitaniam, & clariores eius populos, pro ratione Notitiæ prouinciarum exegimus, plures Cæsar & Plinius enumerant, quos hodiernis componere, & suis locis collocare valdè difficile est. Nec mirum: plures Aquitaniæ gentes exiguas & obscuras esse ait Strabo, quæ tot ętatum obductis tenebris facilè nos effugiunt, cùm ipsæ sui nominis obscuritate latuerint. Ob id Aquitanicorum censum qualis à Cæsare & Plinio positus est exscribendum duxi, vt Lector iudicio & diligentiâ suâ quæ nobis desunt suppleat: *Hac audita pugna* (inquit Cæsar postquàm rem aduersùs Sotiates à Crasso feliciter gestam explicuit) *maxima pars Aquitaniæ sese Crasso dedidit, obsidésque vltrò misit, quo in numero fuerunt Tarbelli, Bigerriones, Preciani, Vocates, Tarusates, Elusates, Garites, Ausci, Garumni, Sibutiates, Cocosatésque, paucæ vltimæ nationes anni tempore confisæ, quòd hyems suberat id facere neglexerunt.* Et Plinius: *Aquitanicæ ait sunt Ambilatri, Anagnutes, Pictones, Santones liberi*

Lib. 4. (beside "tenebris" line) — Lib. 3. de Bell. Gall. — Lib. 4. c. 19.

Sesignaui, Bituriges cognomine Vbisci (lege Vibisci.) *Aquitani vnde nomen prouinciæ, Sediboniates, mox in oppidum contributi Cõuenæ, Begerri, Tarbeli, Quatuor signani, Cocossates Sexsignani, Venami, Onobrisates, Belendi, Saltus Pyrenæus, infráque Monesi, Osquidates montani, Sibyllates, Camponi, Bercorcates, Bipedimui, Sassumini, Vellates, Tornates, Consoranni, Ausci, Elusates Sottiates, Osquidates, Campestres, Succasses, Latusates, Basabocates, Vassei, Sennates Cambolectri, Agesinates Pictonibus iuncti: hinc Bituriges liberi qui Cubi appellantur, dein Lemouices, Aruerni liberi, Gabales, rursus Narbonensi prouinciæ contermini Rutheni, Cadurci, Antobroges, Tarnéque amne discreti à Tolosanis Petrogori*, lege, Nitiobriges Tarne amne discreti à Tolosanis, Petrogori, vt pridem restituit Iosephus Scaliger in Ausonium.



Cap. XX.

Aquitaniæ montes Pyrenæus. Alpes pro Pyrenæis. Gebenna, siue Cebenna. Losera. Memmatensis mons. Aruerni montes. Mons d'or. Mons donia. Greon mons.



QVITANIÆ & Hispaniæ limes mons Pyrenæus, cuius & pars quà Galliam spectat Aquitaniæ contribuitur; vnde Plinius in
Lib. 4. c. 19. Aquitania locat, & saltum Pyrenæum, quo non vniuersum Pyrenæum intelligit, sed eam partem, quam nostri vocant, *le Pays de Sault*. Augusti æuo Pyrenæi latus Hispanicum arboribus opacum fuit, Gallicum
Lib. 3. nudum. Testis ipse Strabo: Αὐτῆς δ' τῆς πυρήνης τὸ μὲν

ἰβηρικὸν πλευρὸν, εὔδενδρόν ἐστι παντοδαπῆς ὕλης, καὶ τῆς ἀειθαλοῦς: τὸ δὲ κελτικὸν ψιλόν: *Ipsius Pyrenes Hispanicum latus arborum diues est, & omnis generis syluam habet, etiam perpetuò virentem, Gallicum latus nudum est*: sed res in contrarium hodie versa est; nam Pyrene, quà Galliam spectat, arborum feracissima, quà Hispaniam spectat, effœtum & infelix solum. Aymoin. lib. 5. c. 2. Alpes pro Pyrenæis sæpiùs accepêre veteres. Ausonius, Paulino, Ep. 24.

Nunc tibi trans Alpes, & marmoream Pyrenen.

& alio loco cum eundem Paulinum ab Iberis reuocat. Ep. 25.

Vertisti Pauline tuos dulcissime mores
Vasconis hoc saltus & ninguida Pyrenæi
Hospitia, & nostri facit hoc obliuio cæli.
Tristis egens deserta colat, tacitúsque pererret
Alpinis connexa iugis

& Prudentius Poëta Hispanus. Peristepha. hymn. 2.

Nos Vascō Hiberus diuidit
Binis remotos Alpibus.
Trans Cottianorum iuga
Trans & Pyrenas ninguidos.

*Vasconum forte dixit ut distingueret ab altero illo Hibero amne Beticæ: quemadmodum hos ipses distinguit Rufus Fest. Avienus in Ora marit. Videndus Zurita ad Itiner. Antonini fol. Burchardus Geografie lib. 1. f. 693.

& eos secutus Fortunatus ad Galactorium Comitem Burdegalensem. Lib. 10 c. 25

Cantaber vt timeat, Vasco vagus arma pauescat
Atque Pyrenææ deserat Alpis opem.

Idémque alio loco.

Inde Pyrenæas per nubes transilit Alpes. Lib. 6. c. 7.

Etiam Gellius ipse Hispanos Pyrenæum accolentes Alpinos vocitauit ex Catone: *Nam cùm de Hispanis Alpinis scriberet, qui circa Iberum colunt verba hæc posuit.* Lib. 2. c. 28. Gebenna mons Cæsari, Cebenna Plinio, Cemmenus Straboni, Aquitaniam à Gallia Narbonensi diuidit: vt defi-

Strabo lib.4 Plin. lib.3 c.4. & lib.4. c 17. Cæsar lib.7 de Bell.Gal. niunt idē Strabo, Plinius & alij,& Aruernos ab Heluijs discludit,vt scribit ipse Cæsar,etiam Aquitania Cebennarum partem attingit. Ausonius,

in Narbona. *Interiúsque premunt Aquitanica rura Cebennæ.*

Idémque alio loco.

In Tolosa. *Ninguida Pyrenes, & pinea Cebennarum*
Inter Aquitanas gentes, & nomen Iberum.

Lib. 1. Hos montes celebrat Lucanus,

----- *Qua montibus ardua summis*
Gens habitat canâ pendentes rupe Gebennas.

Cebennarum pars Losera mons altissimus in finibus Gabalorum,casei laude celebris.Plinius: *laus caseo Romæ, vbi omnium gentium bona cominus iudicantur, è prouincijs Nemausiensi præcipua Lesuræ; Gabalicíque pagis*: ex eo Tarnis oritur. Sidonius,

Lib.11. c.42 · In propēpt.

Hinc te Lesora Caucasum Scytharum
Vincens aspiciet, citúsque Tarnis
Limosum, & solido sapore pressum
Piscem perspicua gerens in vnda.

vulgò *Lozere.* In eodem pago est mons Memmatensis nobilis secessu S. Priuati, olim Gabalorum Episcopi. Lib.1. c.32. Gregorius Turonensis: *Inruentibus autem Alamannis in Gallias Sanctus Priuatus Gaballitanæ vrbis Episcopus, in crypta Memmatensis montis vbi ieiunijs, orationibúsque vacabat reperitur.* Aquitaniam illustrant etiam Aruerni montes, pabuli dote laudatissimi, Alpes Aruernas dixit Fortunatus, de Gregorio Turonensi loquens,

Lib. 8. c.17.

Lumen ab Aruernis veniens feliciter aruis
Alpibus ex illis, properans mons altior ipsis.

Lib.2. ep.2. Et ante Sidonius Aruernus. *Hic quid de regionis nostræ climate loquar, mundus incanduit, glacies Alpina deletur.* Inter

eos imprimis celebrantur *Mons d'or*, è quo duplici fonte delabitur Dordonia amnis amœnissimus, & piscosissimus; Aymoinus Monachus: *Dordonia etiam qui ex monte, qui Dor dicitur, & est in finibus Aruernorum duobus scaturiens fontibus, quorum vni nomen est Dor, alteri Donia, qui haud procul à monte ipso coniunguntur.* & Greon mons altissimus: Odo Cluniacensis auctor vitæ D. Geraldi Aureliacensis Comitis apud Aruernos: *Nam cùm Alodus eius esset Posthomia & deinceps latifundia ipsius ita sibi succederent vt vsque ad montem magnum Greonem posset in eundo & redeundo in proprijs mansitare capellis.* Lib. 1. c. 4. Lib. 1. c. 41.

Cap. XXI.

Nobiliora Aquitaniæ flumina. Garumna. Tarnis. Anario. Oltus. Triobris. Dordonia alias Duranius. Aurigera, Ægircius. Aturrus. Carantonus Vultumus. Ligeris Toluera. Elauer. Vigennà, Clanus.

Gallia vniuersa fluminum & aquarum copiâ abundat, quæ singularem amœnitatem, simúlque vbertatem ei conciliant. Vnus è multis Seneca. *At contrà constat Germaniam, Galliámque, & proximè ab his Italiam abundare riuis & fluminibus, quia cœlo humido vtuntur, & ne æstas quidem imbribus caret.* Maximè Aquitania, fluminum & aquarum dote adeò antistat ceteris Galliæ regionibus, vt Isidoro, Papiæ, Aymoino & alijs Aquitania dicta fuerit ab aquis: Nobiliora Aquitaniæ flumina sunt hæc, Garumna, is ex Pyrenæo oritur, scilicet Auræ saltu: Tolosam primùm adluit. Ausonius Lib. 3. Natural. quæst. cap. 6. V. Eliam Apam. lib. 1.

de Tolosa;

Pérque latus pulchro prælabitur amne Garumna.

Inde Aginnum, & Burdegalam nobilissimas Aquitaniæ vrbes perlabitur, hinc æstuosus & maiorum nauium patiens in Aquitanicum sinum fertur. Lib. 3. c. 2. Mela: *Garumna ex Pyrenæo monte delapsus, nisi cùm hyberno imbre, aut solutis niuibus intumuit diu vadosus, & vix nauigabilis fertur; at vbi obuius Oceani exæstuantibus accessibus adauctus est, iisdémque retrò remeantibus suas, illiúsque aquas agit, aliquantùm plenior, & quantò magis procedit, eò latior fit: ad postremum magni freti similis, nec maiora tantùm nauigia tolerat; verùm etiam more pelagi sæuientis exsurgens iactat nauigantes atrociter, vtique si aliò ventus, aliò vnda præcipitat.* Æthicus: *Fluuius Garumna nascitur in campis Aquitaniæ, currit millia* CCVII. *influit Oceano occidentali.* Tria potissimùm flumina sinu excipit. Lib. 4. Strabo: ἐκβάλλει δ' ὁ μὲν Γαρούνας τρισὶ ποταμοῖς αὐξηθεὶς εἰς τὸ μεταξὺ Βιτουρίγων τε τῶν ἰοσκῶν ἐπικαλουμένων καὶ Σαντόνων: *Garumna tribus auctas fluminibus effluit inter Bituriges Ioscos & Santones.* Hi tres fluuij sunt Tarnis, Olda, quem conturbato nomine Lodam vocant, & Duranius, siue Dordonia: his auctus alueum latè pandit. Ep. 24. Ausonius,

Emeritæque amnes, latæque fluenta Garumnæ.

& ante Tibullus, Lib. 1. eleg. 7

Testis Arar, Rhodanúsque celer, magnúsque Garumna.

vnde non immeritò Æthicus Garumnam ponit inter famosa Oceani Occidentalis flumina; & fluminum principem signat Fortunatus, de Leontio Burdegalensi loquens, Lib. 1. c. 15.

Inferiora velut sunt flumina cuncta Garumnæ,
Non aliter vobis subiacet omnis apex.

Cùm vergit in Oceanum, vehementem æstum patitur. Claudianus, In Rufin. lib. 2.

Quósque rigat retrò pernicior vnda Garumnæ,
Oceani pleno quoties impellitur æstu.

Hinc Sidonius Garumnæ fluenta, refluentia dixit, vbi confluentes Durani, & Garumnæ carmine depingit, Lib. 8. ep. 12

At cùm submotus lunaribus incrementis
Ipse Garumna suos in dorsa recolligit æstus
Præcipiti fluctu raptim redit, atque videtur
In fontem iam non refluus, sed defluus ire.

Idcircò æquoream vocauit Ausonius, In Mosella.

Æquoreæ te commendabo Garumnæ.

Idémque alio loco, Ep. 14.

Æquoream liqui te propter amice Garumnam.

Garumna nomen retinet à fonte vsque Burdegalam Vol. 3. c. 22. Frossardo, ad Blauiam Castrum Scaligero, inde Gironda, In not. Gal. siue Girona, quòd æstu maris impellente in se recurrat, & velut in gyrum voluatur. Gerunnam dixit Guillelmus Brito,

Cùm post retrofluum pelago crescente Gerunnam. Lib. 12. Philippid.

Garumna Cæsari veteris Aquitaniæ terminus, sed ex quo auctior facta vsque ad Ligerim, & diuisa in primã, secundam, & tertiam, quæ Nouempopulania dicta est, tandémque Vasconia, tertiæ Aquitaniæ, seu Vasconiæ terminus fuit Garumna: vnde in vita Ludouici Pij, Garumna fluuius Vasconum & Aquitanorum conterminus dicitur. A Garumna flumine Cæsari Garumnĩ dicti Lib. 3. populi huiusce fluminis accolæ. vulgò, *le pays de Riuiere.* Garumni popu

Tarnis fluuius è Lozera monte Gabalorum oritur. Sidonius,

Hinc te Lesora Caucasum Scytharum In propẽpt.

Vincens aspiciet, citúsque Tarnis
Limosum, & solido sapore pressum
Piscem perspicua gerens in vnda.

Per Aquitaniæ, & Narbonensis fines decurrit in Garumnam, vnde Nitiobriges Tarne amne discretos à Tolosanis agnoscit Plinius. Maris commercio per Garumnam potitur facili descensu & ascensu. Ausonius de Philone actore suo.

Lib. 4 c. 19. Epist. 22.

Soli & sali commercio
Acatis Phaselis, Lintribus, stlatis, rate
Tarnim & Garumnam permeat.

In Mosella. Auriferum amnem idem decantat, quòd auri ramenta deferat.

Auriferum postponet Gallia *Tarnem.*

Auario amnis è Rutenis ortus in Tarnim effluit: in vita M S. D. Antonini: *A Tarno per Auarionis alueum.* Auarionus, in vita S. Geraldi Aureliacensis Comitis. *Fluuio qui Auarionus dicitur.* & paulò pòst, *In spatioso flumine vt Auarionus est.* Auerio in vita S. Amandi Rutenensis. Oltus amnis Olitis Theodulpho Aurelianensi, in Elencho fluminum, quæ erant sub ditione Caroli Magni.

Lib. 2. c. 29. Lib. 1. Carminum.

Ister, Atax, Ga*barus, Olitis, Arar.*

Oltis in vita S. Desiderij Cadurcensis Episcopi. vulgò *Olt,* siue *Lot.* eundem putauit Sauaro, quem Sidonius Clitim vocat, sed plerique assentiuntur P. Massonio qui Clanum Pictonum esse maluit, vulgò *le Clain.* Oltus è Gabalis delapsus Mimate oppidum adluit, Cadurcos penè cingens peninsulam efficit, tandémque ad Eguillonum Garumnæ committitur. Triobris amnis è iugis Gabalorum defluens per Rutenos Olto infertur, de quo Sidonius,

Carm. 5. In descript. Galliæ per flum. In propēpt.

Emensúsque

Emensúsque iugum die sub vno
Flauum crastinus aspicis Triobrem,
Tum terram Gabalûm satis niuosam.

Dordonia fluuius amœnissimus, & piscosissimus, Huic nomen & origo ex monte Dor apud Aruernos. Aymoinus Monachus: *Dordonia qui ex monte qui Dor dicitur, & est in finibus Aruernorum duobus scaturiens fontibus, quorum vni nomen est Dor, alij Donia, qui haud procul monte ipso coniunguntur,* in Garumnam influit: Duranus Ausonio, Lib. 1. c. 4. In Mosella.

Concede gelido Durani de monte volutus.

& Sidonio,

Exis curuatâ Durani muscose saburrâ. In Burgo.

Doronia, vel si mauis, Dorononia Gregorio Turonensi: *Itaque exercitus ad Dorononiam fluuium accedens præstolari cœpit*: vulgò Dordonia, Aymoinus Floriacensis: *Dordoniæ, seu Garonnæ quarum Aquitania insignitur fluentis.* Ad Burgum Castrum Garumnâ excipitur, éstque vnus ex tribus nobilissimis fluuijs, quibus Garumnam augeri scribit Strabo. Totum illum tractum qui patet inter Garumnam & Duranum indigenæ vocant *le Pays d'entre deux mers*, ob molem aquarum: sic & Padus, quà in septem flumina ducitur, septem maria dictus facere, teste Plinio. Aurigera amnis è Pyrenæo exoriens, per Fuxenses Garumnæ miscetur, haud procul Tolosâ, amnis piscosissimus & ramentis auri diues, vt exploratum est, & ipse Helias Apamiensis testatur, vnde nomen, vernaculè *Lariege*. Ægircius amnis è Pyrenæis profluens Auscium & Lactoram vrbes Nouempopulaniæ lustrat, & in Garumnam defertur. Hunc carmine celebrat Fortunatus, quod inscribitur de Ægircio flumine, P. Leontij. Lib. 7. c. 28. Lib. 7. de mirac. S. Bened. c. 1. Lib. 4. c. 22. Lib. 1. hist. Fuxens. Comit. Lib. 1. c. 21.

N

Laus tibi fortè minor fuerat generose Garumna
Si non exiguas alter haberet aquas.
Famulans intrat, sed hunc tua regna refrænant
Gallicus Euphrates tu fluis, iste latet.

Gertanum vocat Autor vitæ D. Saturnini, vulgò *Gers.* Aturrus fluuius oritur è saltu Pyrenæo, & per Tarbellos in Oceanum exit. Vibius Sequester: *Atyr Tarbellæ Ciuitatis Aquitaniæ in Oceanum fluit.* & Ausonius,

De flumin.
Parental. 5.

Tum profugum in terris per quas erumpit Aturrus
Tarbellique furor perstrepit Oceani.

In Mosella.

Inde Tarbellius Aturrus vocatur Ausonio,

Insanûmque ruens per saxa rotantia latè
In mare purpureum, dominæ tamen ante Mosellæ
Numine adorato Tarbellius ibit Aturrus.

Atyr Vibio Sequestro, vt tam obseruatum, & Lucano, ex emendatione Iosephi Scaligeri,

Lib. 1
Lib. 1. Auson. lect. c. 5

Et ripas Atyri quem littore curuo
Molliter admissum claudit Tarbellicus Ancon.

vulgò *l'Adour.* Carantonus fluuius amœnissimus è Pictonibus ortus per Engolismam, & Santonum in Oceanum exoneratur. De quo Ausonius,

In Mosella.

Santonico refluus non ipse Carantonus æstu.

κανέντελος Ptolemæo. vulgò *la Charente.* Vultumus amnis fontem petit è Pictonibus, per Santones labitur in Carantonum, præterfluit Ingeriacum oppidum. Vultona, seu Vvltonna in libello de Reuelatione capitis S. Ioannis Baptistæ: *Idem Rex Pipinus tunc morabatur in territorio Alniense super fluuium Vvltonæ, in Palatio qui vocatur Engeriacus inter medios fines Pictauorum, ac Xantonicæ.* & alio loco: *Iámque propinquantes ad locum quò tendebant super fluuium Vvltonnæ ad Palatium nomine Engeriacum per-*

uenerunt. vulgò *la Boutonne.* Toluera amnis amœnissimus & carmine celebratus, in Carantonum influit nostris *la Toulure.* Ligeris fluuius auctæ ab Augusto Aquitaniæ terminus, ex Strabone. Is Aquitaniam obliquo cursu ferè in orbem cingit. Æthicus: *Aquitania prouincia obliquo cursu Ligeris fluminis, qui ex plurima parte terminus eius est, in orbem agitur.* Adeóque Aquitaniam ab obliquis aquis Ligeris fluminis appellatam volunt. Isidorus & Papias. Ob id Ligerim & Garumnam inter maiora Aquitaniæ flumina ponit Fortunatus. *Ac post Mosellam Mosam, Axonam & Sequanam, Ligerim & Garomnam Aquitaniæ maxima fluenta transmittens, &c.* Et Tibullus vtrumque flumen Aquitanicæ expeditionis Messalæ testem laudat,

Lib. 4.

Isid. lib. 14. Origin. c. 4. Pap. in Gl. In voc. Aquitania. In præfat. lib. 1.

Lib. 1. Eleg. 8.

Testis Arar, Rhodanúsque celer, magnúsque Garumna
Carnuti & flaui cærula lympha Liger.

Elauer fluuius, è radicibus Lozeræ montis Gabalorum ortus, per Aruernos decurrens Gergouiam præterfluit Cæsari, in Ligerim euoluitur, Elaris Sidonio.

Clitis, Elaris Atax, Vachalis, Ligerímque bipenni
Excisum per frustra bibit.

Lib. 7. de bell. Gallico cap. 6. Carm. 5.

vulgò *Allier.* Elauerē Melacrem dictum nos docet Greg. Tur. *Fluuij quoque Liger, Elauérque quem Melacrē vocitant: vel reliqui torrentes decurrentes in eum ita intumuerant, vt terminos quos numquam excesserant præterirent.* Carus fluuius per Bituriges effunditur in Ligerim. Fredegarius: *Rex Pipinus Castrum cui nomen est Argentonus in pago Bitorino à fundamento miro opere in pristinum oppidum reparare iussit; Comites suos ibidem ad custodiendum mittens, ipsum castrum Remistano ad Vvaifario resistendum, cum eis medietatem pagi Bitorini vsque ad Carum concessit.* Virsonis oppidum Bitu-

Lib. 5. hist. cap. 32.

Lib. 5. Phil. rigum adluit: de quo Guillelmus Brito,

Hinc etenim dextrum Sigalonica plana serenant.
Frugifera iucunda solo, latus inde sinistrum
Lene fluens per prata virentia Carus amœnat
Arboribus cultisque placens, patiénsque carinæ
Piscibus & multis iuuat vtilitatibus ipsum.

vulgò, *le Cher.* Is apud Virsonum excipit Auaricum amnem, Gallis *Auuron*, à quo Biturica priùs Auaricum dicta. Andria, fluuiolus per Bituriges fluit. Aymoinus Lib. 1. de Mirac. S. Bened c. 18. Floriacensis: *Inter quos Andria despicabilis quidam visu fluuiolus, sed crebra in multiplices discursus aluei sectione, ac paludum aliquantis in locis interpositione ad transmeandum difficilis.* Lochias oppidum Turonensis pagi adlabitur. Lib. 8. Phil. Guillelmus Brito

Nobile castellum quod Lochia nomine dicunt
Endria cui magnum decus addit & vtilitatem
Ducibus irriguis hortos & prata rigando.

vulgò *Yndre.* Vigenna fluuius, Visenna Autori vitæ S. Martialis: *Fixerunt autem tentoria, & papiliones omnes principes & Comites è diuersis regionibus coadunati super Visennam fluuium.* Is è Lemouicibus ortus Lemouicum Phil. lib. 10. prætermeat, & in Ligerim ruit. G. Brito,

Et sic tres vnus Ligeris, Meduana, Vigenna
Efficitur fluuius.

Hunc fluuium Clodouæus aduersùs Gothos procedēs, vado transijt cum exercitu, duce ceruâ: testis Gregorius Turonensis, vulgò *la Vienne.* Clanus amnis, Clenus Gregorio Turonensi: *Non inquisito Cleni fluminis vado.* Clitis Sidonio, vulgò *le Clain.* Pictones rigat & Vigēnę miscetur. Creusia fluuius, vulgò *la Creuse*, excepto amne Vartampa, vulgò *la Gartampé*, in Vigenna erumpit.

Lib. 2. c. 37. Lib. 9. c. 41. Carm. 5.

Cap. XXII.

Aquæ ſalubres in Aquitania. Aquæ Tarbellicæ. Aquæ Bigeronum. Thermæ Oneſiæ. Aquæ Conuenarum. Aquæ calidæ in Aruernorum finibus. Aquarum calentium fontes ſacri.

MVLTIS locis in Aquitania erumpunt calidæ & ſalubres aquæ veteribus notiſſimæ. In primis occurrunt Aquæ Tarbellicæ, quæ Aquis vrbi nomen dederunt, olim vſu frequentiſſimæ, hodie memoriâ nominis claræ. Ad Pyrenæum ſunt thermæ hodiéque famoſiſſimæ Bagneris, Bigeronum oppido, quem vicum Aquenſem dixere, & aliæ in agro Conuenarum quas Thermas Oneſias vocat Strabo, Aquas Côuenarum Antoninus, vulgò *les Eaux d'Encauſſe*. Auſciorum aquas laudat & Strabo, ſed earum nullum veſtigium extat, has omnes complectitur Plinius: ***Emicant benignè paſsimque in plurimis terris, alibi frigidæ, alibi calidæ, alibi iunctæ, ſicut in Tarbellis Aquitanica gente, & in Pyrenæis montibus, tenui interuallo diſcernente.*** In Aruernis nobiles fuerũt Aquæ calidæ, quæ cognominem vicum impoſuerunt. Sidonius Apro: ***Calentes nunc te Baiæ, & ſcabris cauernatim ructata pumicibus aqua ſulphuris, atque iecoroſis, ac phtiſiſcentibus lãguidis medicabilis piſcina delectat,*** nomen retinent, & in Tabula Peutingeri etiam vocãtur Aquæ calidæ, ***Aug. Nemeto, Aquis calidis.*** in Aruernis hodie frequentantur Aquæ loci, qui dicitur Vicus. Nec ignobiles apud Cadurcos Aquæ fontis qui fluit propè vicum dictum Mié. In Narbonenſi Aquæ Sextiæ con-

Bagneres.

Lib. 4.

Lib. 31. c. 2.

Lib. 5. ep. 14

Lib. 31. c. 2. ditæ propter fontem calidarum Aquarum. Idem Plinius: *Augent numerum deorum nominibus varijs, vrbésque condunt sicut Puteolos in Campania, Statiellas in Liguria, Sextias in Narbonensi Prouincia.* Tungris Belgicæ decus addit, & fons saluberrimus, de quo Plinius: *Tungri ciuitas Galliæ fontem habet insignem, plurimis bullis stillantem, ferruginei saporis, quod ipsum non nisi in fine potus intelligitur: purgat hic corpora, tertianas febres discutit, calculorúmque vitia.* Heluetiorum quæ Gallica gens est, salutares aquas memorat Tacitus: *Vastati agri* (Heluetiorum) *direptus longâ pace in modum municipij exstructus locus, amœno salubrium aquarum vsu frequens.* Huiusmodi aquarum fontes sacri fuere apud Ethnicos. Seneca *Magnorum fluminum capita veneramur, subita ex abdito vasti amnis eruptio aras habet, coluntur aquarum calentium fontes.* & Solinus de Britannia. *In quo spatio magna & multa flumina sunt, fontésque calidi, oppiparo exsculpti apparatu ad vsus mortalium, quibus fontibus præsul est Mineruæ numen.*

Eod. loc. — Lib. 1. hist. — Epist. 41. — Polyhistor. cap. 25.

Cap. XXIII.

Sinus Aquitanicus. Sinus Tarbellicus. littus Santonicum. Littus Saxonicum. Comes littoris Saxonici. Insulæ sinus Aquitanici Antros, Vliarus. Herus.

Plin. lib. 4. cap. 19. Orof. lib. 1. cap. 2.



QVITANIA à Circio terminatur Oceano, qui sinus Aquitanicus Plinio, Orosio, Æthico, & in Tabula Peutingeri, quia ibi Oceanus sinũ efficit: idémque sinus quà ad Aturri amnis ostia flectitur Tarbellicus sinus vocatur. Lucanus ex emendatione

Iosephi Scaligeri, Lib. 1.

---- Et ripas Atyri quem littore curuo
Molliter admissum claudit Tarbellicus ancon.

Tarbellus Oceanus Ausonio,

Tum profugum in terris per quas erumpit Aturrus Parental. 4.
Tarbellique furor perstrepit Oceani.

Quia scilicet Tarbelli hunc sinum tenent, vt scripsit Strabo: Quà verò sinus iste porrigitur in oram Santonum Oceanum Santonicum vocant. Tibullus, Lib. 4.

---- Tarbella Pyrene, Lib. 1. Eleg. 8.
Testis, & Oceani littora Santonici.

Santonum littus Plinio: *Tiberio principe contrà Lugdunensis Prouinciæ littus in insula simul trecentas ampliùs belluas reciprocans destituit Oceanus, miræ varietatis & magnitudinis, nec pauciores in Santonum littore.* Santonicum salum Ausonius, de ostreis loquens. Lib. 9. c. 5. Ep. 9.

Santonico quæ tecta salo.

Inde Pictonicum littus, eidem Ausonio. Ead. ep.

Et quæ Pictonici legis accola littoris.

Totum illum tractum maris, & quicquid pelagi vsque ad Rheni ostia, Saxonicum littus veteres vocarũt, quòd Saxones Pyratæ myoparonibus id infestum haberent: vnde præfectus illius oræ, Comes littoris Saxonici dicitur in Notitia Imperij. Oram sinus Aquitanici prætexunt nonnullæ insulæ, in ostio Garumnæ fluminis fuit Antros insula, nora P. Melæ; *In eo est insula Antros nomine, quam pendere & attolli aquis increscentibus ideò incolæ existimant, quia cùm videantur editiora queis obiacet, vbi se fluctus impleuit, illa operit, hæc vt priùs tantùm ambitur, & quòd ea, quibus antè ripæ colléśque ne cernerentur obstiterant, tunc velut ex loco superiore perspicua sunt.* Hæc insula flucti- Lib. 3. c. 2.

bus hausta & obruta, eius reliquias, & tenue vestigium eò loci superesse opinio est, vbi Corduana Turris, seu Pharus, cui nomen à Cordubensibus seu Sarracenis, quòd his arcendis opposita fuerit: Sarracenos Cordubenses, seu Corduanos vocauit deterior ætas, quòd Corduba eorum Regia esset: & inde Ordericus Vitalis non vno loco sotulares Corduanos dixit, calceos cõsutos è pellibus quæ Cordubâ aduehebantur in Galliã. Vernaculi *Cordoüan*. Vliarus Insula sinus Aquitanici objacens Santonis. Plinius: *Et in Aquitanico sinu Vliarus*. Insulam venatu leporum amœnam signat Sidonius, cum Namatio per ludum infit: *Temperas cursibus apertis quatere campos, & insidiari lepusculis Olarionensibus*. Hæc videtur esse insula in quam Palladius Santonensis Episcopus per dies quadragesimę religionis studio secedebat; de quo Gregorius Turonensis: *Erant autem eo tempore diès quadragesimæ sanctæ, & Episcopus in insulam maris orationis causa secesserat*. Oræ Pictonum proxima Herus, vel Herio insula. Ea est, in qua D. Philibertus cœnobiũ locauit ope Ansoaldi Pictauiensis Episcopi. Autor eius vitæ apud Surium, *In maris insula Herio Cœnobium construxerunt, Ansoaldus ope & liberalitate, Philibertus religione, opere, doctrina & monachorum frequentia*. Eracina dicitur Gregorio Turonensi; sic enim restituendum pro Cracina illo loco: *Eracina Pictauensis insula vocitatur in qua à fiscalis vinitoris seruo Leocadio nomine nascitur*. Posteriores Reacum vocitarunt, quòd rei in eam pœnæ causâ deportarentur, vulgò *l'Isle de Ré*.

Lib. 5. hist. v. Theodul. lib. 1. Carm.

Lib. 4. c. 19.

Lib. 8. ep. 6.

Lib. 8. c. 43.

Tom. 4. Augusti. 20. Vsuardus in Martyrol. eod. die.

Lib. 5. hist. cap. 48.

ordubenses, pro Saracenis
orduani
rdouan

Finis libri primi.



RERVM AQVITANICARVM LIBER SECVNDVS.

CAP. I.

Aquitaniæ dotes. Fecunditas, & amœnitas, Lemanes laus. Pictonum agri. Vuæ Bituricæ. Vinum Albigense. Vinum Cadurcum. Vinum Aruernum. Opes syrtium, quas Landas vocant, pix & resina.



HACTENVS Aquitaniæ Chorographiam illustrauimus quâ diligentiâ potuimus, nunc eiusdem dotes, & cetera memorabilia describere conuenit. Aquitania vbertate & amœnitate soli, reliquas Galliarum prouincias facilè superat, adeóque his dotibus secum ipsa certare videtur, vt medullam Galliarum, vber fœcunditatis, & imaginem paradisi vocet Saluianus: *Nemini dubium est Aquitanos, ac Nouempopulos medullam ferè omnium Galliarum, & vber totius fecunditatis habuisse, nec solùm fecunditatis; sed quæ præponi interdum fecunditati solent iocunditatis, voluptatis, pulchri-* Lib. 7. de gubernat. Dei.

tudinis, adeò illic omnis admodùm regio, aut intertexta vineis, aut florulenta pratis, aut distincta culturis, aut consita pomis, aut amœnata lucis, aut irrigata fontibus, aut interfusa fluminibus, aut crinita messibus fuit; vt verè possessores, ac Domini terræ illius, non tam soli istius portionem, quàm paradisi imaginem possedisse videantur. Et Harigerus Abbas: *Est autem Aquitania riuulis & fluminibus piscosa, glebis terræ pinguissima, vineis nectarea, nemoribus consita, fructibus opulenta, pascuis pecorum sufficientissima, auri & argenti, & ceterorum metallorum copijs referta, nauium & vectigalium commeatibus quæstuosa, sed voluptatum omnium præ cunctis prouincijs luxurie fracta.* Nec sibi solùm Aquitania abundat, sed & Hispaniæ, aliisque prouincijs annonæ copiã ministrat. Cantabros ex Aquitania annonam petere solitos testis Strabo: προσελάμβανε δὲ καὶ ἁλῶν σπάνις καὶ σίτου, ἐπεσιτίζοντο δὲ ἐκ τῆς Ἀκουϊτανίας χαλεπῶς διὰ τὰς δυσχωρίας: *accedebat enim salis & frumenti inopia, cùm ob locorum difficultatem ex Aquitania ægrè commeatum afferrent.* Et Iulianum tum præfectum Galliarum in expeditione aduersùm Alemannos commeatu Aquitanico vsum, nec ante in hostem processisse, quàm annonâ ex Aquitania adueheretur autor est Ammianus: *At Cæsar hyemem apud Parisios agens, Alemannos præuenire studio maturabat ingenti, nondum in vnum coactos, sed ad insaniam post Argentoratum audaces omnes & sæuos, operiénsque Iulium mensem, vnde sumunt Gallicani procinctus exordia, diutiùs angebatur; nec enim egredi poterat, antequàm ex Aquitania æstatis remissione solutis frigoribus, & pruinis veheretur annona.* Hinc Africâ Honorio ereptâ à Gildone Comite Africæ, ac per hoc vrbe destituta solatio annonæ, quæ ex Africa subuehi solebat; frumentum quæsitum ex

In vit. S. Remacli c. 48. Idē Notger. in vit. eius. apud Sur. tom. 5. Sept. 31.

Lib. 3.

Lib. 17.

Galliâ, maximè ex Narbonensi, & Aquitania. Claudianus, vbi Romam fingit loquentem; In Eutrop. lib. 1.

Inuectæ Rhodani Tyberina per ostia classes,
Cyniphijsque ferax Araris successit aristis
Teutonicus vomer, Pyrenæique iuuenci
Sudauêre mihi.

Idémque alio loco. Lib. 2. de laud. stilic.

Nec priùs auditus Rhodanus iam donat aristas,
Vt mihi vel Massyla Ceres, vel Gallica prosit
Fertilitas.

Sed & quò magis Hispaniæ intelligant se Galliâ carere non posse, Narbonensis frumentum suppeditauit in subsidium belli Hispanici, quod cum Sertorio à Pompeio gerebatur. M. Tullius: *Huic prouinciæ quæ ex hoc gentium varietate constaret, M. Fonteius præfuit, qui erant hostes, subegit, qui proximi fuerant, eos ex ijs agris, quibus erant multati decedere coëgit: ceteris qui idcircò magnis sæpè erant bellis superati, vt semper populo Romano parerent, magnos equitatus ad ea bella, quæ tum in toto orbe terrarum populo Romano gerebantur, magnas pecunias ad eorum stipendium, maximũ frumenti numerum ad Hispaniense bellum tolerandum imperauit.* Pro Fonteio Inter Aquitanas gentes Aruernia inferior, quę vulgò *Limagne*, vbertatis & amœnitatis laude celebratur. Sidonius Apro: *Taceo territorij peculiarem iocunditatem, taceo illud æquor agrorum, in quo sine periculo quæstuosæ fluctuãt in segetibus vndæ, quod industriùs quisque quò plus frequentat, hoc minùs naufragat, viatoribus molle, fructuosum aratoribus, venatoribus voluptuosum, quod montium cingunt dorsa pascuis, latera vinetis, terrena villis, saxosa castellis, opaca lustris, aperta culturis, concaua fontibus, abrupta fluminibus; quod denique huiusmodi est, vt semel visum aduenis multis patriæ* Lib. 4. ep. 21

obliuionem persuadeat. Gregorius Turonensis: *Dicere enim erat solitus Rex* (Childebertus) *velim vnquàm Aruernam Lemanem, quæ tantæ iocunditatis gratiâ refulgere dicitur, oculis cernere.* Idémque Turonensis: *& sicut Lemane vestitum segetibus, nudum habetur à siluis.* Et Petrus Pictauiensis,

Lib. 3. hist. cap. 9.

Lib. 1. de Mirac. c. 84.

In Panegyr. Petri vener.

Hunc Cluniace tibi tellus Aruernica misit,
Qua nihil vberius Gallia nostra tenet.

Vbertatis laude & Pictonicum agrum commendat Paulinus ad Ausonium.

Vel quia Pictonicis tibi fertile rus viret aruis.

Mirêris Pictones calce agros suos fecundasse: testem habeo Plinium: *Hedui & Pictones calce vberrimos fecere agros, quæ sanè & vineis & oleis vtilissima reperitur.* Aquitania præcipuè ferax segetum & Panici, quod est frumenti genus. Plinius: *Panico Galliæ quædam, præcipuè Aquitania vtitur.* Eadem vineis passim exculta est, & vino nobilissimo abundat. Romanis notæ fuêre vuæ Bituricæ seu Burdegalenses, & inde in Italiam translatæ. Columella: *Possunt tamen etiam secundæ notæ vites prouentu & vbertate commendari, qualis est Biturica, qualis Basilica.* & alio loco: *Vnam etiam præcocem vitem, ante hoc tempus incognitam in Græca consuetudine Dracontion vocitari comperimus, quæ fecunditate, iocunditateue Arcelacæ, Basilicæque, & Bituricæ comparari possit.* & alio loco: *Nec incredibilis debet in Amineis hæc fecunditas videri, quas plerumque solas antiqui nouerant; nisi putamus ea quæ nuper ac modò planè longinquis regionibus accersita notitiæ nostræ sunt tradita Bituricì generis, aut Basilici vineta eos coluisse.* Et rursus alio loco: *Bituricæ fructibus opimæ.* Et Plinius: *Aliquando tamen cœli, aut soli opera non fallunt vetustatem sicuti Fecenia*

Lib. 17. c. 8.

Lib. 18. c. 11

De re rusti. lib. 3. cap. 2.

Idem lib. 3. cap. 9.

Idem lib. 3. cap. 21.

Lib. 14. c. 2.

& cum ea florens Biturica. & post hos Isidorus: *Biturica à regione nomen sortita est, turbines & pluuias, ac calores fortissimè sustinens, nec in macra terra deficiens*, vulgò *vin de Graue*. Hinc Burdegalam Baccho insignem iactat Ausonius, Lib. 17. Ori. cap. 5.

O Patriam insignem Baccho, fluuiisque, virisque. In Burdegala.

& idem de ostreis Burdigalensibus loquens,

Non laudata minus nostri quàm gloria vini: Ep. 9.

idémque alio loco,

Sic mea flauentem pingunt vineta Garumnam. In Mosella.

Etiam Albigense vinum antiquæ laudis tenax in hunc diem, olim mensæ Regum vectigale, donec Ludouicus Pius Albigensibus id tributi genus remisit. Aymoinus: *Quo tempore Albigenses tributo quo in dando vino & annonâ grauabantur suâ liberalitate releuauit.* Nec prætereo vinũ Cadurcum, quod iam olim celebre fuit, decem huiusce amphoris dono acceptis, Paulus Virdunensis Antistes Desiderio Cadurcensi Episcopo impensas gratias egit per epistolam, quæ inter Desiderij epistolas censetur apud Canisium. *Præterea*, inquit, *multiplices dominationi vestræ agimus gratias de Eulogijs sanctis, de falerno nobili, nec vasculis decem, quæ nobis tanti habuistis dirigere superexcreuit quidem & superabundauit benedictio largitatis vestræ; adeò vt dum nos vnam falerni amphoram deposcimus, vos eminentia vasa, & vt vsitatiùs dicam, Tunnas decem elegantissimi falerni tanti habuistis dirigere.* Aruernæ vitinec defuit sua laus, quæ iam exoleuit. Plinius: *Iam inuenta vitis per se in vino picem resipiens, Viennensem agrum nobilitans, Aruerno, Secanoque, & Heluico generibus non pridem illustrata.* Denique vniuersa fere Aquitania segetum & vitium prouentu luxuriat, vix aliud sterile & incultum solum, Lib. 5. c. 3. Tom. 5. Antiq. lect. Lib. 14. c. 1.

quàm quod ad littus Oceani, & tractus ille Syrtium
Lib. 4. quas Landas vocant, qui arenosus est. Strabo: ἔστι δ' ἡ μὲν παρωκεανῖτις τῶν Ἀκυιτανῶν ἀμμώδης ἡ πλείστη καὶ λεπτὴ, κέγχρῳ τρέφουσα, τοῖς δ' ἄλλοις καρποῖς ἀφορωτέρα: *Aquitaniæ solum quod est ad littus Oceani, maiore sui parte arenosum est, & tenue, milio alens, reliquarum frugum minus ferax.* Hoc tamen solum suis opibus non caret, apibus gaudet, vnde cera in censu est, & arboribus quæ picem & resinam ferunt. Ausonius ad Theonem Me-
Epist. 5. dulinum Poëtam.

Mercatúsne agitas leuiore numismate captans
Insanis quod mox pretijs grauis auctio vendat,
Albentísque seui globulos, & pinguia ceræ
Pondera, Narycijámque picem, scissámque papyrum,
Fumantésque olidùm paganica lumina tædas.

Lib. 1. c. 93. Et de hac parte Galliarum intelligendus locus Dioscoridis: γίνεται δὲ ῥητίνη ὑγρὰ πιτυΐνη καὶ πευκίνη κομιζομένη ἀπὸ Γαλλίας καὶ Τυρρηνίας. *Nascitur & liquida resina è pinu & picea, quæ ex Gallia & Hetruria aduehi solet.*

CAP. II.

Gallia pascuis & pecore abundans. Caseus Gabalicus. Equi Gallici, Aquitanici, Arelatenses. Aquitania equitatu pollens. Absinthium Santonicum. Pernæ Cantabricæ. Salmo Aquitanicus. Lapurdenses locustæ, Garumnici Mugiles. Ostrea Medulica, Burdegalensia. Succinum Aquitanicum.

GALLIA vniuersa diues pabulo & pecore. Horatius Lib. 3. Car.

> *Nec pinguia Gallicis*
> *Crescunt vellera pascuis.*

Sidonius In Paneg. Maiorian.

> *Arcas equos; Epirus equas, pecuaria Gallus.*

Hinc Marc. Tullius cum testes produxit aduersus Fonteium Prætorem Galliæ Narbonensis repetundarum reum, pecuarios designat. *Vnum, inquit, ex toto negotiatorum, colonorum, publicanorum, aratorum, pecuariorum numero testem producant, verè accusatum esse concedam.* Aquitania inprimis pecore abundat & lactis copiâ. Romæ laudatus caseus Lezoræ montis Gabalum. Plinius: Lib. 11. c. 42. *Laus caseo Romæ, vbi omnium gentium bona cominus iudicantur, è prouinciis Nemausiensi, præcipua Lesuræ Gabalicique pagis, sed breuis ac mustea tantum commendatio.* Caseum Lib. 12. epigr. 32. Tolosatum laudat Martialis,

> *Nec quadra deerat casei Tolosatis.*

Sed veriùs dixeris Aquitanicum: nam caseus qui hodiéque venit Tolosæ, prouenit ex imo Pyrenæo, &

Benarnensi aut Bigerrico pago, & ager Tolosanus segete quàm pascuis cultior. Galliã vt pabuli fœnora prosequamur, nobiles & generosos gignit equos. In Claudio. Trebellius Pollio: *Quid equarum, quas fama nobilitat Celticarum:* & Apuleius: *equis etiam Thessalicis, & alijs* Lib. 10. Metamorp. *iumentis Gallicanis, quibus generosa soboles perhibet pretiosam dignitatem.* Aquitania præcipuè præstantes & regios fert equos, è Vasconia & Aruernia lecti feruntur equi qui Vvillelmo Anglorum Regi sæpiùs dono mittebantur à principibus nostris. De gestis Guillielmi R. Anglor. Vvillelmus Pictauiensis: *De Vasconia & Aruernia potentes ei transmittebant, vel adducebant equos, qui nominibus proprijs vulgò sunt nobilitati, feroces & in orbem agi doctos.* Vasconum equos memorat Monstreletius. *En outre estoient venus au mandement du* Vol. 1. c. 61. *Duc d'Orleans en cette armée grand' quantité de Lombards & Gascons, lesquels auoient leurs cheuaux terribles, & accoustumez de virer en courant, que ce point n'auoient accoustumé les François, Picards, Flamans, Brabançons de voir, & pour ce leur sembloit estre grand merueille.* In pretio sunt & Lemouicenses equi, ex his vnum transmisit Ruricius Episcopus Lib. 1. ep. 34 Lemouicensis Sedato Nemausensi Episcopo, vt patet ex ipsius epistola. Et ne Narbonensi Prouinciæ suum decus tollam, Circensium palmas tulêre Arelatenses equi. Id genus equos deposcit Symmachus ab amico in honorem ludorum, quos editurus erat pro filij prætura: *Præterea adiumentum vicis oro decernas ad* Lib. 9. c. 19. *equorum coëmptionem, si quos in Arelatensi vrbe cursu, & genere præstantes meorum cura repererit.* Vtraque sanè prouincia Narbonensis, & Aquitanica, equitatu adeò valuit, vt Romani eo vsi sint grauioribus in expeditionibus. De Narbonensi testatur M. Tullius loco supra adducto.

adducto. De Aquitania variæ inſcriptiones apud Gruterum PRÆF. COH. I. AQVITANOR. EQVIT. PRÆF. COH. DVAR. SECVNDÆ. AQVITAN. & PRÆF. COHORT. PRIMÆ BITVRICVM. Et in Notitia Imperij, *Tribunus cohortis Nouempopulanæ Lapurdo.* Inde Aquitaniam ab equis quibus abundat; quaſi Equitaniam dici tentauit Geruaſius Tiſlesberienſis. Equitatus robore Sontiates populos Aquitaniæ commendat ipſe Cæſar: *Cuius aduentu cognito Sontiates magnis copijs, equitatuque, quo plurimum valebant, in itinere agmen noſtrum adorti.* Eâdem laude præſtant Aruerni. Sidonius Pro Fonteio. p. 534. p. 480. Lib. Otior. Imperial. In Panegyr. Auit.

Hanc Aruerne colens nulli pede cedis in armis,
Quoſuis vincis equo.

Imò & Galliam vniuerſam equitatu pollere præter Cæſarem & alios, teſtis Manilius, cùm Galliam ſignat prætentis, ita vocant equites exploratores. Lib. 4.

Gallia prætentis, Hiſpania maxima bellis.

Aquitania etiam ſuillo pecore ſcatet. Laudatiſſimæ totâ Galliâ pernæ Baionenſes, veteribus pernæ Cantabricæ, quarum meminit Strabo: παρ᾽ οἷς πέρναι διάφοροι συντίθενται ταῖς κανθαβρικαῖς ἐνάμιλλοι: *Apud hos* id eſt Ceretanos *pernæ conficiuntur præſtantes, Cantabricis non cedentes*, quem locum exſcripſit Atheneus. Nec Cerere, & Baccho, pabulo & pecore, Aquitania ſolùm cenſetur; ſed & certantibus in ſe naturæ ſtudijs pulcherrimam meſſem addit, ſalubrium herbarum copiam. Inter alias fertur Abſinthium Santonicum, quòd apud Santones creſcat. Plinius: *Abſinthij genera ſunt plura; Santonicum appellatur à Galliæ ciuitate.* Dioſcorides: ἔστι δὲ καὶ τρίτον εἶδος ἀψινθίου γινόμενον ἐν τῇ κατὰ τὰς ἄλπεις γαλατίᾳ πλεῖστον, ὃ ἐπιχωρίως σαντόνιον Lib. 3. Lib. 14. c. 21 Lib. 27. c. 4. Lib. 3. c. 28.

χαλδῶπιν ἐπωνύμως τῇ φυνώσῃ αὐτὸ σαρδονίδι χώρᾳ. *Tertium genus Absinthio assignatur, quo Gallia Alpibus finitima scatet, id patrio nomine Santonicum vocant regionis in qua nascitur cognomento.* Santonica herba Columellæ, & Marcello. Santonica virga Martiali.

Lib 6. c.25. Lib.de Medicam c.28. Lib. 9.ep.96

Santonica medicata dedit mihi Procula virga.

Nunc age, Aquitaniæ opes fluminum & maris sinu sepositas scrutemur. Aquitaniæ flumina pisce abundant, etiam Salmone, qui marinis omnibus lautior. Plinius:

Lib. 8. c.17. *In Aquitania Salmo fluuiatilis marinis omnibus præfertur.* Aturri fluminis piscem, Garumnæ Mugiles celebrat Sidonius ad Trigetium: *Hic Atturricus piscis, Garumnicis*

Lib.8.ep.12. *mugilibus insultet*, in ora Lapurdensi, id est Baionensi, in quæstu est captura locustarum, quæ est cancri marini

Eod.loc. genus. Sidonius: *Hic ad copias Lapurdensium locustarum cedat vilium turba cancrorum.* Baianis certant ostrea Medulica & Burdigalensia. Ausonius Theoni.

Ep. 7.

Ostrea Baianis certantia quæ Medulorum
Dulcibus in stagnis reflui maris æstus opimat.
Sed mihi præ cunctis dulcissima quæ Medulorum
Educat Oceanus quæ Burdigalensia nomen
Vsque ad Cæsareas tulit admiratio mensas.

Lib. 8. ep.12 Medullicam supellectilē vocat Sidonius ad Trigetium: *Veni cum mediterraneo instructu, ad debellandos subiugandosque istos Medullicæ supellectilis epulones.* Quo in pretio fuerint ostrea Burdigalensia indicio fuerunt piscinæ apud eos refertæ ostreis; quorum delicijs Sidonius Trigetium prouocat, vt Burdegalam veniat: *Vt te magnis flagitatum precibus, paruis separatum spatijs, multis expectatum diebus, attrahere Burdegalam non potestates, non*

amicitiæ, non opima viuarijs ostrea queant. Accedunt sed longo interuallo ostrea Sanctonici & Pictonici littoris. Ausonius, Ep. 9.

Proxima sint quæuis, sed longè proxima multo
--- - Ex interuallo.
Santonico quæ tecta salo, quæ nota Genonis
Aut Eborum missus pelago quæ protegit amnis
Sunt & Aremorici qui laudent ostrea Ponti
Et quæ Pictonici legit accola littoris,

In ora sinus Aquitanici legitur Electrum siuè Succinum, Lib. 37. c. 2. quod accedente maris æstu in littus eijcitur. Plinius: *Theophrastus Oceano id exæstuante, ad Pyrenæi promontorium eijci, quod & Xenocrates credidit qui de ijs nuperrimè scripsit.* Oceani accolæ bonam rem appellant. In oram maris Germanici exundat & succinum quod Germanis glessum vocatur. Testes Plinius & Tacitus. Plin. lib. 37. cap. 3. Taci. de moribus German. Fuerunt & Græci qui prodidere flumen quoddam in Gallia electrum fundere. Dio Chrysost. *τί δαὶ χρὴ περὶ κελτῶν λέγειν ὅπου φασὶ ποταμόν τινα καταφέρειν τὸ ἤλεκτρον:* Orat. 191. *quid autem opus est de Celtis dicere, ibi aiunt flumen quoddam deferre electrum.*



Cap. III.

Pallia Aquitanica. Bigerrica vestis. Santonicus Cucullus. Linificium apud Cadurcos, Rutenos, Bituriges. Aurifodinæ apud Tarbellos. Argentifodinæ apud Rutenos & Gabalos. Aurifer Tarnis. Ferrariæ Bituricæ. Marmor Aquitanicum.



QVITANIA pecoris, atque adeò lanitij ferax, & vestificij studiosa: quo in honore fuerit vestis Aquitanica testatus Gregorius I. P. cùm Eulogio Episcopo Alexandrino pallia Aquitanica eulogiæ nomine missitauit: *Paruulam verò*, inquit, *benedictionem de amatoris vestri Sancti Petri Ecclesia sex minora Aquitanica pallia & duo oraria transmisi.* Pretio vilior, sed antiquitate celebris Bigerrica vestis villosa, qua Bigerones vtuntur. Paulinus ad Ausonium,

Lib. 6. ep. 201.

Epist. 2.

Dignáque pellitis habitas deserta Bigerris.

Dial. 2. c. 1. Vnde huiusmodi vesti Bigerricæ nomen. Sulpicius Seuerus: *A proximis tabernis Bigerrigam vestem, breuémque atque hispidam quinque comparatam argénteis rapit.* & Fortunatus,

Lib. 3. c. 1. de Sancti Martini vita.

Induitur Sanctus hirsuta Bigerrica palla.

& Glossarium vetus. *Bigerra vestis grussa, id est vellata.* Romanis vsu notus Santonicus cucullus, tegumentum capitis, quo noctu vtebantur. Iuuenalis.

Satyr. 8.

------ *Quo te nocturnus adulter*

Tempora Santonico velas adoperta cucullo.

Bardocucullum vocat Martialis. Lib. 14. ep. 128.

Gallia Santonico vestit te Bardocucullo.

Linificio plurimum floruêre Cadurci, Ruteni, Bituriges. Plinius: *Cadurci, Caleti, Ruteni, Bituriges vltimíque hominum existimati Morini, imò verò Galliæ vniuersæ vela texunt.* Lib. 19. c. 1. & paulò pòst. *Sicut in culcitris præcipuam gloriam Cadurci obtinent, Galliarum hoc & tomenta pariter inuentum.* de Cadurcis testis etiam Strabo: παρὰ δὲ τοῖς Καδούρκοις λινουργία, *apud Cadurcos linificium*, vnde Cadurcum vocarunt quoddam cuculli genus, aut tentorium, quod haud dubiè texebatur apud Cadurcos. Lib. 4. Vetus interpres Iuuenalis in illud, *Niueique Cadurci. Cadurcum quidam cucullum dicunt candidum propter hiemes, & niues comparatum, alij tabernaculum, aut tentorium, quibus merces suas protegere consueuerunt.* Nec his contenta Aquitania cæcas opes suo sinu premit, aurum, argentum, & ferrum. Sciens prætereo quod aiunt Pyrenæum auro, argentóve fluxisse, cùm casu, aut à pastoribus iniecto igne deflagrasset: sed apud Tarbellos, qui Pyrenæum attingunt aurifodinas etiam inuenio. Strabo: ἔχουσι δὲ Ταρβέλλοι τὸν κόλπον παρ' οἷς εἰσι τὰ χρύσεια σπουδαιότατα πάντων, ἐν γὰρ βοθρίοις ὀρυχθεῖσιν ἐπὶ μικρὸν εὑρίσκονται καὶ χειροπληθεῖς χρυσία πλάκες, ἔσθ' ὅτε μικρᾶς ἀποκαθάρσεως δεόμεναι, τὸ δὲ λοιπὸν ψῆγμα ἐστὶ καὶ βῶλοι, καὶ αὗται κατεργασίαν οὐ πολλὴν ἔχουσαι: Lib. 4. *Tarbelli huncsinum tenent, apud quos optima sunt auri metalla, in fossis enim non altè actis inueniũtur auri laminæ, manuum aliquando exiguá indigentes purgatione, reliquum ramenta & glebæ sunt, ipsæ quoque non multum operis desiderantes.* Apud Rutenos, & Gabalos etiam Argentifodinæ.

Lib. 4. Strabo: παρὰ δὲ τοῖς Ρουτηνοῖς ἀργύρεια, ἔχουσι δὲ ἀργύρεια, καὶ οἱ Γάβαλεις: *Argēti metalla Ruteni habent & Gabales*: Auri metalla & apud Gabalos esse indicio est, quòd Tarnis è Gabalis ortus ramenta auri deuehit, vnde Auriferum Tarnem vocat Ausonius. Apud Petrocorios & Bituriges celebres Ferrariæ. Strabo: παρὰ μὲν οὖν τοῖς Πετροκορίοις σιδηρουργεῖα, ἔστιν ἀστεῖα καὶ τοῖς Κούβοις Βιτούριξι: *apud Petrocorios & Bituriges Cubos ferri sunt præclara metalla.* Bituricas ferrarias celebrat ipse Cæsar, & inde indigenas cuniculorum agendorum peritissimos tradit, loquens de obsidione Auarici. *Et aggerem cuniculis subuehebant eò scientiùs, quòd apud eos magnæ sunt ferrariæ, atque omne genus cuniculorum notum atque vsitatum est.* Et Rutilius Numatianus

In Mosella.

Lib. 7. de Bell. Gall. cap. 5.

Itiner. lib. 1.

Occurrit chalybum memorabilis vlna metallis,
Qua nihil vberius Norica gleba tulit:
Non Biturix largo potiùs strictura camino
Nec quæ Sardonio cespite massa fluit.

Denique quàm metallis abundet Aquitania testis ipse Cæsar, quo loco describit obsidionem Sottiatum oppidi, cùm Aquitanos cuniculorum agendorum peritissimos ait ob metallorum copiam: *Cuniculis*, inquit, *ad aggerem, vineásque factis, cuius rei sunt lōgè peritissimi Aquitani propterea quòd multis locis apud eos ærariæ secturæ.* Hâc artis laude Aquitanos suo æuo Ibericis metallis eruendis dedisse operā testis est. Plinius: *Mirū adhuc per Hispanias ab Hannibale olim inchoatos puteos durare, sua ab inuentoribus nomina habentes, ex quis Bebelo appellatur hodiéque, qui* CCC. *pondo Hannibali suministrant in dies, ac mille quingentos iam passus cauato monte, per quod spatium Aquitani stantes diebus, noctibúsque egerunt aquas lucernarum mensurâ, am-*

Lib. 3. de Bell. Gall. cap. 5.

Lib. 33. c. 6.

némque faciunt. Metalla subit marmor, quod & inter metalla censetur, nam in Aquitania maximè in Pyrenæo, & in agro Conuenarum cæditur preciosissimum marmor, quod Aquitanici nominè audijt. Sidonius ad Hesperium; *Huic est porticus applicata triplex fulmentis Aquitanicis superba.* Et Anastasius: *In medio cancellis æreis, & columnis, cum fastigijs, & epistylijs vndique ornatum ex musiuo, & columnis Aquitanicis & tripolitis & porphyreticis.*

Lib. 2. ep. 10

In Hilar. P.

Cap. IIII.

Aquitanorum ingenium moréſque. Aquitani bellicosi. Aquitani facundi. Aquitani Græci origine iactantur. Studia florent apud Aruernos. Scholæ Burdegalenses. Schola Cadurcorum.



NEc satis est Aquitaniæ dotes, solo, salóque nosse; nunc popularium ingenium, moréſque, & alia insignia scrutari iuuat. Aquitani à reliquis Gallis discrepant, non linguâ modò, sed & specie corporis, & moribus, & Reipublicæ administrandæ ratione. Cæsar: *Gallia est omnis diuisa in partes tres, quarum vnam incolunt Belgæ, aliam Aquitani, tertiam qui ipsorum linguâ; Celtæ, nostrâ Galli appellantur. Hi omnes lingua, institutis, legibus inter se differunt.* & Strabo: οἱ Ἀκουιτανοὶ διαφέρουσι τοῦ γαλατικοῦ φύλου κατὰ τὰς τῶν σωμάτων κατασκευὰς καὶ κατὰ τὴν γλῶτταν, ἐοίκασι δὲ μᾶλλον Ἴβηρσιν: *Aquitani à reliquis Gallis tum corporum constitutione, cum linguâ differunt, magiſque sunt Hispanorum similes.* In hoc certè Aquitani cum ce-

Lib. 1. de Bell. Gall.

teris Gallis omnino conueniunt, quòd armis æquè strenui & fortitudine haud impares, etiam ipsius Cæsaris iudicio, qui eorum operâ vsus est in bello ciuili aduersùs Afranium & Petreium legatos Pompeij in Hispania: *Cæsar,* inquit de se, *legiones in Hispaniam præmiserat, ad* VI. *millia auxilia peditum, equitum* III. *millia, quæ omnibus superioribus bellis habuerat, & parem ex Gallia numerum, quem ipse parauerat, nominatim ex omnibus ciuitatibus, nobilissimo & fortissimo quoque euocato, hinc optimi generis hominum ex Aquitanis, montanisque, qui Galliam Prouinciam attingunt.* Vnde meritò queramur iniquius de Aquitanis iudicium latum à Marcellino homine Græculo, qui eos peregrinis delicijs eneruatos tradidit: *Horum omnium apud veteres Belgæ dicebantur esse fortissimi, ea propter quòd ab humaniore cultu longè discreti, nec aduentitiis effeminati deliciis, diu cum Transrhenanis certauere Germanis; Aquitani enim ad quorum littora, vt proxima placidáque merces aduentitiæ conuehuntur, moribus ad mollitiem lapsis facilè in ditionem venere Romanam:* etiam multis pòst seculis Aquitani vtcumque moribus lapsi, bellicæ fortitudinis laudem non amisere. Harigerus Abbas: *Est autem Aquitania voluptatum omnium præ cũctis prouincijs luxuriæ fracta, ac viris efferatos mores habẽtibus, bellicosa pariter & inquieta.* Et si Aquitanos hodie æstimes, omnium gentium fortissimi, & hostium Galliæ terror. Nec solùm armis, sed etiam pacis artibus & litteris Aquitani in primis floruere. Symmachus: *Fatendum tibi est amice Gallicanæ facundiæ haustus requiro, non quòd his septem montibus eloquentia Latiaris excessit, sed quia præcepta Rhetoricæ pectori meo senex olim Garunda* (lege Garumnæ) *alumnus immulsit, est mihi cum scholis vestris per doctorem iusta cognatio, quicquid in me est,*

Lib. 1. de Bell. Ciuil.

Lib. 15.

Invit. S. Remacl. c. 48.

Lib. 9. ep. 83

est, quod scio quàm sit exiguum, cælo tuo debeo. & Seuerus vbi Gallum inducit Posthumianum Aquitanum astantem: *Sed dum cogito,* inquit, *me hominem Gallum inter Aquitanos verba facturum, vereor ne offendat vestras nimium vrbanas aures sermo rusticior; audietis me tamen vt burdonicum hominem, nihil cum fucco, aut cothurno loquentem.* Nec soli genio, sed Rhetorum arti, & origini, eloquentiæ studium in Aquitanis acceptum refert Hieronymus, quòd origine Græcos se iactarent. *Itaque non mirum est stultos, & ad intelligentiam tardiores Gallatas appellatos, cùm & Hilarius Latinæ eloquentiæ Rhodanus, Gallus ipse, & Pictauis genitus, in hymnorum carmine Gallos indociles vocet, & quòd nunc Oratorum fertiles sunt, non tam ad regionis diligentiam, quàm ad Rhetorum clamorem pertinet, maximè cùm Aquitania Græcâ se iactet origine, & Galatæ non de illa parte terrarum, sed de ferocioribus Gallis sint profecti.* Etiam infelici Normanorum æuo, extincto litterarum nomine in Gallia, sola Aquitania barbariem nescijt. Abbo Floriacensis.

Dialog. 1. de virt. Monac. Orient. c. 20

Lib. 2. in ep. ad Gala.

Lib. de obsid. vrb. Parisiac.

Francigeni approperant alta cum fronte superbi.
Calliditate, venis, aciéque Aquitania linguæ.

Apud Aruernos maximè eloquentiæ & litterarum studia claruerunt. Sidonius Ecdicio; *Mitto istic ob gratiam pueritiæ tuæ, vndique gentium confluxisse studia litterarum, tuæque personæ quondam debitum, quòd sermonis Celtici squammam depositura nobilitas nunc oratorio stylo, nunc etiam camœnalibus modis imbuebatur.* & idem Aspro: *Hic te imbuendum liberalibus disciplinis Grammatici, Rhetorisque florentia studia monitu certante fouerunt, vnde tu non tam mediocriter institutus existi, vt tibi liceat Aruernos vel propter litteras non amare.* Quid Schola Burdegalensis, nónne celeberrima fuit altrix studiorum? Ausonius.

Lib. 3. ep. 3.

Lib. 4. ep. 21

In Rhetor. Burdegal.

Adferat vsque licèt Fabium Calagurris alumnum,
Non sit Burdegalæ dum cathedra inferior,
Mille foro dedit hæc iuuenes, bis mille senatus
Adiecit numero, purpureísque togis.

Quot professores ex hac schola prodierunt, qui pulcherrima fuere Ausonio carminum argumenta? Nec Gallis solùm frequentatam inuenio, sed & Romanis, qui eò studiorum gratiâ secedebant, testis ipse Symmachus, qui Rhetoris Garumnæ alumni se auditorem, & quicquid in se est huic cœlo se debere profitetur, quo Rhetore, non alium quàm Burdegalensem intelligas. Nec suâ laude caruit Schola Cadurcorum, quæ vel eò memoranda, quòd Exuperius Rhetor Tolosanus dimissis fascibus abiectâ patriâ cathedrâ hanc amplexus est, ibíque consenuit, autore Ausonio,

In Profess. carm. 18. *Decedens placidos mores, tranquilláque vitæ*
Tempora, prædiues finisti sede Cadurcâ.

Aquitani, inquam, belli & pacis studiis illustres, sed non leuis his laudis accessio ingenuis & candidis è moribus.

in Mosella. Ausonius,

Gallorum extremos inter, celsámque Pyrenen
Temperat ingenuos, quâ læta Aquitania mores.

Aquitani etiam vt eorum cultum corporis, animíque sectemur, veste mundi & compti, etiam in tenuiori fortuna.

Lib. 15. Ammianus: *Tersi tamen*, inquit, *pari diligentiâ cuncti, & mundi, nec in tractibus illis, maximéque apud Aquitaniam, poterit videri vel fœmina, licèt perquàm pauper, vt alibi frustis squalere pannorum.* Iidem lautissimi, mundissimíque in epulis, vt toralibus & mappis lineis, & laticlauijs discumberent.

Lib. 16. Idem Ammianus: *Tunc illud apud*

Aquitanos euenit, quod latior fama vulgarat: Veterator quidam ad lautum conuiuium rogatus & mundum, qualia sunt in iis regionibus plurima, cùm vidisset linteorum toralium par, duos clauos ita latissimos, vt sibi vicissim arte ministrantium cohærerent, mensámque operimentis paribus tectam, anteriorem chlamydis partem vtraque manu vehens intrinsecus structuram omnem vt amictûs adornauerat principales quærens, patrimonium diues euertit. Sed vt mortalium vitia suas ætates habent, Aquitani nimiis opibus in libidinem, & omnem vitæ labem soluti, de qua iustas secundâ seruitute pœnas dederunt. Saluianus: *Tales igitur etiam omnes absque dubio Aquitani esse debuerunt, & quidem vt diximus specialiùs tales, quia specialia Dei munera possidebant, & quid posthæc omnia quod secundum est, quid nisi cuncta quæ è diuerso sunt, in omnibus quippe Galliis sicut diuitiis primi fuere, sic vitiis, nusquam enim improbior voluptas, nusquam inquinatior vita, nusquam corruptior disciplina.* & paulò pòst: *Apud Aquitanicas verò quæ ciuitas in locupletissima, ac nobilissima sui parte non quasi lupanar fuit.* & infrà. *Cúmque ob impurissimam vitam traditi à Deo barbaris fuerint; impuritates tamen ipsas etiam inter barbaros non relinquunt, esse inter Gothos non licet scortatorem Gothum, soli inter eos, præiudicio nationis ac nominis permittuntur impuri esse Romani; & miramur si terræ vel Aquitanorum, vel nostrorum omnium à Deo barbaris datæ sunt, cùm eas quas Romani polluerunt fornicatione, nunc mundent barbari castitate?* Nec suis tantùm, sed & communibus reliquis Galliis vitiis laborãt Aquitani, naturâ leues, & rerum nouarum studiosi. Adreualdus: *Faciles Aquitanorum animi ad noua quæque leuiter mouienda.* Aquitanos moribus & veste lasciuientes aulæ se, & sua vitia obtrusisse suo æuo testis est Glaber: *Olim*

Lib. 7. de Guber. Dei.

Lib. 1. de Mirac. S. Bened. c. 38.

Lib. 3. c. 9.

igitur circa millesimum incarnati Verbi annum, cùm Rex Robertus accepisset sibi Reginam Constantiam, à partibus Aquitaniæ in coniugium, cœperunt confluere genera eiusdem Reginæ in Franciam, atque Burgundiam, ab Aruernia, & Aquitania homines omni leuitate vanissimi, moribus & veste distorti, armis & equorum phaleris incompositi, à medio capitis nudati, histrionum more barbis rasi, caligis & ocreis turpissimi, fidei & pacis fœdere omnino vacui, quorum itaque nefanda exemplaria, heu proh dolor! tota gens Francorum nuper omnium honestissima, ac Burgundionum sitibunda rapuit, donec omnis foret nequitiæ & turpitudinis illorum conformis. Denique quàm malè de Aquitanorum moribus senserit Carolus M. satis eo aperuit quòd Ludouicum filium à cunis Aquitaniæ Regem, iam pubescentem ab Aquitanis ad se reuocauit, ne peregrinis moribus diuinam indolem afficeret. Lib. 5. c. 2. Id. in vit. Lud. P. Aymoini Continuator: *Inter quæ cauens ne aut Aquitanorum populus propter eius longum abscessum insolesceret, aut filius in tenerioribus annis peregrinorum aliquid disceret morum, quibus difficulter expeditur ætas semel imbuta, misit & accersiuit filium iam bene equitantem cum omni populo militari, &c.* Nec prætercam ædificia in Aquitania olim tecta scandulis roboreis, id est tabellis assulatim sectis, tegularum vice, vel stramentis seu stramine, quod & hodie rusticorum casulæ retinent. Lib. 2. c. 1. Vitruuius: *Ad hunc diem nationibus exteris, ex his rebus ædificia constituuntur, vt in Gallia, Hispania, Lusitania, Aquitania, scandulis robusteis, aut stramentis.*

CAP. V.

Vascones latrocinijs famosi, augurijs dediti & superstitiosi, bellicosi, leues, perfidi, & rerum nouarum cupidi. Calagurritanorum fides.



ASCONES Pyrenæum saltum primùm inhabitarunt, vnde à Pompeio ob latrocinia in plana depositi, & in vnum oppidum collecti, cui Conuenæ nomen dictum, cœlum non animum mutarunt, & traduce semine ingenitam labem posteris transmiserunt, vnde latrones Conuenas vocat Hieronymus: *Nimirum respondet generi suo, qui de latronum & Conuenarum natus est semine.* Vagos Fortunatus, quòd prædæ causâ palarentur. Aduers. Vigilant.

Cantaber vt timeat, Vasco vagus arma pauescat. Lib. 10. c. 25

Ijdem superstitiosi, & augurijs ad insaniam dediti. Capitolinus: Ὀρνεοσκόπος *magnus, vt & Vascones, & Hispanorum, & Pannoniorum augures vicerit*: & Milo scriptor vitæ S. Amandi apud Surium: *Audiuitque ab eis gentem quam Vacceiam appellauit antiquitas, quæ nunc vulgò nuncupatur Vasconia, nimio errore deceptam, ita vt augurijs, vel omni errori dedita idola etiam pro Deo coleret.* Nec dum exemptam luem notat Vallissernensis: *Audiens autem dictus Rogerius* (is erat Comes Conuenarum) *quòd Comes* (Monsfortius) *vnicum sternitum emisisset, vocauit illos qui secum erant in partem consulens eos, & nolebat illa hora facere quod Comiti proposuerat, in terra enim obseruant auguria stultissimi homines terræ illius.* Bellicosi & audaces nudi olim pugnarunt. Silius Italicus,

In Macrino. Tom. 1. Febr. 6. Hist. Albig. cap. 53. Lib. 5.

Cantaber, & galeæ contempto tegmine Vasco.

Lib. 10. & idem,

Ac iuuenem quem Vasco leuis, quem spicula densus
Cantaber vrgebat.

Sed leues & quietis impatientes, & dubiæ fidei, vt in vita Ludouici Pij: *Vascones vt sunt natura leues, propter euentum supradictum valde elatos, & propter mulctationem Adelerici nimis reperit efferatos.* & in eiusdē vita: *Vascones natiuum, assuetúmque fallendi morem exercere conati, mox sunt prudenti astutiâ deprehensi.* Et Stephanus Tornacensis, in Epist. 92. epistola ad Ioannem Pictauiensem Episcopum: *Absit Pater à mansuetudine vestra, vt ad Gothorum barbariem, ad leuitatem Vvasconum, ad crudeles & efferos mores Septimaniæ declinetis, vbi supra fidem infidelitas.* Iidem imperij muta- Vol. 3. c. 21. tione gaudent quasi seruitutis solatio. Frossardus: *Onc-* Lib. 8. c. 80. *ques les Gascons trente ans à vn tenant ne furent fermement à vn Seigneur.* Honorum & opum cupidos agnoscit Ioannes Villanus, de Clemente V. Pap. *Mà cognoscendo huomo vago d'honore, & di Signoria, & che era Guascone, che di natura sono cupidi, che di leggieri.* Olim tamen Calagurritani pars Vasconum singulari fidei exemplo erga Sertorij cineres Pompeianam obsidionem vsque ad extrema quæque, & nefarium cadauerum vxorum & natorum Lib. 7. c. 6. pastum perpessi sunt: teste Valerio Maximo: quod versu insinuat Iuuenalis,

Satyr. 15.

Vascones, hæc fama est, alimentis talibus olim
Produxere animas.

Cap. VI.

Celtica lingua, alia à Germanica, affinis Britannicæ. Massilienses trilingues. Galli à Romanis victi victorum linguam assumpsere. Rustica Romana lingua.



Alli suam linguam habuere: hæc alia fuit à Germanica, tamen Germanis nota, ob mutuum harum gentium commercium. Hoc sensu de Sertorio memorat Plutarchus cum à Mario pro exploratore in Cimbrorum castra submissum quòd Gallicam linguam nosset, & cum his sermonem habere posset. Linguam Gallicam aliam à Germanica euincit etiam, quòd Ariouistum Regem Germanorum linguâ Gallicâ vsum ob longam cum Gallis consuetudinem scribit Cæsar: *Commodissimum visum est M. Valerium Procilium, C. Valerij Caburi filium, summa virtute & humanitate adolescentem, & propter linguæ Gallicæ scientiam, qua multa iam Ariouistus longinqua consuetudine vtebatur, & quòd in eo peccandi Germanis causa non esset, ad eum mittere.* Lingua Gallica Britannicæ propior, & quasi germana. Tacitus de Britannis loquens: *In vniuersum tamen æstimanti Gallos vicinum solum occupasse credibile est, eorum sacra deprehendas superstitionum persuasione, sermo haud multùm diuersus.* Vetus Celtarum lingua etiam à Græca & Romana diuersa: testantur litteræ Cæsaris ad Q. Ciceronem Græcis litteris scriptæ, ne his casu interceptis consilia Cæsaris hostibus, id est Gallis pro-

In Sertor.

Lib. 1. de Bell. Gall. cap. 11.

In Agricola.

Lib. 5. de Bell. Gall. cap. 12. derentur. *Cæsar tum cuidam ex equitibus Gallis magnis præmijs persuadet vti ad Ciceronem epistolam deferat, hanc Græcis conscriptam litteris mittit, ne intercepta epistola nostra ab hostibus consilia cognoscantur.* Eandem diuersitatem 2. ad Galat. in Prœm. agnoscit Varro apud Hieronymum, cùm Massilienses Ep. ad Gal. cap. 3. trilingues vocat, quòd Græcè loquerentur Latinè, & Gallicè. Et Hieronymus ipse cùm Galatas, idest Gallo-Græcos, qui sunt Gallorum coloni, præter Græcam propriam linguam habere ait Treuericæ similem, id est veteri Celticæ: *Vnum est quod inferimus Galatas, excepto sermone Græco, quo omnis Oriens loquitur, propriam linguam* Lib. 1. adu. hæres. in præfat. apud Epiphan. hæres. 30. 10. *eandem penè habere quàm Treuiros.* Quid Irenæus Lugdunensis Episcopus, vir Græcus, nónne Celticam linguam à Græca prorsus discrepantem insinuat, cùm se inter Celtas versari, & in barbarica lingua plurimum laborare fatetur? οὐκ ἐπιζητήσεις δὲ παρ' ἡμῶν τῶν ἐν κελτοῖς διατριβόντων, καὶ περὶ βάρβαρον διάλεκτον τὸ πλεῖστον ἀσχολουμένων λόγων τέχνην ἣν οὐκ ἐμάθομεν: *Non exigis à nobis degentibus inter Celtas, atque in barbara lingua plurimum laborantibus oratoriam artem, quam nunquam didicimus.* Gallica lingua inculta, horrida, & barbaricum sonans. Latinus Pacatus: In Panegyr. Theodos. *Non esse fastidiorum hunc & incultum Transalpini sermonis horrorem.* Sermonis Celtici squammam dixit Sidonius. Lib 3. ep. 3 Celtica verba quasi Lib. 11. Noct. Atticar. c. 7. barbara risere Romani apud Gellium: *Post deinde, quasi nescio quid Tuscè, aut Gallicè dixisset, vniuersi riserunt.* Tamen ob necessitatem rerum gerendarum & promiscui vsus non defuere inter Romanos qui eam discerent. Decimum Brutum vnum ex percussoribus Cæsaris linguæ Gallicæ peritum signat Appianus: ἤλλαξε δὲ τὴν ἐσθῆτα ἐς τὸ Κελτικὸν, ἐξεπιστάμενος ἅμα καὶ τὴν

φωνὴν

φωνὴν, καὶ διεδίδρασκε σὺν ἐκείνοις οἷά τις Κελτός. *Tum verò ſumpto cultu Gallico non ignarus & linguæ, fugiebat cum his paucis, pro Gallis habitus.* Gallicè ſcripta fideicommiſſa rata eſſe voluere iuris auctores. Vlpianus: *Fideicommiſſa quocumque ſermone relinqui poſſunt non ſolum Latinâ, vel Græcâ; ſed etiam Punica, vel Gallicana, vel alterius cuiuſcumque gentis.* Alexandro Seuero non ignotum fuiſſe Celticum probabile eſt, quandoquidem Druidem feminam ei procedenti in hoſtem, belli euentum Gallico ſermone præcentaſſe autor eſt Lampridius: *Mulier Druias eunti exclamauit Gallico ſermone, vadas, nec victoriam ſperes, nec militi tuo credas.* Interdum & Romani Oratores verba Celtica affectarunt eáque ciuitate donarunt: Quintilianus in oratione Labieni, ſiue illa Cornelij Galli eſt in Pollionem, *Caſnar, aſſectator, è Gallia ductum eſt*; & paulò poſt: *Plurima Gallica valuerunt, vt Rheda, ac Petoritum, quorum altero Cicero, tamen altero Horatius vtitur.* Hinc querela ipſius Ciceronis Gallorũ in vrbẽ colluuie infusã peregrinitatẽ: *Ego autem mirificè capior facetijs maximè noſtratib⁹, præſertim cũ eas videã primũ oblitus latio cum in vrbem noſtram eſt infuſa peregrinitas; nunc verò etiã Brachatis & Tranſalpinis nationibus, vt nullum veteris leporis veſtigium appareat.* Aquitani à Belgis, & Celtis linguâ & moribus diſcrepantes fuere. Cæſar: *Hi omnes linguâ, inſtitutis, & legibus inter ſe differunt.* Strabo: τοὺς μὲν Ἀκουιτανοὺς τελέως ἐξηλλαγμένους, οὐ τῇ γλώττῃ μόνον, ἀλλὰ καὶ τοῖς σώμασιν ἐμφερεῖς Ἴβηρσι μᾶλλον ἢ γαλάταις *Aquitanos à ceteris planè differentes non linguâ modò, ſed & corporibus Hiſpanis, quàm Gallis ſimiliores.* Quod repetit idem Autor non longè pòſt: & Ammianus. *Temporibus priſcis cùm laterent hæ partes vt barbaræ, tripar-*

l fideicommiſſa 11. ff. de lega. 3.

In Alexand.

Lib. 1. inſti. orator. 5.

Lib. 7. epiſt. ad Famil. ep. 15.

Lib. 3. de Bell. Gall.

Lib. 4.

Lib. 15.

titæ fuisse creduntur, in Celtas, eosdémque Gallos diuisæ, & Aquitanos & Belgas linguâ, institutis, legibúsque discrepantes. Quod ita accipiendum vt non linguâ omnino, sed dialecto variasse intelligamus. Aquitanos enim Celticâ
Lib. 3. ep. 3 linguâ vsos satis locuples testis Sidonius, cùm ait, Aruernos Latinis litteris ab Ecdicio excultos, Celticæ linguæ squalore deterso: *Tuæque personæ quondam debitum, quòd sermonis Celtici squammam depositura nobilitas, nunc oratorio stylo, nunc etiam camœnalibus modis imbuebatur.* Aquitanos etiam Celticæ linguæ compotes facit Seuerus cùm Posthumianum Aquitanum inducit rogantem Gallum, vt Celticè, aut si malit Gallicè, res gestas D. Martini enarret: *Tu verò*, inquit, *Posthumianus vel Celticè, aut si mauis Gallicè loquere, dummodò iam Martinum loquaris* ait Gallicè, quò intelligas plebeiam & vulgarem linguam, quæ corrupta erat è veteri Celtica, vt & Latina lingua suam habuit vulgarem, velut domina ancillam.
3. Æneid. Seruius in hæc verba Virgilij,

------ Dodonæosque lebetas

Ollas æreas Græcè dixit; zemas enim vulgare est, non Latinum. Aquitaniâ & Galliâ armis subactâ, & in prouinciam à Romanis redactâ, Celtica lingua paulatim exoleuit, & victi in victorum nomen, linguam, leges, mores, habitúmque cesserunt: hæc enim victoriæ lex
2. Æneid. fuit, quò spectat Virgilius,

Ne vetus indigenas nomen mutare Latinos,
Neu Troas fieri iubeas, Teucrósque vocari,
Aut vocem mutare viros, aut vertere vestem.

Hâc lege Britanni victi à Romanis linguam Romanam
In Agricola tandem assumpserunt. Tacitus: *Iam verò principum filios liberalibus artibus erudire & ingenia Britannorum studijs.*

Gallorum anteferr e, vt qui modò linguam Romanam abnuebant eloquentiam concupiscerent. Hâc lege Turduli in Hispania, adeò Romanam linguam, & mores hauserunt, vt idiotismi sui penitus oblitos tradat Strabo: οἱ μὲν τι τυρδιτανοὶ καὶ μάλιστα οἱ περὶ τὸν βαῖτιν τελέως εἰς τὸν ῥωμαίων μεταβέβληνται τρόπον, οὐδὲ τῆς διαλέκτου τῆς σφετέρας ἔτι μεμνημένοι: *Turditani autem, maximè qui ad Bætim sunt, planè Romanos mores assumpserunt, ne sermonis quidem vernaculi memores.* Hâc lege & Asiaticæ prouinciæ sub Romanis linguam, & nomina amiserũt. Idem Strabo: τελευταῖοι δὲ ῥωμαῖοι ὑφ' ὧν ἤδη καὶ τὰς διαλέκτους, καὶ τὰ ὀνόματα ἀποβεβλήκασιν· οἱ πλεῖστοι γεγονότος ἑτέρου τινὸς μερισμοῦ τῆς χώρας: *Vltimi Romani sub quibus iam & linguam & nomina amiserunt plerique, nouâ quadam regionum instituta diuisione.* Denique hâc lege Galli Romanam linguam susceperunt, quam Celticæ contagio, & alienigenarum vsu corruptam rusticam Romanam linguam vocarunt: Concilium Turonense III. *Et vt easdem homilias quisque apertè transferre studeat in rusticam Romanam linguam, aut Theotiscam, quò faciliùs cuncti possint intelligere quæ dicuntur.* Idiotismus *le Roman.* Vnde Gallia Romana, & Galli Romani dici amarunt, quòd tum linguâ, cum legibus Romanis vterentur. Cùm igitur Aquitaniam suâ luce donare nobis propositum sit, haud quaquam alienum erit veterem Celticam linguam, quâ vsi & Aquitani, iam obliuione sepultam excitare, eiúsque voces quotquot apud Autores Græcos, aut Latinos sparsas reperi, colligere ordine alphabetico.

Lib. 3.

Lib. 12.

Can. 17.

Cap. VII.

Alauda. Al. Alpes. Ambacti. Armorica. Aripennis.



LAVDA Gallis, Galerita auicula apice caput insignis, vnde legionem ex Gallis conscriptam cristatis galeis donatam Cæsar Alaudam vocauit. Tranquillus: *Qua fiducia* (In Iulio c. 23.) *ad legiones, quas à Rep. acceperat alias priuato sumptu addidit, vnam etiam ex Transalpinis conscriptam; vocabulo quoque Gallico, Alauda enim appellabatur.* & Plinius: (Lib. 11. c. 38) *At quæ ab illo Galerita appellata quondam, posteà Gallico vocabulo etiam legioni nomen dederat Alauda.* Præter hos testis (De Medic. cap. 29.) Marcellus Empiricus, patria Aquitanus, & linguæ Celticæ peritissimus. *Corydalus auis, id est, quæ Alauda vocatur.* & Gregorius Turonensis: (Lib. 4. hist. cap. 30.) *Auis Corredalus, quam Alaudam vocamus.*

AL Celticum in Catalectis Maronis quid significet, quęrit Ausonius. (Edyl. 12.)

Dic quid significent Catalecta Maronis ex his Al
Celtarum posuit

Quærit istud Poëta noster, vt Grammaticorum ingenia torqueat. Turnebus Al, Celtarum linguâ vt Germanicâ totum significasse sensit, (Lib. 23. aduers. c. 30.) Iosephus Scaliger, & post eum Elias Vinetus Al, pro Allium à Gallis dictum putant, quæ vocum Latinarum truncatio adhuc Gallis familiaris est.

ALPES Gallis vocantur omnes montes editissimi. Seruius illo loco Virgilij, (10. Aeneid.)

Alpes immittit apertas,

Sanè omnes altitudines montium licèt à Gallis Alpes vocentur, propriè tamen montium Gallicorum sunt. ſic Alpes pro Pyrenæis dixere, vt modò obſeruatum, Alpes dici & Pyrenæos & regionis accolis Alpes vſurpari pro faucibus montium animaduertit Procopius. Ἱσπανία ὠνόμασται ἄχρι ἐς ἄλπεις τὰς ἐν ὄρει τῷ πυρηναίῳ οὔσας, ἄλπεις δὲ καλεῖν τὴν ἐν στενοχωρίᾳ δίοδον οἱ ταύτῃ ἄνθρωποι νενομίκασιν: *Hiſpania dicitur ad vſque Alpes, quæ in Pyrenæis ſunt montibus, Alpes vero dici in anguſtijs tranſitum, qui ea in regione ſunt homines decreuerunt.* Alpes etiam pro Atho monte Thraciæ. Sidonius: Lib. 1. de bell. Gothi. Carm. 9.

Admiſſoque in Athon tumente Ponto.
Iuxta frondiferæ cacumen Alpis
Scalptas claſſibus iſſe per cauernas.

Ambacti Gallis clientes nobilium, qui eis obſequium, & operam in bello præſtabant. Cæſar: *Omnes in bello verſantur, atque eorum vt quiſque eſt genere, copiiſque ampliſſimus, ita plurimos circùm ſe Ambactos clientéſque habet.* Malè Ennius apud Feſtum Ambactum linguâ Gallicâ ſeruum ſignificaſſe credit, *Ambactus apud Ennium lingua Gallica ſeruus dicitur.* Ambacti enim non erant ſerui, ſed principum comites bello & pace. Lib. 6. de Bell Galic.

Armoricæ apud Gallos dicũtur ciuitates quæ Oceanum attingunt. Cæſar: *Vniuerſis ciuitatibus quæ Oceanum attingunt, quæ eorum conſuetudine Armoricæ appellãtur.* & idẽ: *Ceteræque ciuitates poſitæ in vltimis Galliæ finibus Oceano coniunctæ, quæ Armoricæ appellantur.* Hâc ſignificatione Armoricana etiam dicitur apud Henricum Altiſſiodorenſem. Lib. 7 de bell. Gall. cap. 13. Lib. 5. vit. S. Germani.

Gens inter geminos notiſſima clauditur amnes
Armoricana priùs veteri cognomine dicta.

Armor enim ad mare, vel ſupra mare illis ſignificat. Inde Aquitania Aremorica ante dicta Plinio, quòd ab occaſu pertineat ad Oceanum.

Lib.

Aripennis Gallis ſemiiugerum terræ ſignificat. Columella: *At Galli Candetum appellant, in areis vrbanis, ſpatium centum pedum; in agreſtibus autem pedum* CL. *quòd aratores Cadetum nominant, ſemiiugerum quoque arepennem vocant.*

Lib. 5. de re ruſt. c. 1.

Cap. VIII.

Bagaudæ. Baracaca. Bardi. Bardaicus. Bardocucullus veſtis Gallica.



AGAVDÆ, Gallis nomen factionis agreſtium & latronum, quæ Diocletiani tempore commota in Gallia, Heliano & Amando ducibus, quamprimùm oppreſſa à Maximiano. Aurelius Victor præter alios: *Namque vbi comperit Carini diſceſſu Helianum, Amandúmque per Galliam excita manu agreſtium ac latronum, quos Bagaudas incolæ vocant, populatis latè agris, pleraſque vrbium tentare, Maximianum Imperatorē iubet &c.* de his Pæonius Eutropij interpres: Βακαῦδαι ὄνομα ἐςὶ τῶ͂ν τυράννων· δηλῶν ἐπιχωρίους: *Bagaudæ id nomen latronibus indigenis.* Bagaudæ dicti quaſi ſyluicolæ: Gau enim linguâ Gallicâ ſyluam ſonat. Sub Theodoſio & & Valentiniano recruduit Bagaudarum tumultus in Gallia, ſed defectionis principum ſupplicio ſopitus: Proſper Aquitanus: *Gallia vlterior Tibutonem principem rebellionis ſecuta à Romana ſocietate diſceſſit, à quo tracto initio omnia penè Galliarum ſeruitia in Bagaudam conſpirauerat:*

In Diocletiano.

[handwritten margin note:] ...tum quidem e. Galler. lingua ...ones dictos Bagaudas ...mporib. Diocletiani ...non antea: ut plurib. ...enuar Menagius in ...ineb. Gallicis: fol. 81. ...cigitur hec ... inter Celti... antiquas venerari ... er

capto Tibutone, & ceteris seditionis partim principibus vinctis, partim necatis, Bagaudarum commotio conquiescit. Hinc Eumenius ex emendata lectione *latrocinio Bagaudicæ rebellionis obsessa.* E Gallia trāsijt in Hispaniam nomen Bagaudarum. Idacius: *Asturius Dux vtriusque militiæ ad Hispanias missus, Tarraconensium cadit multitudinem Bagaudarum.* Bagaudarum infelicitatem deplorat Saluianus: *De Bagaudis nunc mihi sermo est, qui per malos iudices, & cruentos spoliati, afflicti, notati, postquàm ius Romanæ libertatis amiserunt, etiam honorem Romani nominis perdiderunt, & imputatur his infelicitas sua, imputamus his nomen calamitatis suæ, imputamus crimen quod ipsi fecimus, & vocamus rebelles, vocamus perditos, quos esse compulimus criminosos; quibus enim alijs rebus Bagaudæ facti sunt, nisi iniquitatibus nostris, nisi improbitatibus iudicum, nisi eorum proscriptionibus & rapinis qui exactionis publicæ nomen in quæstus proprij emolumenta verterunt, & indictiones tributarias prædas suas esse fecerunt.* Sic in Ægypto sub Antonino Philosopho tumultuata turba rusticorum, & pecuariorum, quos Βουκόλους vocarunt. Xiphilinus: καὶ οἱ καλούμενοι δὲ Βουκόλοι κατὰ τὴν Αἴγυπτον κινηθέντες: *Ad hæc moti in Ægypto qui Bucoli dicuntur.*

De schol. instaur.

Lib. 5. de gubernat.

In Antonin.

Baracacæ Celtica vox sacras membranas interpretatur Hesychius: βαρακάκαι ἅγιοι διφθέραι παρὰ κέλτοις.

Bardi apud Gallos, vates erant qui principum, & virorum fortium laudes carmine canebant. Strabo: βάρδοι μὲν ὑμνηταὶ, καὶ ποιηταί. *Bardi hymnorum cantores & Poetæ.* Diodorus Siculus: εἰσὶ καὶ παρ' αὐτοῖς καὶ ποιηταὶ μελῶν, οὓς βάρδους ὀνομάζουσιν οὗτοι δὲ μετ' ὀργάνων ταῖς λύραις ὁμοίων ᾄδοντες, οὓς μὲν ὑμ-

Lib. 4.

Lib. 5

νῦσιν, οὓς δὲ βλασφημοῦσι. *Sunt etiam apud hos carminum melicorum Poëtæ, quos Bardos nominant hi ad instrumenta lyris similia, aliorum laudes, aliorum vituperationes decantant.* Athenæus ex Possidonio ait Celtas secum in bello circumducere parasitos, præcones laudum suarum: τὰ δὲ ἀκούσματα αὐτῶν εἰσὶν οἱ καλούμενοι βάρδοι ποιηταὶ δὲ οὗτοι τυγχάνουσι μετ' ᾠδῆς ἐπαίνους λέγοντες: *Earumque cantionum Bardos Poëtas esse, laudes ipsorum cum cantu celebrantes.* Latinis noti & Bardi Gallorum. Lucanus,

Lib. 6. Diprosoph. cap. 12.

Lib. 1. de Bell. ciuil.

Vos quoque qui fortes animas, bellóque peremptas
Laudibus in longum vates dimittitis æuum,
Plurima securi fudistis carmina Bardi.

Lib. 15. Ammianus: *Et Bardi quidem fortia virorum illustrium facta, heroïcis composita versibus, cum dulcibus lyræ modulis cantitarunt.* & Festus: *Bardus Gallicè cantor appellatur, qui virorum fortium laudes canit*: huc vsque lego verba Festi, hæc enim quæ sequuntur, *à gente Bardorum, de quibus Lucanus*, Pauli commentum esse reor, qui non intellexit Bardos apud Lucanũ non esse nomen gentis, sed vatum, seu cantorum Gallorum. Malè Ioannes Meursius voluit Bardum linguâ Gallicâ esse viam, deceptus illo loco corrupto Hesychij: βάρδοι αἱ ὁδοὶ παρὰ γαλάταις: *Bardi viæ apud Gallos.* Nam legere debuerat, βάρδοι οἱ ᾠδοὶ παρὰ γαλάταις: *Bardi Cantores apud Gallos*, vnde Bardaïcus dicitur, pro Gallo, vt apud Martialem ex emendatione Turnebi,

In voc. Bardus.

Lib. 4. Epig. 4.

Lassi Bardaici os quod euocati.

Satyr. 16. & Bardaïcus iudex, pro præfecto militari gallico: apud Iuuenalem,

Bardaïcus iudex datur hæc punire volenti.

inde

inde etiam Bardocucullus est genus vestis, quo vtebantur Bardi illi vates Gallorum, fidem astruit: quòd Martialis vestem Gallicam agnoscit,

Gallia Santonico vestit te Bardocucullo. Lib. 14. epigr. 128.

Cap. IX.

Baro, seu Varo. Becco. Benna. Belenus, Bracca. Briua, Bulga.

Baro, vel Varo linguâ Gallicâ stultus, stolidus: vnde Baronis nomen migrauit ad calones & lixas, id est seruos militum probri causâ. Cornutus in illum locum Persij, P. Pithœus subsecia lib. 1 cap. 8.

Baro regustatum digito terebrane Salinum. Satyr. 5.

Linguâ Gallorum Barones, vel Varones dicuntur serui militum, qui vtique stultissimi sunt, serui videlicet stultorum. Pari significatu Romanis Varones, Rupices, & Rustici. Lucilius apud Festum, * Cuiac. obs. lib.

Varronum ac rupicum squarrosa incondita rostra.

& Baronis nomen pro stolido & bardo vsurpat M. Tullius: *Hæc cùm loqueris nos Barones stupemus*; & in epistola ad Atticum: *Apud Patronem & reliquos Barones te in maxima gratia posui.* Barones à Græco βαρεῖς deducit Isidorus, quo nomine appellitat mercenarios, id est seruulos, qui mercede locant operas: *Mercenarij*, inquit, *sunt qui seruiunt acceptâ mercede, ijdem & Barones Græco nomine quòd sint fortes in laboribus.* Hoc sensu Barones accipiuntur pro militibus conductitijs apud Cæsarem; sic enim malim legere quàm Berones: *Concurritur ad Cassium defendendum; semper enim Barones compluresque euo-*

Lib. 2. de finib. — Lib. 5. ep. 11 — Lib. 9. Orig. cap. 4. — Lib. 1. de bell. Ciuil. cap. 9.

catos cum telis secum habere consueuerat. Sic apud Cassio-
Lib. 1. ep. 11 dorum legendum puto Barones, pro Breones, illo loco: *Præsentibus te affamur oraculis, vt si re verá mancipia eius Barones irrationabiliter cognoueris abstulisse, qui militaribus officijs assueti ciuilitatem premere dicuntur armati, &c.* Tandem variante locutionis vt rerum sorte, Baronum
Serm. 48. ad frat. in Ere. nomen translatum ad viros nobiles, & militares. Augustinus. *Vbinam est Cæsaris corpus præclarum, vbi apparatus deliciarum, vbi multitudo dominorum, vbi caterua Baronum, vbi acies militum?* & alio loco:
Serm. 68. ad eosd. *Dic vbi Imperatores, & Reges, vbi Duces principes, aut Barones, vbi aurum & argentum ac ornamenta eorum?* In legibus Saliorum, Alamannorum, Ripuariorum & Longobardorum Baronis nomen, pro viro passim receptum: hodiéque apud nos, Barones sunt maiores vassi, qui immediatè feuda tenent à Rege, vt in sanctione Henrici I. Regis Anglorum apud Mat-
A. C. 1110. thæum Paris: *Si quis Baronum meorum, Comitum, vel aliorum qui de me tenent, mortuus fuerit.*

BECCO linguâ Gallicâ Gallinacei rostrum: Tran-
In Vitell. cap. 18. quillus de Antonio Primo: *Tolosæ nato cognomen in pueritia Becco fuerat, id valet Gallinacei rostrum.* Græcis βεκὸς, pro bardo & stolido. Hesychius βεκὸς ἄνοητος.

In v. Benna. BENNA, Gallis genus vehiculi. Festus: *Benna lingua Gallica genus vehiculi appellatur, vnde vocantur Conbennones in eadem Benna sedentes.* Alio significatu nostris Bennæ nomen pro piscatoria. Aymoinus: *Cum piscato-*
Lib. 1. c. 20. in Rober. R. *ria quæ appellatur Benna*; vnde Caroli Benna, Helgaldo: *Ecce venientes ad portum Sequanæ, qui dicitur Caroli Benna, hoc est Piscatorio,* (legendum Piscatoria) *quæ erat difficultate transmeabilis.* Alij Gordum, vt in tabulis Ludouici Iunioris, quæ inter Martinianas editæ sunt: *Gordum*

etiam piscium apud Poissiacum in Sequana, de dono patris mei. 13. Ianuar.
Aliàs etiam Benna, pro vase, vt in vita S. Remigij apud Surium: *Coxit panes, & carnes, & accepit ceruisiam in vasculis, pro vt potuit, quæ omnia in vase, quod vulgò Benna dicitur collocauit.*

Belenvs. Sic Galli vocant Apollinem. Ausonius In profess. 4.

Beleni sacratum ducis è templo genus,
Et inde vobis nomina.
Tibi pateræ sic ministros nuncupant
Apollinaris mystici.

Nec soli Galli, sed & Norici, Alpini populi, Belenum pro Apolline coluerunt. Tertullianus; *Vnicuique etiam* Apolog. 24. *prouinciæ & ciuitati suus Deus est, vt Syriæ Astartes, vt Arabiæ Disares, vt Norici Belenus, vt Africæ Cœlestis, vt Mauritaniæ Reguli sui.* Belenum, seu Belum, quod idem est, etiam coluêre Aquileienses. Herodianus: βέλην δὲ καλοῦσι Lib. 8. in Maximinis. τοῦτον, σέβουσί τε ὑπερφυῶς ἀπόλλωνα εἶναι ἐθέλοντες. *Belem vocant indigenæ, magnáque religione colunt.* & Capitolinus. *Deum Bellenum per aruspices spopondisse Maximinum esse vincendum.* In Maximi.

Bracæ, vel Braccæ. Gallicâ linguâ sunt caligæ, quibus Galli vtuntur. Didorus Siculus, ἐσθῆσι δὲ Lib. 5. Biblioth. χρῶνται καταπληκτικαῖς, χιτῶνας μὲν βαπτὰς, χρώμασι παντοδαποῖς διηνθισμένοις, καὶ ἀναξυρίσιν; ἃς ἐκεῖνοι βράκας προσαγορεύουσι: *Vestibus vtuntur mirificis, tunicas enim tinctas, & varijs coloribus floridas, quas illi Bracas gestant.* & Tranquillus: *Galli Bracas deposuerunt.* Vnde Gallia Narbonensis Bracata ante dicta apud Plinium, Melam, & alios. In Iulio c. 8. Lib. 3. c. 4. & lib. 4. c. 17 lib. 2. c. 5.

Brance, Gallis genus farris seu tritici, quod Romani sandalum. Plinius: *Galliæ quoque suum genus farris* Lib. 18. c. 6.

dedere, quod ille Brance vocant, apud nos Sandalum nitidissimi grani.

BRIVA. Celtica lingua, nonnullus traiectum vel vadum, alijs autem & forte rectius pontem vel oram fluminis significat: vnde & Briua Curretia in Lemouicibus, de qua Gregorius Turonensis *Lemouicinum accedens Briuam Curretiam vicum aduenit*: sic dicta quòd sita sit ad Curretiam amnem, qui vulgò dicitur *la Correze*, inde & Briuate in Aruernis, & Briua Isaræ quæ & Pontisara nuncupatur, vulgò *Pontoise*, inde & Samarobriua, quæ & Sommonobriua ab obuio Soma flumine, Sigebertus: *Ciuitatem quam Antoninus Pius cum filio Aurelio condidit, & Sommonobriam ab adiacente flumine appellauit Gratianus Imperator suo dominio mancipatam, mutato nomine, Ambianis ab ambitu fluminum fecit vocari*. Prodest hic locus vt notetur origo nominis vrbis, aliàs enim falsum eius conditorem esse Antoninum, nam Samarobriua est longè antiquior, & M. Tullio memorata in epistolis ad Trebatium.

Lib.7.c.10. Id. Aymoin. lib. 3. c. 61. A. C. 385. Lib.7.Epist.

BVLGÆ, Gallis sacculi scortei. Festus: *Bulgas Galli sacculos scorteos appellant*. Vernaculi adhuc nomen retinent Boulgetes.



CAP. X.

Cæcos. Candetum. Candosoccus. Casnar. Caracalla. Carroco. Gateia. Caterua. Ceruisia. Circius. Couinus. Crupellarij. Culcitra.



ÆCOS. Gallicâ linguâ sonat dimitte. Seruius in eum locum Virgilij, 11. Æneid.

Direptúmque ab equo dextrâ complectitur hostem.

Hoc, inquit, *de historia tractum est; nam C. Iulius Cæsar, cùm dimicaret in Gallia, & ab hoste raptus equo eius portaretur armatus, occurrit de hostibus qui eum nosset, & insultans ait; Cecos Cæsar, quod Gallorum lingua dimitte significat.*

CANDETVM, Gallis modus, seu spatium soli centum pedum. Columella, & ex eo Isidorus ijsdem verbis: *At Galli Candetum appellant in areis vrbanis spatium centum pedum, in agrestibus autem pedum* CL. *quod aratores Candetum nominant.* & auctor incertus de limitibus, agrorum: *Galli Candetum appellant in areis vrbanis spatium centum pedum, quasi centeatum; in agrestibus autem pedum* CL. *quadratorum iustum Candetum vocant.* Lib. 5. c. 1. Lib. 15. Orig. c. 15.

CANDOSOCCVS, Gallis palmes vitis terrâ obrutus vt propagetur, Latinis Mergus. Columella; *Nonnullos tamen in vineis animaduerti, & maximè eluenacei generis prolixos palmites, quasi propagines summo solo adobruere, deindè rursus ad arundines erigere, & in fructum summittere, quos nostri agricolæ mergos, Galli Candosoccos vocant.* Lib. 5. c. 5.

CASNAR, Celtis assectator. Quintilianus: *Et in oratione Labieni, siue illa Cornelij Galli est in Pollionem Cas-* Lib. 1. instit. cap. 5.

nar assectator è Gallia ductum.

CARACALLA, vestis genus, cuius inuentum, noménque è Gallia Romam migrauit, auctore Antonino, qui hoc genus vestis plebi erogauit, vnde Caracalla dictus: *Cùm è Gallia*, inquit Aurelius Victor, *vestem plurimam deuexisset, talarésque Caracallas fecisset, coëgissetque plebem ad se salutandum indutam talibus introire de nomine huius vestis Caracalla cognominatus est.* Barbaricam vestem notat Xiphilinus: *ἰδίαν ἔνδυσιν βαρβαρικῶς πως καταχόπτων, καὶ συῤῥάπτων ἐς μανδύης τρόπον προσεξεῦρε: propriam vestem barbaricè discissam & consutam ex multis partibus, in modum penulæ adinuenit.* Caracallæ nomen, quæ erat vestis militaris, aut plebeia, detortum ad vestẽ cucullatam, quâ vtebantur Monachi & ascetæ, & ipsi clerici. Beda: *Mox se sanctus Albanus, pro hospite, ac magistro suo ipsius habitu, id est Caracalla qua vestiebatur indutus militibus exhibuit.* & in vita D. Eugendi Agaunensis Abbatis apud Surium: *Æstiuis namque temporibus Caracalla, nec scapulari cilicino vtebatur.* Seruilem vestem vocat Palladius de Melania loquens: *αὕτη ἡ ἀνδρεία, παιδάρειον χαρακάλλιον λαμβάνουσα καθ' ἑσπέραν εἰσέφερεν αὐτοῖς τὰ πρὸς τὰς χρείας; Hæc fortis mulier seruuli Caracalla induta, vespere eis ferebat quæ erant ad vsum necessaria.*

In epit. hist. August.

In Caracal.

Lib. 1. Hist. Anglic. c. 7.

1. Ianuar.

Hist. Lausia. cap. 117.

CARROCO linguâ Aquitanicâ Medulici piscis genus, de quo Ausonius.

Ep. 4. *Carroco, lethalis Trygon, molléque Platessa.*

Elias Vinetus putat esse aciperensem, quem vulgus vocat, *Creac.*

CATEIA, vox Gallica, teli Gallici genus, de quo Virgilius.

Lib. 7. Æne.

Teutonico ritu soliti torquère Cateias.

& Seruius ibi. *Tela Gallica*, inquit, *vnde & Teutonicum ritum dixit.* Idémque Isidorus. Lib. 18. Origin. cap. 7.

CATERVA, vt Phalanx Macedonum, sic caterua Gallorum legio erat. Vegetius: *Denique Macedones Græci, Dardani, Phalanges habuerunt; Galli atque Celtiberi, pluresque barbaricæ nationes cateruis vtebantur in prælio.* Lib. 2. de re milit. c. 2.

CERVISIA, Gallis potus genus auenâ confectum Plinius: *Ex ijsdem* (frugibus) *fiunt & potus, zythum in Ægypto, Cælia, & Ceria in Hispania, Ceruisia & plura genera in Gallia, alijsque prouincijs.* De huiusmodi potionis genere intelligendus alter locus Plinij: *Est & Occidentis populis sua ebrietas fruge madida pluribus modis per Gallias, Hispaniásque nominibus alijs, sed ratione eadem.* Lib. 22. c. 25 Lib. 14 c. 22.

CIMBRI linguâ Gallicâ latrones. Festus: *Cimbri lingua Gallica latrones dicuntur*, inde fortè gentis nomen.

CIRCIVS, lingua Gallica venti nomen, qui flat ab occidente, & valde infestus est Galliæ Narbonēsi. Phauorinus patriâ Arelatensis apud Gellium: *Nostri namque Galli*, inquit, *ventum ex sua terra flantem, quem sæuissimum patiuntur Circium appellant, à turbine, opinor, eius ac vertigine.* Cercium M. Cato vocat, apud Gellium eodem loco: *Sed quod ait ventum, qui ex terra Gallia flaret Circium appellari, M. Cato in libris Originum eum brutum Cercium dicit, non Circium.* Hic ventus vt dixi prouinciæ Narbonēsi valde infestus præter Phauorinum testis Plinius: *Item in Narbonensi prouincia clarissimus ventorum est Circius, nec vlli violentia inferior.* ob id D. Augustus, cùm in Gallia ageret, Circio, quò eum placaret templum vouit & posuit. Seneca: *Galliam Circius infestat cui ædificia quassanti, tamen incolæ, tanquam salubritatem cæli sui debeant* Lib. 2. Noct. Att. c. 22. Lib. 2. c. 47. Lib. 1. Natur. quæst. cap. 18.

ei; Diuus certè Augustus templum illi, cùm in Gallia moraretur & vouit & fecit.

COVINVS, seu Couinum, Gallis currus falcati genus, quo illi in prælio vtebantur. Mela: *Dimicant*
Lib. 3. c. 6. *non equitatu modò, aut pedite, verùm & bigis, & curribus, Gallicè armati Couinos vocant, quorum falcatis axibus vtun-*
Lib. 1. de Bell. Ciuil. *tur.* Couinis maximè vsi Belgæ, Lucanus,

Et docilis rector rostrati Belga Couini.

CRVPELLARII, Gallis genus gladiatorum, gal-
3. Annal. licè armati. Tacitus: *Adduntur è seruitijs gladiaturæ destinati, quibus more gallico continuum ferri tegimen, Crupellarios vocant, inferendis ictibus inhabiles, accipiendis impenetrabiles.*

CVLCITRA stratum lecti. Galliarum inuentum
Lib. 18. c. 1. Plinius: *Sicut in culcitris præcipuam gloriam Cadurci obtinent, Galliarum hoc & tomenta pariter inuentum.* Vnde & vocabulum Gallicum esse arbitror; rebus enim inuentis auctor nomen dare solet.

CAP. XI.

Dercoma. Diuona seu Duiona. Druides. Dunum. Dusii.

DERCOMA Gallis potionis genus ex fruge, &
Lib. 4. c. 12. melle confectum. Athenæus: παρὰ δὲ τοῖς ὑποδεεστέροις ζῦθος, πύρινον μετὰ μέλιτος ἐσκευασμένον, παρὰ δὲ τοῖς πολλοῖς καθ' αὑτὸ καλεῖται δέρκομα: *Egentioribus zythum ex hordeo cum melle confectum multi,* de Gallis loquitur, *vocant dercoma.* Nisi cum Casaubono legendum malis Κόρμα.

DIVONA,

DIVONA, seu, Duiona linguâ Celticâ Deorum fons. Ausonius, in Burdega.

Diuona Celtarum lingua fons addite Diuis

Duiona legitur Scaligero ex fide veterum codicum, & hæc lectio magis Celticum sonat; nec enim à Diuis dicitur, nam eo etiam nomine Ciuitatem Cadurcorum, patriam carissimam vocant, quæ Ptolemæo δουίωνα. Lib. 1. Auson. lect. cap. 18.

DRVIDES, sacerdotes & Philosophi veterum Gallorum, de quibus Cæsar, Strabo, & alij. Hi à Tiberio sublati, vt vult Plinius, vel à Claudio, autore Tranquillo. His nomen peregrè ductum vix fas est credere, tamen à Græco δρῦς quod quercum reddit appellari voluit Plinius: *Nihil habent Druidæ, ita suos appellant Magos, visco & arbore in qua gignatur, si modo sit robur, sacratius, iam per se roborum eligunt lucos, nec vlla sacra sine fronde conficiunt, vt inde appellati quoque interpretatione græcâ possint Druidæ videri.* Cæsar. lib. 6. cap 4. strabo lib. 4 Plin. lib. 30. cap. 4. Sueton. in Claud cap. 25. v. Senec. in Apolocynth. lib. 16. cap. 44.

DVNVM, veteri linguâ Celticâ, locum editum, aut montem significat. Sic Lugdunum Segusianorum quod in colle primùm conditum fuit, sic dictum, quasi Lugodunum id est corui mons. Plutarchus ex Clitophonte. μώμορος δ' οἰωνοσκοπίας ἔμπειρος ὑπάρχων, τὴν πόλιν λούγδουνον προσηγόρευσεν, λοῦγον γὰρ τῇ σφῶν διαλέκτῳ τὸν κόρακα καλοῦσι, δοῦνον δὲ τὸν ἐξέχοντα: *Momorus autem augurij peritissimus Ciuitatem Lugdunum vocauit, lugum enim linguâ suâ coruum vocant, Dunum verò montem, aut locum eminentem.* Sic & plurium Galliæ oppidorum, quæ in collibus aut locis editioribus sita sunt, nomina desinunt in dunum; vt Lugdunum Conuenarum, in Aquitania, Lugdunum Batauorum, in Belgica, Lib. de fluminib.

In Mosell. Laudunum Clauatum, Vxellodunum, Lupodunum de quo Ausonius, Augustodunum quasi Augusti mons. Henricus Altissiodorensis

Lib. 1. de vit. S. Germani.

Augustidunum demum concepta vocari
Augusti nomen, lege Augusti montem, *transfert quod Celtica lingua.*

Lib. 15. de Ciuit. Dei cap. 23. Lib. 8. Orig. cap. 11.

DVSII. Gallis dæmones incubi, Augustinus: *Et quosdam dæmones quos Dusios Galli nuncupant.* Idem Isidorus: *Pilosi qui Græcè panitæ, Latinè Incubi appellantur, siue inui ab ineundo passim cum animalibus, vnde & incubi dicuntur ab incumbendo, hoc est stuprando; sæpe enim improbi existunt etiam mulieribus, & earum peragunt concubitum, quos dæmones Galli Dusios nuncupant; quia assiduè hanc peragunt immunditiam.* Dianum rustici vocabant in Gallia. Cyprianus in vita Cæsarij Arelatensis, apud Surium: *Dæmonium quod rustici Dianum vocant.* Pilosos vocant id genus demonum, qui domos infestant. Radeuicus: *Pilosi quos Satyros vocant in domibus plerumque auditi.*

Tom. 4. Aug. 27.

Lib. 2. de gest. Frider. cap. 13.

CAP. XII.

Eglecopala. Emarcum. Eporedicæ. Essedum. Eubages, alijs Saronidæ.



Lib. 17. c. 8. EGLECOPALA, Gallicâ linguâ genus cretæ, seu Margæ columbinæ. Plinius: *Columbinam Gallia suo nomine Eglecopalam appellat.*

Lib. 3. c. 2. EMARCVM, Gallis vitis genus mediocris vini. Columella: *Earum altera, quam Galliarum incolæ Emarcum vocant, mediocris vini.*

EPOREDICÆ, Gallis equorum domitores, vnde

Eporediam Salaſſorum oppidũ dictum voluit Plinius: *Oppidum Eporediam, Eporędicas Galli bonos equorum domitores vocant.* Lib. 3.c.17.

Essedvm linguâ Celticâ genus vehiculi à Belgis inuentum. Seruius in illum locum Virgilij, Lib.3.Geor.

Belgica vel molli melius feret eſſeda collo.

Gallicana vehicula, inquit, *nam Belgæ ciuitas eſt Galliæ, in qua huiuſcemodi vehiculi repertus eſt vſus.*

Hoc vehiculi genere & nomine vſi Romani. Perſius, Satyr. 6.

Eſſedáque, ingentéſque locat Cæſonia Rhenos.

Evbages, ſeu Euhages, alij à Druidibus Philoſophi, & Theologi Gallorum. Ammianus: *Euhages verò ſcrutantes ſeriem, & ſublimia naturæ pandere conabantur;* ὀυάτεις Straboni. Οὐάτεις δὲ ἱεροποιοὶ, καὶ φυσιολόγοι *Vates Sacrificuli, & Phyſiologi.* Saronidas vocat Diodorus Siculus: φιλόσοφοι τέ τινες εἰσὶ, καὶ θεολόγοι περιττῶς τιμώμενοι, οὓς σαρονίδας ὀνομάζουσι. *Philoſophi apud eos ſunt & Theologi, eximiè honorati, quos Saronidas vocant.* Lib. 15. Lib. 4. Lib. 5.

Cap. XIII.

Galba, Gæſa, vel Geſſa Gæſi. Gunia. Gurdus.



Alba, vox Gallica, præpinguem & obeſum ſignificat. Suetonius: *Galba, inquit, dictus, quòd præpinguis fuerit viſus, quem Galbam Galli vocant.* Galba probri nomen, Gallis enim turpe erat pingueſcere. Strabo ex Ephoro: ἴδιον δὲ καὶ τοῦτο ἀσκεῖν γὰρ αὐτοὺς, μὴ παχεῖς εἶναι, μηδὲ προγάστορας, τὸν δὲ ὑπερβαλλόμενον τῶν νέων τὸ τῆς In Galba, cap. 3. Lib. 4.

ζώνης μέτρον ζημιοῦσθαι: Proprium eſt dare operam, ne obeſi fiant, neve prominentem ventrem habeant, & ſi quis adoleſcens cingulo præſcriptam menſuram excedat, eum multari.

GÆSA, vel GESSA, linguâ Celticâ dicuntur hastæ Celticæ. Seruius in illum locum Virgilij, (Lib. 7. Æneid.)

Pila manu, ſæuóſque gerunt in bella dolones.

Pilum propriè, inquit, *eſt haſta Romana, vt Geſſa Gallorum, Sariſſæ Macedonum, vnde & viros fortes Galli Gæſos vocabant, quòd huiùſmodi haſtis in prælio vterentur.* Idem Seruius illo loco Virgilij (Lib. 8. Æneid.)

---- Duo quiſque alpina coruſcant
Gæſa manu.

Gæſa inquit, *haſtas viriles; nam etiam viros fortes Galli Gæſos vocant.* Gallos ipſos γαισάτους vocat Polybius, quòd apud exteros mercede militarent, & id nominis ſignificare conductitios milites voluit. (Lib. 2.) διεπέμποντο πρὸς τοὺς κατὰ τὰς ἄλπεις καὶ τὸν ῥοδανὸν ποταμὸν κατοικοῦντας γαλάτας, προσαγορευομένους δὲ διὰ τὸ μίσθου στρατεύειν γαισάτους, ἡ γὰρ λέξις αὕτη οὕτως σημαίνει κυρίως: *Confeſtim ad eos Gallos mittunt, qui trans Alpes ad Rhodanum habitant, & propterea quòd mercenariam militiam obeunt Gæſatæ vocantur; nam id ea dictio ſignificat.* Hinc Galliam dextrâ bina Geſa vibrantem depingit Claudianus (Lib. 1. de laudib. ſtili.)

Gallia crine ferox, euinctáque torque decoro,
Bináque geſa tenens, animoſo pectore fatur.

GVNIA linguâ Celticâ inſtrumentum lignarium, quod Latinis Canterium Iſidorus: *Canterium, Gallia, Gunia.* (Lib. 19. Orig. c. 19.)

GVRDVS, pro bardo & ſtolido, vocem Hiſpanicam eſſe autor Quintilianus: *Et Gurdos, quos pro ſtolidis* (Lib. 1. inſtit. cap. 5.)

accipit vulgus ex Hispania duxisse originem audiui, tamen hanc vocẽ Gallis nostris vsu frequẽtiorẽ inuenio, quod suadet esse Celticã. Gallus apud Sulpitium Seuerũ: *Sed dum cogito me hominem Gallum inter Aquitanos verba facturum, vereor ne offendat vestras nimiùm vrbanas aures, sermo rusticior; audietis me tamen vt gurdonicum hominem nihil cum succo, aut cothurno loquentem.* Et Abbo Floriacensis. Dialog. 1. de virtut. Monach. orient. c. 20. Lib. de obsid. vrb. Paris.

Nóxque salam gurdis mandat custodibus ipsam.

& alio loco,

Hostibus accingunt carpentum arentibus arcis
Ante fores gurdi miseranda gramine plenum.

& rursus.

Pugna adolet, ponunt animas cum sanguine gurdi.

Nomen hodiéque retinent Galli, *gourd*, pro stolido.

Cap. XIIII.

Hesus. Isarndorum.

HESVS, vnus è tribus Dijs veterum Gallorum, quos versu comprehendit Lucanus, Lib. 1. de bell Ciuil.


Et quibus immittis placatur sanguine diro
Teutates, horrénsque feris altaribus Hesus,
Et Taramis Scythicæ non mitior ara Dianæ.

Hesi, & Teutatis meminit Lactantius: *Galli Hesum, atque Teutatem, humano cruore placabant.* Hesum Martem credunt, quem heredem instituere concessum credit Vlpianus. Anubim latrantem vocauit autor Pseudo-queroli, quod canina forma pingeretur. *Anubi nostro latranti Deo.* Lib. 1. diui. instit. Lib. Regular. tit. 22.

ISARNDORVM Celticâ linguâ valet ferreum

ostium in vita S. Eugendi Abbatis Agaunensis apud Surium: *Ortus namque est haud longè à vico, cuius vetusta paganitas, ob celebritatẽ, clausurámque fortissimam superstitiosissimi templi Gallica lingua Isarndori, id est ferrei ostij indidit nomen.*

Tom. 1. Ian. 1.



Cap. XV.

Lana. Larix Leuca, seu Leuga. Linna. Lugos.

LÆNA, linguâ Celticâ vestis genus quâ Galli vtebantur. Strabo, de Belgis: ἡ δ' ἐρέα τραχεῖα μὲν, ἀκρόμαλλος δὲ. ἀφ' ἧς τοὺς δασεῖς σάγους ὑφαίνουσι, οὓς λαίνας καλοῦσιν: *Lana eorum aspera est, & summè villosa, ex ea densa saga texunt, quæ lanas vocant.*

Lib. 4.

LANCEA Gallis hastæ genus. Diodorus Siculus: προβάλλονται δὲ λόγχας, ἃς ἐκεῖνοι λαγκίας καλοῦσι. *Tum hastas præ se ferunt lanceas illis dictas.* Strabo de Gallorum armatura καὶ λόγχαι κατὰ λόγον: *lanceæ pro modo.*

Lib. 5. Lib. 4.

LARIX Gallis subalpinis resina quæ è pinu, & picea defluit Dioscorides de Resina, καὶ ἀπὸ γαλατίας τῆς πρὸς ταῖς ἄλπεσιν ἣν ἐπιχωρίως οἱ τῆς δὲ ἔποικοι λάριχα ὀνομάζουσι: *affertur & è Gallia subalpina, quam vernaculo nomine laricem appellant incolæ.*

Lib. 1. c. 93.

LEVCA, seu LEVGA, vox merè Gallica, quæ significat spatium itineris quingentorum passuum. Isidorus: *Mensuras viarum nos milliaria dicimus, Græci stadia, Galli Leucas, Aegyptij Signes, Persæ Parasangas.* & mox: *Leuca finitur passibus quingentis.* Iornandes: *Conuenitur itaque in campos Catalaunicos C. leugas, vt Galli vocant, in longum tenentes, & LXX. in latum.* Hesychius. λεύγη μέτρον τι γαλατικόν. à Lugduno spatia itinerum leugis non

Lib. 15. Orig. cap. 16. De reb. Getic. c. 36.

milliaribus putare coëptum in Gallia. Ammianus: vbi de Lugduno: *Qui locus exordium est Galliarum, exindéque non millenis passibus, sed leugis itinera metiuntur.* Vnde in Itinerario Antonini post Lugdunum, leugæ coniunctim cum milliaribus ad interualla viarum signanda ponuntur, Et in tabula Peutingeri scriptum est, *Lugdunum caput Galliarum vsque hîc leugas.* Huiusmodi rationem metiendorum à Lugduno itinerum in omnes Galliarum partes instituit Agrippa temporibus Augusti. Strabo: τὸ δὲ λούγδουνον ἐν μέσῳ τῆς χώρας ἐστὶν, ὥσπερ ἀκρόπολις, διά τε τὰς συμβολὰς τῶν ποταμῶν, καὶ διὰ τὸ ἐγγὺς εἶναι πᾶσι τοῖς μέρεσι, διόπερ καὶ Ἀγρίππας ἐντεῦθεν τὰς ὁδοὺς ἔτεμε τὴν διὰ τῶν Κεμμένων ὀρῶν μέχρι Σαντώνων· καὶ τῆς Ἀκυϊτανίας, καὶ τὴν ἐπὶ ῥῆνον, καὶ τρίτην τὴν ἐπὶ τὸν ὠκεανὸν, τὴν πρὸς βελλοάκοις, καὶ ἀμβιανοῖς τετάρτη δ᾽ ἐστὶν ἐπὶ τὴν ναρβωνῖτιν, καὶ τὴν μασσαλιῶτιν παραλίαν: *Lugdunum in medio Galliæ situm est, instar arcis cùm ob fluminum confluentes, tum quòd omnibus partibus est propinquum. Itaque etiam Agrippa hinc vias aperuit, vnam per Cemmenos montes in Aquitaniam, & ad Santones vsque, alteram ad Rhenum, tertiam ad Oceanum per Bellouacos, & Ambianos, quartam in Narbonensem Galliam, & ad littus Massiliense.* nomen retinuere Franci. Nithardus: *Castra ponunt distantes ab inuicem plus minùs leucas VI.*

Lib. 15.

Lib. 4.

Hist. lib. 2.

LINNÆ, linguâ Celticâ vestis genus, singulare Gallis, vt Rhenones Germanis. Isidorus: *Quibusdam autem nationibus sua cuique propria vestis est, vt Parthis Saraabra, Gallis Linnæ, Germanis Renones, Hispanis Striges, Sardis Mastruga.* & paulò pòst: *Linnæ saga quadra, & mollia sunt,* de quibus Plautus: *linna cooperta est textrino Gallia.*

Lib. 19. Orig. c. 23.

LVGOS, linguâ Celticâ coruum significat, inde

Lugdunum, quasi Lugodunum, id est corui mons, ex Clitophonte apud Plutarchum. Lib. de flu.

Cap. XVI.

Marck. Marga. Mataris. Murci.



Arck, id nomen equo linguâ Celtica: vndè & Galli equestris pugnæ institutionem quæ tribus equis constabat, Trimarcisiam vocarunt. Pausanias: In Phocicis τοῦτο ὀνομάζουσι τὸ σύνταγμα, τριμαρκισίαν, τῇ ἐπιχωρίῳ φωνῇ, καὶ ἵππων τὸ ὄνομα, ἴσω τις μάρκαν ὄντα ὑπὸ τῶν κελτῶν: *Equestris pugnæ institutionem Trimarcisiam nominant patriâ voce, equum enim Marcam appellant.* Eâdem significatione herbæ genus, quod Celticè Calliomarcus, Latinè De medica. cap. 6. redditur equi vngula. Marcellus Empyricus: *Herba quæ Gallicè Calliomarcus, Latinè equi vngula vocatur.* & Marescalli nomen receptum, pro equorum præfecto, vt in tit. 79. lege Alamannorum: *Si Mariscalcus qui super* XII. *Caballos est, occiditur.* Et Marestala pro equili regio apud Pe- Lib. 5. ep. 7. trum de Vineis; *Ronchini verò in nostra Marestalla non sunt ad præsens, quos tibi possemus commode destinare.*

Marga, linguâ Celticâ cretæ genus, quæ terram Lib. 17. c. 6. alit & fecundat. Plinius: *Alia est ratio, quam Britannia & Gallia inuenere alendi eam ipsa quod genus vocant Margam.* vulgò *Marne.*

Mataris, linguâ Celticâ genus teli Gallici. Lib. 1. de bell. Gall. Cæsar: *Et nonnulli*, de Heluetijs loquitur, *inter carros, rotásque mataras, ac tragulas subijciebant nostrósque vulnerabant.* Autor ad Herennium: *Vt si quis Macedonas appellauit* Lib. 4.

uit hoc modo, non tam citò sarissæ Græcia potitæ sunt, aut idem Gallos significans dicat, nec tam facilè ex Italia materis transalpina depulsa est. Et Strabo: καὶ μάδαρις (sic enim legendum pro μάρις) πάλτυ τι εἶδος, *& Mataris tragulæ genus.* Inde fortè deductum vulgare, *Matras*, apud Vascones pro sagitta. Lib. 4.

Mvrci, Murcos Galli per ludibrium appellitabant ignauos, qui militiæ detrectandæ causâ pollicem sibi præscinderent. Ammianus, de Gallis: *Nec eorum aliquando quisquam, vt in Italia, munus martium pertimescens pollicem sibi præcidit, quos iocaliter Murcos appellant;* tamen Murcus vox Latina videtur, Murciam enim segnium Deam ponit Arnobius, & mutilos ac sacræ militiæ inhabiles Murcos dixit Innocentius I. P. in epistola decretali ad Felicem Nucerianum E. *Scripsisti, in his clericos quos constituas non habere, aliquos verò Murcos, aliquos bigamos esse.* Lib. 15. Lib. 4. adu. Gent. Ep. 4.

Cap. XVII.

Pades. Patera. Peculium. Peninus. Penna. Petoritum. Planarati.

Pades, linguâ Celticâ arbor picea, seu quæ picem fert, vnde Pado flumini nomen, quòd circa ipsius fontem sit copia arborum, quæ picem ferunt. Plinius: *Metrodorus tamen Scepsius dicit, quoniam circa fontem arbor multa sit picea, quæ Pades Gallicè vocetur Padum hoc nomen accepisse.* Lib. 3. c. 6.

Pateræ, Pateras Galli vocarunt Beleni, id est Apollinis Sacerdotes. Ausonius, In Profess. Burdig. ed. 4

Tibi Pateræ ſic miniſtros nuncupant,
Apollinaris Myſtici.

Pecvlivm, Peculium Galli vocitarunt, quod Græci παράφερνα, id eſt bona quæ ſunt extra dotem. Vlpianus: *Ceterùm ſi res dentur, in ea quæ Græci παράφερνα dicunt, quæque Galli peculium appellant.*

In l. ſi ego §. ceterùm ff. de iur. dot.

Peninæ Alpes. His nomen inditum non à Pœnorum cum Hannibale tranſitu, ſed à Pennino Deo quem Galli Alpini colebant. Liuius: *Id cùm inter omnes conſtet, eò magis miror ambigi, quanam Alpes tranſierit, & vulgò credere Pennino, atque inde nomen & iugo Alpium inditum tranſgreſſum. Nec veriſimile eſt ea tum ad Galliam patuiſſe itinera, vtique cùm quæ ad Penninum ferant obſepta gentibus ſemigermanis fuiſſent, neque Hercule montibus his, ſi quem fortè id mouit, ab tranſitu Pœnorum, vllo Veragri incolæ iugi eius norunt nomen inditum, ſed ab eo quem in ſummo ſacratum vertice Penninum montani appellant*, Penninam Deam vocat Seruius illo loco Virgilij,

Lib. 21.

10. Æneid.

Alpes immittit apertas.

Denique loca ipſa quæ rupit (Hannibal) *Apenninæ Alpes vocantur, quamuis legatur à Pœnina dea, quæ ibi colitur Alpes vocari.* Ego veriùs exiſtimarim Penninas Alpes dictas à Celtico Penna, quod iugum & montem ſignificat; vnde duplex Pennæ Caſtrum, vnum in pago Aginnenſi, alterum in pago Albigenſi, vtrumque ſic dictum quòd in vertice montis ſitum ſit. prioris ſitum deſcribit Petrus Valliſſarnenſis: *Erat autem caſtrum Pennæ nobiliſſimum in territorio Aginnenſi in cuiuſdam collis amœnitate ſitum &c.*

Hiſt. Albig. cap. 63.

Petoritvm, vox Gallica, quæ vehiculi Gallici genus, è quatuor rotis ſignificat. Varro apud Gellium:

Petoritum enim est non ex Græca dimidiatum, sed totum trans-alpibus factum: nam est vox Gallica. Idem Festus: *Petoritum & Gallicum vehiculum esse, & nomen eius dictum existimat, à numero quatuor rotarum.* Præter hos Quintilianus: *Plurima Gallica valuerunt, vt Rheda, ac Petoritum, quorum altero Horatius vtitur.* Horatij locum excipe, Lib.15.c.30 Lib.1.instit. cap.5. Lib.1.ser.6.

----- Plures Calones, atque Caballi
Pascendi, ducenda Petorita.

PLANARATI, Celtis genus vomeris, quod duabus rotulis nititur ad arandum terram. Plinius: *Galliæ verò duas addiderunt rotulas, quod genus vocant planarati.* Lib.18 c.18.

CHAP. XVIII.

Rheda. Rhaphium. Sagum. Sapo. Saunium. Sena. Soldurij Deuoti. Sparus.

RHEDA vox Celtica, quæ vehiculi Gallici genus significat. Quintilianus: *Plurima Gallica valuerunt vt Rheda, ac Petoritum, quorum altero Cicero, tamen altero Horatius vtitur.* & mox: *Rheda Gallicum.* Hâc voce, inquam, Cicero vsus est, cuius verba hæc sunt: *Obuiam fit ei Clodius expeditus in equo nullâ Rhedâ, nullis impedimentis, nullis Græcis comitibus, vt solebat.* Lib.1.instit. cap.5. Pro Milone.

RHAPHIVM, sic Galli vocant Lupum Ceruarium alij Chaum. Plinius: *Pompeij Magni primùm ludi ostenderunt Chaum, quem Galli Rhaphium vocabant, effigie lupi, pardorum maculis.* Lupum Ceruarium vocat Plinius alio loco. Lib.8.c.19. 22.

SAGVM, linguâ Celticâ vestis militaris Gallicæ

Lib. 8. Æne. genus. Virgilius, de Gallis,

Virgatis lucent sagulis & lactea colla.

Lib. 4. Strabo: σαγηφοροῦσι δὲ καὶ κομοτροφοῦσι: *Saga ferunt, &*
Lib. 5. *comam alunt.* & Diodorus Siculus: ἐπιπορποῦνται δὲ σάγοις ῥαβδωτοὺς, ἐν μὲν τοῖς χειμῶσι δασεῖς, κατὰ δὲ τὸ θέρος ψιλούς: *Fibulâ subnectunt saga virgata, hyeme densa, æstate tenuiora.* Sagum etiam Gallicum vocabulum esse, & genus vestis forma quadratum obseruat Isido-
Lib. 19. Orig. c. 24. rus: *Sagum autem Gallicum nomen est, dictum autem sagum quadrum, eò quòd apud eos primùm quadratũ, vel quadruplex*
Lib. 16. c. 44 *esset.* Sago excipiebatur viscus vbi à Druide falce decerptus esset. Plinius: *Sacerdos candida veste cultus, arborem scandit, falce aurea demetit, candido id excipitur sago.* Inde
In Iulio c. 47. per Sagatos, Gallos intelligit Tranquillus, cùm scribit Iulium Cæsarem coniuatum assiduè per prouincias duobus triclinijs, vno quo sagati, palliatíve, altero quo togati cum illustrioribus prouinciarum discumberent. Saga Gallica sumpserunt & Franci Gallorum consue-
In vit. Car. M. tudine. Sangallensis: *Cùm inter Gallos Franci militantes virgatis eos sagulis lucere conspicerent, nouitate gaudentes antiquam consuetudinem dimiserunt, & eos imitari cœperunt.*

Sapo, Gallicum nomen, & Gallorum inuentum.
Lib. 28. c. 12 Plinius: *Prodest & sapo, Gallorum hoc inuentum rutilandis capillis ex seuo & cinere.* Saponis Gallici meminit Ætius non vno loco. Sapone vtebantur & Germani ad rutilandos capillos. Plinius: *Apud Germanos maiore in vsu*
Lib. 14. epi. 26. *viris, quàm feminis.* & Martialis,

Caustica Teutonicos accendit spuma capillos.

Romanæ etiam Matronæ capillum croco fucarunt,
Lib. de cult. feminar. vt Gallæ & Germanæ viderentur. Tertullianus: *Video quosdam & capillum croco vertere, pudet eas etiam nationis*

suæ, quòd non Germanæ, aut Gallæ sint procreatæ, ita patriam capillo transferunt.

SAVNIVM linguâ Celticâ, Gallici teli genus. Diodorus siculus: σαυνιάζουσι τοὺς ἐναντίους. *Saunio hostem petunt.* & paulò pòst: τὰ μὲν γὰρ ξίφη τῶν παρ' ἑτέροις σαυνίων εἰσὶν οὐκ ἐλάττω, τὰ δὲ σαυνία, τὰς ἀκμὰς ἔχει τῶν ξιφῶν μείζω: *Nam gladij non minores sunt aliorum Saunijs, Sauniorum verò acies maior est, quàm gladiorum.* Hesychius. σαυνίον ἀκόντιον βαρβαρικὸν, *Saunium barbarici teli genus.* Lib. 5.

SENÆ, Senas Galli vocarunt virgines Antistitas cuiusdam Gallici numinis, quod colitur in Sena insula Britannici maris Osismijs obiecta. P. Mela: *Sena in Britannico mari Osismicis aduersa littoribus Gallici numinis oraculo insignis est, cuius antistites perpetuâ virginitate sanctæ, numero nouem esse traduntur Galli Senas vocant.* Lib. 3. c. 6.

SOLDVRII, Gallis fuerunt deuoti homines, & vtriusque fortunæ socij satellites principum. Cæsar: *Adcantuanus qui summam imperij tenebat, cum* DC. *deuotis, quos illi Soldurios appellant, quorum hæc est conditio, vt omnibus in vita commodis, vnà cum his fruantur, quorum se amicitiæ dediderint si quid ijs per vim accidat, aut eundem casum vnà ferant, aut sibi mortem consciscant; neque adhuc hominum memoriâ repertus est quisquam, qui eo interfecto, cuius se amicitiæ deuouisset, mori recusaret.* Σιλοδούρους vocat Athenæus ex Nicolao Damasceno: Αδιάτομον τὸν τῶν Σωτιανῶν βασιλέα (ἔθνος δὲ τοῦτο Κελτικὸν) ἑξακοσίους ἔχειν λογάδας περὶ αὐτὸν, οὓς καλεῖσθαι ὑπὸ γαλατῶν τῇ πατρίῳ γλώττῃ Σιλοδούρους (τοῦτο δ' ἐστὶν Ἑλληνιστὶ εὐχωλιμαῖοι) τούτους δ' οἱ βασιλεῖς ἔχουσι συζῶντας, καὶ συναποθνήσκοντας, ταύτην ἐκείνων εὐχὴν ποιουμένων. αὐθ' Lib. 3. de bell. Gall. Lib. 16. c. 13.

ἧς συνδυναςεύουσί τε αὐτῷ τὴν αὐτὴν ἐσθῆτα, καὶ δίαιταν ἔχοντες καὶ συναποθνήσκουσι κατὰ πᾶσαν ἀνάγκην, εἴτ' ἐν νόσῳ τελευτήσει ὁ βασιλεὺς, εἴ τε πολέμῳ εἴτε ἄλλως πῶς, καὶ οὐδεὶς εἰπεῖν ἔχει τινὰ ἀποδειλιάσαντα τούτων τὸν θάνατον, ζῶντα ἤκη βασιλεῖ, ἢ διεδύντα: *Adiatomum Regem Sotianorum (est autem ea Galliæ natio) sexcentos habuisse proximos sibi delectos homines, Galli propria lingua Silodunos vocant, (ea dictio Græcis deuotos significat) qui cum Rege & vitam agunt, & moriuntur, id summoperè votis optantes, ob quam erga Regem fidem, cum eo principatum gerunt, eodem victu & corporis cultu, quoties eius necessitatis contingit occasio, mortem libenter oppetentes, siue Rex intereat morbo, siue cadat in prælio, siue alia quauis de causa vitâ excesserit, nec est qui dicere possit ex illis amisso Rege quempiam mortem vel expauisse, vel recusasse tergiuersantem.* Malè nonnulli volunt milites stipendiarios quos vernaculâ linguâ *soldats* vocamus, nomen deflexum à Solduriis; veriùs enim originem petas à solido, quod est nummi genus è quo stipendium militibus præstitari solebat, vnde milites stipendiarios solidarios appellarunt. Otho Frisingensis: *Ab hospitibus, quos nunc solidarios dicimus.* Radeuicus. *Vt largitione pecuniæ milites, qui solidarij vocantur, colligeret.* Robertus Montensis: *Henricus Rex Anglorum sumptis LX solidis Andegauensibus de feudo vniuscuiusque loricæ, capitales Barones suos cum paucis secum duxit* (in expeditionem Hierosolymitanam) *solidarios verò milites innumeros*, & in supplemento Bedæ: *Vvillelmus Rufus Rex Anglorum dicitur mirabilis militum mercator & solidator.* vnde solda, pro militum stipendio. Abbas Vrspergensis: *Cùm non haberet pecunias quibus salaria, siue solda praberet militibus*, & soldata dicitur feudi improprij genus, quod

Lib. 1. de gest. Frider. c. 31.
Lib. 1. c. 20.
In suppl. Sigeb. A. C. 1160.
Lib 3. c. 29.
In Philipp.

in annua solidorum pensitatione consistit, vt est in libris feudorũ. Hispanis fuere & deuoti, similes Soldurijs Gallorũ. Strabo: ἰβηρικὸν δὲ καὶ τὸ ἐν ἔθει καθασπένδειν αὐτοὺς, οἷς ἐὰν προσθῶνται ὥστε ἀποθνήσκειν αὐτοὺς ὑπὲρ ἑαυτῶν: *Hispanici quoque moris est, se deuouere pro ijs quibus se addicunt, mortémque pro ijs oppetere.* Solenni Hispanorum more Augusto se deuouerunt Pacuuius Tribunus plebis, & eius exemplo complures alij. Dio: Σέξτος τις Πακούβιος ἐν τῷ συνεδρίῳ ἑαυτὸν τέ οἱ τὸν τῶν ἰβήρων τρόπον καθωσίωσε, καὶ τοῖς ἄλλοις συνεβούλευε τοῦτο ποιῆσαι. *Sextus Pacuuius more Hispanorum in senatu Augusto se consecrauit, & alijs consilio fuit idem facere.* Lib. 2. feud. tit. 10. Lib. 3. Lib. 53.

Sparvs, genus teli Gallici. Festus *Rumex genus teli, simile spari Gallici.* In v. Rumex

Cap. XIX.

Taramis. Tau. Taxea. Teutates. Thirei. Tomentum. Toles. Traiectum. Tripetia.

Taramis, Iouem tonantem Taramis nomine Galli imprimis coluêre, ex Lucano loco supra citato.

Tav Gallicum, pro cruce Quintilianus, ex Virgilio in Priapeis Lib. 8. instit. Orat.

----- Allicæ febres

Tau Gallicum imminet

& Ausonius.

Dic quid significent catalecta Maronis in his Al Edyll. 5.

Celtarum posuit, sequitur non lucidius Tau.

Eâdem significatione Tau accipe apud Gregorium

tiquo gentium illarum vocabulo Vviltaburg, ideſt oppidum Vviltorum, linguâ autem Gallicâ Traiectum vocatur. Et Sigebertus: *Vvilibrodus à Sergio Papa Clemens agnominatus, & ad prædicandum genti Friſonum Epiſcopus conſecratus, ex dono Pipini principis ſedem Epiſcopalem ſtatuit in loco Vvltaburch, qui nunc Vvltraiectum dicitur, à nomine gentis Vvltarum, & Traiecto compoſitum quaſi Vvltarum oppidum; nam Traiectum lingua Gallica oppidum dicitur.* A. C. 697.

TRIPETIA. Gallis ſellula ruſticana tripes. Seuerus: *Sedebat autem Martinus in ſellula ruſticana, vt eſt in vſibus ſeruulorum, quas nos ruſtici Galli Tripetias, vos ſcholaſtici, aut certè tu qui de Græcia venis tripodas nuncupatis.* Dialog. 2. de vit. B. Mart.

CAP. XX.

Vargi Scamari. Vaſſo. Vergobretus. Vernemetis. Virga. Vri. Viſcus. Volemum. Zythum.



VARGI, indigenas latrones Galli Vargos nuncuparunt. Sidonius, Lupo Trecenſi E. *Vargorum, hoc enim nomine indigenas latrunculos nuncupant.* Vargi fuerunt Ἀπόλιδες & extorres, latrocinijs & prædis aſſueti vt in lege Salica: *Si quis corpus iam ſepultum exfoderit, & exſpoliauerit Vargus ſit*, hoc eſt expulſus de eodem pago, & in lege Ripuaria: *Vvargus ſit, hoc eſt expulſus.* Nō diſpari ſignificatu linguâ Gothicâ abactores, & latrones, Scamari dicti. Iornandes: *Et plerìſque abactoribus, Scamariſque & latronibus vndecumque collectis.* Et Eugippius Abbas: *Ipſe quantocyùs Iſtri fluenta prætermeans, latrones properanter inſequitur, quos vulgus Scamaros appellabat.* Lib. 6. ep. 4. Tit. 57. §. 5. Tit. 87. §. 2. De reb. Getic. cap. 58. In vit. S. Seuerin. c. 10

VASSO, linguâ Gallicâ celebre cuiusdam Gallici numinis delubrum in Aruernis, quod ſtetit vſque ad Chroci Alemanorum Regis excurſionem in Gallias. Lib. 9. hiſt. cap. 32. Gregorius Turonenſis: *Veniens verò Aruernos delubrum illud quod Gallicâ linguâ Vaſſo Galatæ vocant.* templum In originib. Claromont. Martis credidit Ioannes Sauaro.

VERGOBRETVS, linguâ Gallicâ ſummus magi- Lib. 1. de bell. Gall. cap. 4. ſtratus Heduorum. Cæſar: *In his Diuitiaco & Liſco, qui ſummo magiſtratui præerant, quem Vergobretum appellant Hedui, qui creatur annuus, & vitæ necíſque in ſuos habet poteſtatem.*

VERNEMETIS, linguâ Gallicâ fanum ingens, ſic dictum, vetus fanum gentilium, vt videtur in agro Burdegalenſi, quod à Leontio Burdegalenſi Pontifice, conuerſum in baſilicam D. Vincentio Aginnenſi ſa- Lib. 1. c. 9. cram. Fortunatus,

Nomine Vernemetis voluit vocitare vetuſtas
Quod quaſi fanum ingens Gallica lingua refert.

VIRGA. linguâ Gallicâ pro purpura. Seruius illo Lib. 8. Æneid. loco Virgilij,

Virgatis lucent ſagulis.

Et bene adluſit ad Gallicam linguam, per quam virga, purpura dicitur, virgatis ergo, ac ſi diceret purpuratis. Varro apud Cap. 3. Nonium: *Sagum,* inquit, *virgula diuina.*

VRI vox Gallica, quæ feros boues ſignificat, hâc vſi Romani. Macrobius: *Nec non & punicis oſciſque ver-* Lib. 6. Saturn. cap. 4. *bis vſi ſunt veteres, quorum imitatione Virgilius peregrina verba non reſpuit, vt in illo,*

Silueſtres vri aſſiduè -----


Vri enim Gallica vox eſt, qua feri boues ſignificantur.

VISCVS. Gallis ramus qui arboribus maxime ro-

bori agnascitur, quíque à Druidibus falce aureâ decerpebatur cæsis victimis. Plinius: *Non est omittenda in ea re & admiratio Galliarum, nihil habent Druidæ, ita suos appellant Magos, visco & arbore in qua gignatur si modo sit robur sacratius, omnia sanantem appellantes suo vocabulo.* hodie *Guy de chesne.* Lib.16.c.44

VOLEMVM. Gallis idem valet quod bonum & magnum. Isidorus: *Quidam autem volemum Gallica lingua bonum & magnum intelligunt.* Lib. 17. Orig. c. 6.

ZYTHVM, Gallis potionis genus hordeo confectum. Diodorus Siculus: διόπερ τῶν γαλατῶν οἱ τούτων τῶν καρπῶν στερισκόμενοι πόμα κατασκευάζουσιν ἐκ τῆς κριθῆς τὸ προσαγορευόμενον ζύθος. *Ideò Galli horum fructuum inopes, ex hordeo sibi potum conficiunt, qui Zythus appellatur.* Lib. 5.



CAP. XXI.

Aliquot Herbarum Celtica nomina.

HERBARVM nomina Celtica prodere hoc loco nec alienum, nec fortè iniucundum erit Græcorum & Romanorum munus istud, qui rebus nostris alteram lucem dederunt.

ALVM siue Halus Gallis, Consolida Latinis, herba curandis vulneribus præstans. Apuleius: *Latini Consolidam, Galli Alum:* Marcellus *Symphyti radix quæ herba Gallicè Halus dicitur,* Romani nomen suum fecerunt. Plinius: *Alum nos vocamus, Græci Symphyton.* De virtut. herb. c. 59. De Medic. cap. 31. Lib. 27. c. 6

BADITIS Gallis eadem quæ Latinis claua Herculis. Marcellus: *Herba est quæ Græcè Nymphea, Latinè claua* De Medica. Cap. 33.

Herculis, gallicè Baditis appellatur.

Lib. 1. c. 9. BACCAR. Celtis Nardus rustica. Dioscorides οἱ δὲ νάρδον ῥούσικομ, γάλλοι βάκκαρ, *Alij Nardum rusticum Galli Baccar.* Romani & inde nomē sumpserunt. Plinius:
Lib. 21. c. 6. *Baccar quoque radicis tantùm odoratæ est, à quibusdam Nardum rusticum appellatum.*

De virtut. Herb. c. 4. BELINVNCIA Gallis, ὑοσκύαμος Græcis, Apuleius: *Græcis Hyoscyamos dicitur, Galli Belinunciam.*
Lib. 4. c. 67 & Dioscorides. ὑοσκύαμος γάλλοι βιλινουντίαν. Huic herbæ nomen à Beleno Deo qui Gallis est Apollo; vnde & Romani eodem significatu Apollinarem vocitāt.

BELIOCANDIVM Gallis herba, quæ Romanis
Lib. de virt. Herbar. millefolium. Apuleius: *Latini millefolium, Galli Belliocan-*
Lib 4 c. 110. *dium.* Dioscorides: μυριόφυλλον, γάλλοι βελιουκάνδας.

De Medica. cap. 26. BRICVMVM Gallis herba, clara nomine Artemisiæ. Marcellus: *Artemisia herba est, quam Gallicè Bricumum appellant.*

Lib. 2. c. 168. CORNA Celtis herbæ genus, alijs Argemone. Dioscorides Ἀργεμώνη· γάλλοι κόρνα.

Lib. 4. c. 168. DVCONE Gallis herba est, quam Romani vocant Ebulum, Græci Camæacten: Dioscorides: περὶ Καμαίακτης ῥωμαῖοι ἔβουλουμ γάλλοι δουκωνέ.

Lib. 25. c. 6. EXACON Galli vocant Centaurium. Plinius: *Hoc Centaurium nostri fel terræ vocant, propter amaritudinem summam Galli Exacon, quoniam omnia mala medicamenta potum è corpore exigat per aluum.*

De medica. cap. 10. GIGARVS Celtis herba quæ Græcis Dracontium. Marcellus: *Polypon emendat herba Proserpinalis, quæ Græcè Dracontium, Gallicè Gigarus appellatur.*

Idem c. 10. GILARVM Gallis, Latinis Serpyllum sonat Idem Marcellus: *Serpyllum herbam, quam Galli Gelarum dicunt.*

GLASTVM. Gallis herbæ genus quo Britanni tingendis corporibus tam viri, quàm fœminæ vsi. Plinius: *Glastum in Gallia vocatur, quo Britannorum coniuges, nurúsque toto corpore oblitæ, quibusdam in sacris & nudæ incedunt,* & ante Iul. Cæsar. *Omnes verò se Britanni glasto inficiunt, quod cæruleum efficit colorem.* Dioscoridi. ἰσάτις, Guesdum, vel pastellum nostri appellant eius inficiendis lanis maximus vsus. Plinius: *Quarto infectores lanarum vtuntur, quod Glastum vocant.* Lib.22. c.1. Lib. 5. de bell. Gall. V.Soli.c.25. Lib.2. c.177 Lib.20. c.7.

HÆMATITES Gallis herba, quam Latini vocant Heliotropium, quòd semper se ad solem vertat. Apuleius: *A Græcis dicitur Heliotropion, Galli Hæmatiten.* De virtut. herb.

LIMÆVM Gallis herba, quâ sagittas in venatu liniebant. Plinius: *Limeum herba appellatur à Gallis qua sagittas in venatu tingunt.* Lib.27.c.11

PIPERACIVM Gallis ea herba est, quam Græci ἄκορον vocāt, Romani veneream herbam. Dioscorides: ἄκορον ῥωμαῖοι βενέρεα, γάλλοι πεπεράκιουμ. Lib. 1. c. 2.

RATIS Gallicè filicula. Marcellus: *Herba Pteridis, id est filiculæ, quæ Ratis Gallicè dicitur.* De medica. cap.25.

SAPANA Gallis est herba, quæ Græcis ἀνάγαλλις, Romanis Macia. Dioscorides: Ἀνάγαλλις ῥωμαῖοι μακία γάλλοι σαπάνα. Dioscorid. lib.2. c.170.

SCOBIES Gallorum lingua Sambucum significat. Dioscorides: ῥωμαῖοι σαμβούκουμ γάλλοι σκοβίημ. Lib.4.c.168.

SVIBITES Gallis Hedera. Dioscorides: οἱ δὲ ἕδερα γάλλοι σουβίτης. Lib.2.c.171.

SELAGO & Samolus Gallis herbæ hominum & pecoris medelæ saluberrimæ, quæ à Druidibus solenni ritu legebantur. Plinius: *Similis herbæ huic Sabinæ est Selago appellata, legitur sinè ferro, dextra manu per tunicam,* Lib.24.c.11

quà sinistra exuitur velut à furante candida veste vestito, puréque lotis nudis pedibus, sacro facto priusquàm legatur pane vinoque, fertur in mappa noua: hanc contra omnem perniciem habendam prodidere Druidæ Gallorum, & contra omnia oculorum vitia fumum eius prodesse, ijdem Samolum herbam nominauere nascentem in humidis, & hanc sinistra manu legi à ieiunis contra morbos suum, boumque, nec respicere legentem, nec alibi quàm in canali deponere, ibique conterere poturis.

De virtut. herbar.

VRA Gallis herbæ genus, quod Græcis Satyrion. Apuleius: *Græcis dicitur Satyrion, Galli Vram.*

VSVBIM Gallis herba, quæ græcis Chamędaphne. Dioscorides: χαμαιδάφνη γάλλοι οὐσούβιμ. Apuleius, *Chamædaphne, Itali Mustellaginem dicunt, Galli, Eugubim, Vsibon.*





RERVM AQVITANICARVM LIBER TERTIVS.



Cap. I.

Status Prouinciarum Imperij Romani, aliæ vectigales, aliæ stipendiariæ, seu tributariæ. Gallia stipendiaria facta. Duplex tributum in Gallia soli & capitis, vtrumque exactum in Aquitania. Tributum in Aquitania in speciebus pensitatum.

PROVINCIARVM orbis Romani summa ratio hæc fuit, vt vectigales essent, Romano magistratui parerent, & victorum leges acciperent. Nempe Romani agros ab hoste captos partim distrahebant, partim veteranis assignabant, partim veteri possessori relinquebant: præter Iuris auctores, Siculus Flaccus: *Vt verò Romani omnium gentium potiti sunt agros ex hoste captos in victorem populum partiti sunt; alios verò agros vendiderunt.* & alio loco: *Causam autem diuidendorum agrorum bella fecerunt; captus enim ager ex hoste, victori* Lib. de condit. agror.

militi veteranóque est assignatus, hostibus pulsis æqualis in modo manipuli datus est. Nec tamen omnibus personis victis ablati sunt agri; nam quorundam dignitas, aut gratia, aut amicitia victorem ducem mouit vt eis concederet agros suos. Quibus agros ex parte reliquerunt, aut in totum non ademerunt, eos vectigales, aut stipendiarios, seu tributarios fecerunt. Hoc pacto aliæ prouinciæ fuerunt vectigales, aliæ stipendiariæ & tributariæ, Vectigales erãt: quæ vectigal pensitabant, quale est portorium, vectigal rerum venalium, metallorum, salinarum, picariarum, quæ omnia publicanis locabantur: Stipendiariæ & tributariæ, quæ stipendium & tributum. Stipendium & tributum promiscuè accipi docuit Vlpianus; tamen reuerâ stipendium erat vectigal certum & ordinarium; tributum incertum & extraordinarium, quod pro ratione rerum, & temporum indicebatur. Hanc Prouinciarum diuersitatem rectè indicauit M. Tullius: *Inter Siciliam, ceterásque Prouincias in agrorum vectigalium rationibus hoc interest, quòd ceteris aut impositum vectigal est certum, quod stipendiarium dicitur, vt Hispanis, & plerisque Pœnorum, quasi victoriæ præmium, ac pœna belli; aut Censoria locatio constituta est, vt Asiæ lege Sempronia. Siciliæ ciuitates sic in amicitiam, fidémque recepimus vt eodem iure essent, quo fuissent, eadem conditione populo R. parerent, qua suis antea paruissent, perpaucæ Siciliæ ciuitates sunt bello à maioribus nostris subactæ; quarum ager cum esset publicus populi R. factus, tamen illis est redditus, is ager à Censoribus locari solet &c.* Aliam stipendiariorum, & tributariorum prædiorum differentiam comminiscitur Theophilus græcus Interpres iuris; vt stipendiarij agri populo, Tributarij pendant principi. Aliæ, inquam, prouinciæ fuerunt vectigales

l. inter ff. de verb. signif.

l. ager. ff. de verb. signif.

In Frumentar.

In §. per traditionem inst. de rer. diuis.

gales, vt Asia lege Semproniâ: donec Cæsar, deuicto Pompeio, cùm venit in Asiam è vectigali in tributariã transformauit, teste Dione. Galliam Narbonensem etiam fuisse vectigalem satis insinuat M. Tullius cùm Fonteium Narbonensis prætorem de peculatus crimine purgat, hoc argumento, quòd nullus in eum testis produceretur è publicanis, & pecuarijs qui vectigalium & pascuorum publicorum erant conductores. *Vnum*, inquit, *ex toto negotiatorum, colonorum, publicanorum, aratorum, pecuariorum numero testem producant.* Verùm Galliâ perdomitâ vniuersæ stipendium impositum. Tranquillus: *Omnem Galliam quæ à Saltu Pyrenæo, Alpibúsque, & monte Gebenna fluminibus Rheno & Rhodano continetur, præter socias ac bene meritas Ciuitates, in prouinciæ formam redegit, eíque quadringenties in singulos annos stipendij nomine imposuit.* Idcircò Augustus summâ rerum potitus, venit in Galliam, eiúsque censum egit, vt ex modo census tributum indiceretur. Florus: *Cùm ille conuentum Narbonæ egit, census à tribus Gallijs, quas Cæsar pater vicerat actus.* & Dio: ἐς ᾗ δὴ τὰς γαλατίας ἐλθὼν ἐνταῦθα διέτριψεν καὶ αὐτῶν, καὶ ἀπογραφὰς ἐποιήσατο. *in Galliam veniens hic nonnihil moratus est & Gallorum censum egit.* Tributum in Gallia singulos in menses indictum ex eo colligi potest, quod de Licinio Galliarum præfecto scribit Dio; eum duobus mensibus annum ampliasse vt plura exigeret. Duplex fuit in Gallia & consimilibus prouincijs tributi genus, vnum agrarium & reale, quod erat onus prædiorum & fructuum; alterum personale, & in capita indictum: prioris meminit Sidonius, cùm possessores in Gallia tributis exhaustos scribit, in epistola ad Ferreolũ: *Sic habenas Galliarũ modera-*

Lib. 41.
Pro Fonteio
In Iulio cap. 25.
Epitom. liu. Lib. 34.
Lib. 53.
Lib. 54.
Lib. 7. ep. 12

rere, vt possessor exhaustus tributario iugo releuaretur. Censum vocat idem Sidonius, quòd ex modo facultatum pensitaretur,

Carm. 5. *Gallia continuis quamquam sit lassa tributis*
Hoc censu placuisse cupit, nec pondera sentit.

Ib. 16. Alterius singulare vestigium occurrit apud Ammianum: *Primitus partes eas ingressus* (Iulianus) *pro capitibus singulis tributi nomine vicenos quinos aureos reperit flagitari, discedens verò septenos tantùm, munera vniuersa complentes.* De capitatione Heduis remissâ Constantino grates egit

In panegyr. Constant. dicto. Eumenius: *Septem millia capitum remisisti, quartam ampliùs partem nostrorum censuum.* & mox. *Remissione ista septem millium capitũ, viginti quinque millibus dedisti vires, dedisti opes, dedisti salutem.* Remissionem trium capitum à Maioriano postulauit Sidonius,

Carm. 13. *Geryones nos esse puta, monstrúmque tributum*
Hic capita vt viuam tu mihi tolle tria.

Vtriusque tributi modus, & in alijs prouincijs notus.

Apol. c. 13. Tertullianus: *Sed enim agri tributo onusti, viliores, hominum capita stipendio censa ignobiliora; nam hæ sunt notæ captiuitatis.* Haud dispari sorte Aquitania, duplex tributum agnouit, in prædia, & capita; prædiaria tributa signat Sidonius, cùm de festiua ciuium Aruernorum, qui sunt in Aquitania confabulatione scribens, *nulla*

Lib. 1. ep. 1. *mentio de potestatibus, aut de tributis.* & cùm de Seronato: *Rediit*, inquit, *ipse Catilina seculi nostri nuper Aturribus, vt sanguinem, fortunásque miserorum, quas ille ibi ex parte propinauerat, hîc ex asse misceret.* & statim: *Indicit vt dominus, exigit vt tyrannus.* & rursus: *veteres culpas noua tributa perquirit.* Tributa enim propriè possessionibus indicuntur, non personis. Tributum capitis ægrè tulere

Aquitani: informe vectigal vocitauit Sidonius quòd statum capitum, id est personarum, deformet, & Auitum Aruernum huiusce remissionis poscendæ gratiâ ad Honorium legatum prædicat. Carm. 7.

Eligitur primus iuuenis solus mala fractæ
Alliget vt patriæ, poscâtque informe recidi
Vectigal.

Tributum soli apud Aquitanos in speciebus ipsis præstabatur: testem habemus Gregorium Turonensem, qui De vit. Patr. Imperatorem precibus B. Illidij Aruernorum Episcopi cap. 1. apud Sur. tom. 4. tributa quæ in specie tritici & vini exactitari moris erat Iul. 7. in Aruernia pecuniâ commutasse scribit, ob difficultatem subuectionis annonæ; nec non Iuliano Cæsare summam rerum gerente in Gallijs Aquitaniam commeatum & annonam in expeditionem Germanicam intulisse, quod erat onus prouinciarum, locuples testis Ammianus: *Operiénsque Iulium mensem vnde sumunt Gallicani procinctus exordia, diutiùs angebatur; nec enim egredi poterat, antequàm ex Aquitania æstatis remissione solutis frigoribus & pruinis veheretur annona.* Lib. 17.

Cap. II.

Ratio tributorum in Gallia & Aquitania sub Francis. Capitularium. Annua dona. Inferenda, Oblata. Foderum. Talliæ reales in Aquitania & Occitania.



GALLIARVM imperio à Romanis ad Francos conuerso, vectigalium & tributorum ratio olim instituta in prędia, & capita, haud labefactata. Ter-

tiam fructuum prædiorum exegit Clotharius etiam ab
Lib. 4. hist. cap. 1. Id. Aymoin. lib. 2. c. 17. Ecclesijs. Gregorius Turonensis: *Denique Clotharius Rex indixerat vt omnes Ecclesiæ regni sui tertiam partem fructuum fisco dissoluerent.* Tributum amphoræ vini in sin-
Lib. 5. c. 28. gula iugera indixit Chilpericus. Idem Turonensis: *Statutum enim fuerat vt possessor de propria terra, vnam amphoram vini per aripennem redderet.* Ob id, vt prædia à Rege Ecclesijs cõcessa, tributorum iugo soluerentur, princi-
Can. 7. pali beneficio opus fuit. Synodus Aurelianensis I. *De obligationibus* (lege oblationibus) *vel agris quos Dominus noster Rex Ecclesiæ suo munere conferre dignatus est, vel adhuc non habentibus Deo, sibi inspirante, contulerit ipsorum agrorum vel clericorum immunitate concessâ, id esse iustissimum definimus, &c.* & quia Ecclesia parem emunitatem tentabat, in alijs prędijs, ex priuatorum liberalitate profectis, Ca-
Lib. 3. c. 86. & lib. 4. c. 37 pitulare Caroli M. id vetuit. Denique vectigalis agrarij modus facilè deprehenditur ex eo, quòd, etiam lege Francorum, ob cessationem in soluendo tributo fundus à fisco distraheretur. In Synodo Meldensi: *Iuxta*
Can. 61. *legale & antiquum edictum qui negligit censum perdat agrum.* nec solùm tributum soli, sed etiam capitis agnouêre.
Lib. 3. c. 15. Capitulare Caroli M. *Census regalis vndecumque legitimè exigebatur, volumus vt inde persoluatur, siue de propria persona hominis, siue de rebus.* Vnde Capitularium vocarunt librum descriptionis tributorum, quòd etiam capitum
Lib 9. c. 30. censum contineret. Gregorius Turonensis: *Gaiso verò Comes eiusdem temporis accepto Capitulario, quod anteriores Scriptores fecisse commemorauimus, tributa cœpit exigere: sed ab Eufronio Episcopo prohibitus, cum exacta paruitate ad Regis direxit præsentiam, ostendens Capitularium in quo tributa continebantur.* Census à prouincialibus lecti annui,

doni nomine Principi offerebantur in anniuersario Galliarum conuentu. Gesta Ludouici P. *Imperator autem duobus conuentibus habitis, vno apud Nouiomagum, altero apud Compendium in quo & annualia dona suscepit, &c.* & alio loco. *Medio Augusto V vormatiam venit, ibique habito generali conuentu, & oblata sibi annua dona solenni more suscepit.* & Aymoini Continuator de Carolo Caluo: *Generale quoque placitum idibus Iunijs in villa Duziaco tenuit, vbi & annua sua dona suscepit.* & Hincmarus in Epistola ad Carolum Crassum. *Ceterùm autem propter dona generaliter danda, aliud placitum cum senioribus tantùm, & præcipuis Consiliarijs habebatur.* Vnde Synodus Aurelianensis I. loco iam restituto, census & tributa oblationes vocat. Capitulare Ludouici P. Inferendam: *Tributum quod inferenda vocatur.* Fredegarius, & Aymoinus, Vaccas inferendales, quod erat tributum Saxonum: nec dispari significatu minores census, quos emphyteutæ numis luunt oblatas vocarunt, vulgò *Oblies*, vt & panes qui altari offerebantur. Ioannes Monachus: *Hispanibus quos oblatas appellant.* In Aquitania sub Francis duplex tributi genus obseruo; vnum quod prædijs indicebatur in speciebus ipsis, putà frumento & vino, id est, quo Albigenses leuauit Ludouicus P. In eius vita. & Aymoini Appendice. *Quo tempore Albigenses tributo quo in dando vino & annona grauabantur, sua liberalitate releuauit.* Aliud quod Foderum dictitarunt, annonam militarem interpretatur Aymoini Continuator, quam ipse à Ludouico P. Aquitanis remissam testatur: *Inhibuit à plebeis vlteriùs annonas militares, quas vulgò Foderum vocant, dari.* Porrò in Aquitania & Occitania Talliæ, vt loquuntur, sunt reales, id est possessionibus indicuntur, non perso-

A. C. 817. Aymoi. li. 4. cap. 115.

A. C. 818. Aymoin. lib. 4. c. 117

Lib. 5. c. 31.

Ep. 2. c. 30.

add. 4. c. 86.

Fredeg. c. 74 Aymoin. lib. 4. c. 26.

In vit. Gaufred. com. Andeg.

Lib. 5. c. 3.

Lib. 5. c. 3.

nis, propterea indicuntur ad solidum & libram *au sol la liure*, hoc est pro modo iugerum; veteres enim mensores agros diuidebant ad modum solidi & libræ; vnde solidatam & libratam vocarunt certum modum, seu mensuram agri, putà iugerum vel aripennem, eadémque de causa talliæ imponuntur in loco vbi prædia sita sunt: at in alijs Galliæ partibus taliæ sunt personales, id est personis imponuntur propter res, & prædia; & ideò imponuntur in loco domicilij, non situs prædiorum, vt cautum est constitutione Caroli VIII. quæ ad Occitaniam pertinet, sed vsu recepta apud Aquitanos.

CAP. III.

Nonnulli Aquitaniæ populi liberi. Refutatur error nuperi Auctoris scribentis vniuersam Aquitaniam fuisse liberam. Prouinciarum effigies muliebres. Omnes qui erant in orbe Romano ciues Romani facti ex constitutione Antonini P.



EST qui nuper non dubitauit scribere, Aquitaniam Romanis fuisse liberam & immunem, quod adeò confidenter iactitat, vt ad pileum prouocare videatur veteris imaginariæ libertatis memoriâ; sed quàm ei obrepserit immane studium tollendæ in cœlum patriæ facile erit discutere. Haud equidem diffiteor prouincias æquioribus, aut durioribus conditionibus pro cuiusque meritis in fidẽ, & potestatem P. R. acceptas, vt par erat. Siculus Flaccus: *Quidam enim populi pertinaciter aduersus Romanos*

Lib. de condit. agror.

bella gesserunt, quidam experti virtutem eorum, seruauerunt pacem, quidam cognitâ fide, & iustitia eorum, se eis addixerunt, & frequenter aduersùs hostes eorum arma tulerunt; leges itaque pro suo quisque merito acceperunt: neque enim erat iustum, his qui toties admisso periurio rupere pacem, ac bellum intulere Romanis, idem præstari quod fidelibus populis: & certè vt quæque regio populo Romano accessit, & in prouinciæ formam redacta, nonnullæ ex ea ciuitates aliæ liberæ, & immunes, aliæ federatæ habitæ sunt. Strabo vbi de Prouincijs: εἰσὶ δὲ καὶ ἐλεύθεραι πόλεις, αἱ μὲν ἐξ ἀρχῆς κατὰ φιλίαν προσελθοῦσαι, τὰς δ' ἠλευθέρωσαν αὐτοὶ κατὰ τιμήν. *Sunt & liberæ Ciuitates, aliæ ab initio, per amicitiam, aliæ honoris gratia libertate donatæ.* Hâc ratione Siciliâ in prouinciam redactâ nonnullæ ciuitates liberæ, vel federatæ factæ. M. Tullius: *Federatæ ciuitates duæ sunt, quarum decumæ venire non soleant, Mamertina, & Taurominitana; quinque prætereà sine federe immunes ciuitates ac liberæ, Centuripina, Halesina, Segestana, Halicienstr, Panormitana. Prætereà omnis ager Siciliæ ciuitatum decumanus est.* Et Galliam vniuersam à Cæsare armis subactam, & in prouinciam redactam stipendio annuo imposito, præter socias ac bene meritas ciuitates, scribit Tranquillus. Testis ipse Cæsar Atrebatum ciuitatem à se libertate donatam in gratiam Comij, cuius insigni operâ vsus erat, in expeditione Britannica: *Huius opera Comij fideli atque vtili superioribus annis vsus erat in Britannia Cæsar, pro quibus meritis ciuitatem eius immunem esse iusserat, iura, legésque reddiderat, atque ipsi Morinos adtribuerat.* Non aliter actum cum Aquitania, eâ nempe in prouinciam redactâ statim vectigalis fuit, & Magistratus populi Romani, legésque suscepit: belli cladem effugêre

Lib. 17.

In Frumentar.

In Iulio c. 25.

Lib. 7. de bell. Gall. cap. 14.

nonnullæ ciuitates, quas liberas & immunes reliquit Lib. 4. c. 19. populus R. In hoc censu Plinio locantur Santones, Bituriges Vibisci, id est Burdigalenses; suo enim loco restituendi, quos malè expungit Gelenius contra fidem veterum Codicum, eo deceptus quòd inferiùs Plinius meminit Biturigum Cuborum, non aduertens alios esse à Biturigibus Viuiscis. Inter liberos censentur & Arverni, Pictones, de quibus etiam Lucanus,

Lib. 1. *Pictones immunes subigunt sua rura.*

& Bituriges Cubi. Ius Latij datum Auscijs & Conuenis Strabo lib. 4 autores sunt Strabo & Ptolemæus. Ius Latij fuit, vt qui apud suos magistratum gessisset ciuis Romanus, & Romæ petendi magistratus compos esset, vt est apud Strabo lib. 3 Strabonem, Appianum & Asconium. Verùm his op- Appian. lib. 2. de bell. Ciuil. pidis exceptis, reliqua Aquitania communi iure pro- Ascon. in Pison. uinciarum vsa est, id est fuit vectigalis, paruítque Magistratibus, & legibus Romanis: alioquin frustra habita esset ratio liberarum Aquitaniæ ciuitatum, si vniuersa Aquitania eodem iure censeretur. Hoc ita rectè intelligi voluit Strabo, cùm vt liberos significet Bituriges Lib. 4. Viuiscos, ait non esse vectigales simul cum Aquitanis: μόνον γὰρ δὴ τῶν Βιτουρίγων τούτων ἔθνος, ἐν τοῖς Ἀκουιτανοῖς ἀλλόφυλον ἵδρυται καὶ οὐ συντελεῖ αὐτοῖς: *Sola enim Biturigum istorum gens, in Aquitanis peregrina iacet, neque vectigal pendit simul cum his.* Ex quo fateare necesse est Aquitaniam non fuisse liberam, atque adeò malè argumentari hominem, qui Aquitaniam liberam ponit, hoc argumento, quòd nonnulla Aquitaniæ oppida libera fuerint, quum è contrario exceptio illa liquidò comprobet reliquam Aquitaniam minimè fuisse liberam. Et sanè vix inuenies prouinciam vniuersam manu-

missam

miſſam, ſi demas vnam, aut alteram. Vniuerſæ Hiſpaniæ
Veſpaſianus iactatus procellis Reipublicæ Latij ius tri- Lib. 3. c. 3.
buit, autore Plinio, vniuerſæ Græciæ ſuam reddidit li-
bertatem Nero: ſed iterum Veſpaſianus annuum ei ve-
ctigal & Romanos magiſtratus impoſuit, quòd diceret
libertate vti Græcos iam dedidiciſſe, vt ſcribit Pauſa- In Achaicis
nias. Ac vt hominem ſuis telis petam, fatetur ille Aqui-
taniam fuiſſe prouinciam, & quidem Præſidialem, quo
ſemel conceſſo quis inficias ierit, non fuiſſe liberam?
ex quo enim gens quæque in Prouinciæ formam reda-
cta, deſijt eſſe libera, & ſtatim vectigalis, aut ſtipendia-
ria facta eſt. Auguſtinus eò alludens: *Quid quærit ab* In pſal. 49.
homine videamus Deus noſter Imperator & Rex noſter, quod
vectigal nobis indicit, quomodo voluit eſſe Rex noſter & vo-
luit nos eſſe prouinciam ſuam. Fatetur idem Aquitaniam
paruiſſe Præſidi, & lege Romanâ, non patriâ vſam,
nónne igitur ſecum pugnat, qui Aquitaniam liberam
vindicat, quum inſignibus liberorum populorum ca-
reat. quæ huiuſmodi fuerunt: vt immunes eſſent à ve-
ctigalibus & ſtipendijs, & ſuis legibus ac magiſtratibus
viuerent? vnde liberos populos ſtipendiarijs opponit
M. Tullius. *Te indemnatum videri putas, quem ſocij, quem* In Piſonem
federati, quem liberi populi, quem ſtipendiarij omni cruciatu V.l. non du-
digniſſimum putant. & Mothoneis liberis Græciæ popu- bito. ff. de captiu. & poſtlim.
lis Traianum dediſſe *αὐτονομίαν* ſcribit Pauſanias: reu.
μοθωναίοις δὲ βασιλεὺς μὲν Τραιανὸς ἔδοκεν ἐλευθέρους In Meſſenia.
ὄντας ἐν αὐτονομίᾳ πολιτεύεσθαι: *Mothoneis autem Traia-*
nus Cæſar dedit cum liberi eſſent ſuis legibus vti. Aquitaniã
liberam ſibi fingit & hoc argumento, quòd in veteri
nummo Galbæ, & in Prouinciarum Notitia, Aquitania
matronæ ſchemate depingatur, lineâ margaritarum

quæ ingenuitatis, inquit, indices sunt, collum redimita & fiscum gestans auro refertum; quod aurum coronarium esse interpretatur, quod lætitiæ publicæ causâ non tributi nomine offerri solebat; sed non satis perspexit, hanc esse prouinciæ triumphatæ imaginem: Prouinciarum enim & vrbium deuictarum simulacra Romæ in triumpho circumlata constat inter omnes.

Tom. 2. Annal. Liu. lib. 26. V. Tacit. 2. Annal. Plin. lib. 5. cap. 5. Quintil. lib. 6. instit. c. 3.

Zonaras: οὕτω δὲ σταλέντες εἰσῄεσαν εἰς τὴν πόλιν, ἔχοντες προπέμποντα σφῶν τὰ σκῦλα, τε καὶ τὰ τρόπαια, καὶ ἐν εἰκόσι τά τε αἰχμάλωτα φρούρια, ἠσκημένα, πόλεις τε καὶ ὄρη, καὶ ποταμοὺς, λίμνας θαλάσσας τά τε σύμπαντα ὅσα ἑαλώκεσαν: *Sic autem exornati ingrediebantur vrbem, victoriæ insignibus antecedentibus in quibus expressa erant castella, vrbes, montes, fluuij, paludes, maria denique omnia quæ capta erant.* Has Prouinciarum & vrbium imagines muliebri habitu expressas satis docent veteres nummi.

Lib. 2. de laud. Stilicon.

Hâc formâ Galliam depingit Claudianus,

----- Tum flaua repexo
Gallia crine ferox, euinctáque torque decoro,
Bináque gesa tenens animoso pectore fatur.

Lib. 4.

& Strabo Lugduni aram communi Gallorum voto Augusto positam ait, cum inscriptione LX. gentium, & imagine singularum, quam non alio quàm muliebri vultu, & cultu fuisse: hâc formâ etiam Romam vrbem depingit Corippus,

Lib. 1. de laud. Stilicô

Addidit antiquam tendentem brachia Romam
Exertô & nudam gestantem pectore mammam.

Quòd Aquitania vas aureis plenum gestet, cōmune est omnibus prouincijs signum exactionis vectigalium & tributorũ; & si interpremur id aurũ coronariũ, etiã Prouinciæ aurũ coronarium Imperatori triumphãti offerre


cõsuerunt in vitæ beneficium. Seruius illo loco Virgilij, Lib. 8. Aen.
Dona recognoſcit populorum
Aurum coronarium dicit, quod triumphantibus hodiéque à victis gentibus datur, imponebant autem hoc Imperatores propter conceſſam vitam. & ante M. Tullius: *Quod ad quemcumque peruenerit ex præda, ex manubijs, ex auro coronario, quod neque conſumptum in monumento, neque in ærarium relatum ſit, id ad Decemuiros referri iubet.* In Rullum. Fuerint margaritæ, quæ Aquitaniæ velut nobiliſſimæ Heroidis collo apponuntur, dignitatis & opum argumenta, ſed libertatis minimè. Coronata pingitur & Aquitania, vt & aliæ Prouinciæ quod propiùs libertatis argumentum eſſe poterat, nam & manumiſſis corona dabatur: *Coronat & libertas ſecularis* ait Tertullianus. Sed hæc omnia nuda Lib. de coron. ſunt ornamenta, quæ prouincijs addebantur in ſolatium ſeruitutis. Coronatur victima etiam cùm ad funus ducitur: in triumpho circumferebantur captæ vrbes ſpecie matronarum, cum aureis coronis. Ita in pompa Antiochi Syriæ Regis, quæ deſcribitur ab Lib. 5. c. 8. Athenæo, eius currum ſequebantur mulieres cultæ & ornatæ cum titulis ciuitatum Ioniæ & ceterarum Hellenidum Aſiæ, omnes cum aureis coronis ἐφόρȣν ἢ πᾶσαι ςεφάνȣς χρυσȣ̃ς. Nec cautiùs iſte Narbonenſem liberam pronunciauit, hoc argumento; quòd in libris noſtris Narbonenſes iuris Italici ſunt, ſi qua fides vulgatæ lectioni: ius Italicum autem tribuit immunitatem vectigalium & tributorum: ſed tutior eſt lectio Pandectarum Florentinarum, & Haloandri, ex qua ſoli Viennenſes in Narbonenſi iuris Italici ponuntur: huiuſce lectionis fidem tuetur quòd Narbonenſem quartam fuiſſe prouinciam certum, eandémque vectigalem.

quà sinistra exuitur velut à furante candida veste vestito, puréque lotis nudis pedibus, sacro facto priusquàm legatur pane vinoque, fertur in mappa noua: hanc contra omnem perniciem habendam prodidere Druidæ Gallorum, & contra omnia oculorum vitia fumum eius prodesse, ijdem Samolum herbam nominauere nascentem in humidis, & hanc sinistra manu legi à ieiunis contra morbos suum, boumque, nec respicere legentem, nec alibi quàm in canali deponere, ibique conterere poturis.

De virtut. herbar. VRA Gallis herbæ genus, quod Græcis Satyrion. Apuleius: *Græcis dicitur Satyrion, Galli Vram.*

VSVBIM Gallis herba, quæ græcis Chamędaphne. Dioscorides: χαμαιδάφνη γάλλοι οὐσοῦβιμ. Apuleius, *Chamædaphne, Itali Mustellaginem dicunt, Galli, Eugubim, Vsibon.*





RERVM AQVITANICARVM LIBER TERTIVS.



Cap. I.

Status Prouinciarum Imperij Romani, alia vectigales, alia stipendiaria, seu tributaria. Gallia stipendiaria facta. Duplex tributum in Gallia soli & capitis, vtrumque exactum in Aquitania. Tributum in Aquitania in speciebus pensitatum.



ROVINCIARVM orbis Romani summa ratio hæc fuit, vt vectigales essent, Romano magistratui parerent, & victorum leges acciperent. Nempe Romani agros ab hoste captos partim distrahebant, partim veteranis assignabant, partim veteri possessori relinquebant: præter Iuris auctores, Siculus Flaccus: *Vt verò Romani omnium gentium potiti sunt agros ex hoste captos in victorem populum partiti sunt; alios verò agros vendiderunt.* & alio loco: *Causam autem diuidendorum agrorum bella fecerunt; captus enim ager ex hoste, victori* Lib. de condit. agror.

militi veteranóque est assignatus, hostibus pulsis æqualis in modo manipuli datus est. Nec tamen omnibus personis victis ablati sunt agri; nam quorundam dignitas, aut gratia, aut amicitia victorem ducem mouit vt eis concederet agros suos. Quibus agros ex parte reliquerunt, aut in totum non ademerunt, eos vectigales, aut stipendiarios, seu tributarios fecerunt. Hoc pacto aliæ prouinciæ fuerunt vectigales, aliæ stipendiariæ & tributariæ, Vectigales erāt: quæ vectigal pensitabant, quale est portorium, vectigal rerum venalium, metallorum, salinarum, picariarum, quæ omnia publicanis locabantur: Stipendiariæ & tributariæ, quæ stipendium & tributum. Stipendium & tributum promiscuè accipi docuit Vlpianus; tamen reuerâ stipendium erat vectigal certum & ordinarium; tributum incertum & extraordinarium, quod pro ratione rerum, & temporum indicebatur. Hanc Prouinciarum diuersitatem rectè indicauit M. Tullius: *Inter Siciliam, ceteràsque Prouincias in agrorum vectigalium rationibus hoc interest, quòd ceteris aut impositum vectigal est certum, quod stipendiarium dicitur, vt Hispanis, & plerisque Pænorum, quasi victoriæ præmium, ac pæna belli; aut Censoria locatio constituta est, vt Asiæ lege Sempronia. Siciliæ ciuitates sic in amicitiam, fidémque recepimus vt eodem iure essent, quo fuissent, eadem conditione populo R. parerent, qua suis anteà paruissent, perpaucæ Siciliæ ciuitates sunt bello à maioribus nostris subactæ, quarum ager cum esset publicus populi R. factus, tamen illis est redditus, is ager à Censoribus locari solet &c.* Aliam stipendiariorum, & tributariorum prædiorum differentiam comminiscitur Theophilus græcus Interpres iuris; vt stipendiarij agri populo, Tributarij pendant principi. Aliæ, inquam, prouinciæ fuerunt vectigales

l. inter ff. de verb. signif.

l. ager. ff. de verb. signif.

In Frumentar.

In §. per traditionem inst. de rer. diuis.

gales

gales, vt Aſia lege Semproniâ: donec Cæſar, deuicto Pompeio, cùm venit in Aſiam è vectigali in tributariã transformauit, teſte Dione. Galliam Narbonenſem etiam fuiſſe vectigalem ſatis inſinuat M. Tullius cùm Fonteium Narbonenſis prætorem de peculatus crimine purgat, hoc argumento, quòd nullus in eum teſtis produceretur è publicanis, & pecuarijs qui vectigalium & paſcuorum publicorum erant conductores. *Vnum*, inquit, *ex toto negotiatorum, colonorum, publicanorum, aratorum, pecuariorum numero teſtem producant.* Verùm Galliâ perdomitâ vniuerſæ ſtipendium impoſitum. Tranquillus: *Omnem Galliam quæ à Saltu Pyrenæo, Alpibúſque, & monte Gebenna fluminibus Rheno & Rhodano continetur, præter ſocias ac bene meritas Ciuitates, in prouinciæ formam redegit, eique quadringenties in ſingulos annos ſtipendij nomine impoſuit.* Idcircò Auguſtus ſummâ rerum potitus, venit in Galliam, eiúſque cenſum egit, vt ex modo censûs tributum indiceretur. Florus: *Cùm ille conuentum Narbonæ egit, cenſus à tribus Gallijs, quas Cæſar pater vicerat actus.* & Dio: ἐς οὖν δὴ τὰς γαλατίας ἐλθὼν ἐνταῦθα διέτριψεν χρόνον καὶ αὐτῶν, καὶ ἀπογραφὰς ἐποιήσατο. *in Galliam veniens hic nonnihil moratus eſt & Gallorum cenſum egit.* Tributum in Gallia ſingulos in menſes indictum ex eo colligi poteſt, quod de Licinio Galliarum præfecto ſcribit Dio; eum duobus menſibus annum ampliaſſe vt plura exigeret. Duplex fuit in Gallia & conſimilibus prouincijs tributi genus, vnum agrarium & reale, quod erat onus prædiorum & fructuum; alterum perſonale, & in capita indictum: prioris meminit Sidonius, cùm poſſeſſores in Gallia tributis exhauſtos ſcribit, in epiſtola ad Ferreolũ: *Sic habenas Galliarũ modera-*

Lib. 41.
Pro Fonteio
In Iulio cap. 25.
Epitom. liu. Lib. 34.
Lib. 53.
Lib. 54.
Lib. 7. ep. 12

rere, vt possessor exhaustus tributario iugo releuaretur. Censum vocat idem Sidonius, quòd ex modo facultatum pensitaretur,

Carm. 5. *Gallia continuis quamquam sit lassa tributis*
Hoc censu placuisse cupit, nec pondera sentit.

ib. 16. Alterius singulare vestigium occurrit apud Ammianum: *Primitus partes eas ingressus* (Iulianus) *pro capitibus singulis tributi nomine vicenos quinos aureos reperit flagitari, discedens verò septenos tantùm, munera vniuersa complentes.* De capitatione Heduis remissâ Constantino grates egit

In panegyr. Constant. dicto. Eumenius: *Septem millia capitum remisisti, quartam ampliùs partem nostrorum censuum.* & mox. *Remissione ista septem millium capitũ, viginti quinque millibus dedisti vires, dedisti opes, dedisti salutem.* Remissionem trium capitum à Maioriano postulauit Sidonius,

Carm. 13. *Geryones nos esse puta, monstrúmque tributum*
Hic capita vt viuam tu mihi tolle tria.

Vtriusque tributi modus, & in alijs prouincijs notus.

Apol. c. 13. Tertullianus: *Sed enim agri tributo onusti, viliores, hominum capita stipendio censa ignobiliora; nam hæ sunt notæ captiuitatis.* Haud dispari sorte Aquitania, duplex tributum agnouit, in prædia, & capita; prædiaria tributa signat Sidonius, cùm de festiua ciuium Aruernorum, qui sunt in Aquitania confabulatione scribens, *nulla*

Lib. 2. ep. 1. *mentio de potestatibus, aut de tributis.* & cùm de Seronato: *Redijt,* inquit, *ipse Catilina seculi nostri nuper Aturribus, vt sanguinem, fortunásque miserorum, quas ille ibi ex parte propinauerat, hic ex asse misceret.* & statim: *Indicit vt dominus, exigit vt tyrannus.* & rursus: *veteres culpas noua tributa perquirit.* Tributa enim propriè possessionibus indicuntur, non personis. Tributum capitis ægrè tulere

Aquitani : informe vectigal vocitauit Sidonius quòd statum capitum, id est personarum, deformet, & Auitum Aruernum huiusce remissionis poscendæ gratiâ ad Honorium legatum prædicat. Carm. 7.

Eligitur primùs iuuenis solus mala fractæ
Alliget vt patriæ, poscátque informe recidi
Vectigal.

Tributum soli apud Aquitanos in speciebus ipsis præstabatur: testem habemus Gregorium Turonensem, qui De vit. Patr. cap. 1. apud Sur. tom. 4. Iul. 7. Imperatorem precibus B. Illidij Aruernorum Episcopi tributa quæ in specie tritici & vini exactitari moris erat in Aruernia pecuniâ commutasse scribit, ob difficultatem subuectionis annonæ; nec non Iuliano Cæsare summam rerum gerente in Gallijs Aquitaniam commeatum & annonam in expeditionem Germanicam intulisse, quod erat onus prouinciarum, locuples testis Ammianus: *Operiénsque Iulium mensem vnde sumunt Gallicani procinctus exordia, diutiùs angebatur; nec enim egredi poterat, antequàm ex Aquitania æstatis remissione solutis frigoribus & pruinis veheretur annona.* Lib. 17.

Cap. II.

Ratio tributorum in Gallia & Aquitania sub Francis. Capitularium. Annua dona. Inferenda. Oblatæ. Foderum. Talliæ reales in Aquitania & Occitania.



GALLIARVM imperio à Romanis ad Francos conuerso, vectigalium & tributorum ratio olim instituta in prędia, & capita, haud labefactata. Ter-

tiam fructuum prædiorum exegit Clotharius etiam ab
Lib. 4. hist. cap. 1. Id. Aymoin. lib. 2. c. 17. Ecclesijs. Gregorius Turonensis : *Denique Clotharius Rex indixerat vt omnes Ecclesiæ regni sui tertiam partem fructuum fisco dissoluerent.* Tributum amphoræ vini in singula iugera indixit Chilpericus. Idem Turonensis: *Statutum enim fuerat vt possessor de propria terra, vnam amphoram vini per aripennem redderet.* Ob id, vt prædia à Rege Ecclesijs cōcessa, tributorum iugo soluerentur, principali beneficio opus fuit. Synodus Aurelianensis I. *De obligationibus* (lege oblationibus) *vel agris quos Dominus noster Rex Ecclesiæ suo munere conferre dignatus est, vel adhuc non habentibus Deo, sibi inspirante, contulerit ipsorum agrorum vel clericorum immunitate concessâ, id esse iustissimum definimus, &c.* & quia Ecclesia parem emunitatem tentabat, in alijs prędijs, ex priuatorum liberalitate profectis, Capitulare Caroli M. id vetuit. Denique vectigalis agrarij modus facilè deprehenditur ex eo, quòd, etiam lege Francorum, ob cessationem in soluendo tributo fundus à fisco distraheretur. In Synodo Meldensi : *Iuxta legale & antiquum edictum qui negligit censum perdat agrum.* nec solùm tributum soli, sed etiam capitis agnouêre. Capitulare Caroli M. *Census regalis vndecumque legitimè exigebatur, volumus vt inde persoluatur, siue de propria persona hominis, siue de rebus.* Vnde Capitularium vocarunt librum descriptionis tributorum, quòd etiam capitum censum contineret. Gregorius Turonensis: *Gaiso verò Comes eiusdem temporis accepto Capitulario, quod anteriores Scriptores fecisse commemorauimus, tributa cœpit exigere: sed ab Eufronio Episcopo prohibitus, cum exacta paruitate ad Regis direxit præsentiam, ostendens Capitularium in quo tributa continebantur.* Census à prouincialibus lecti annui,

Lib. 5. c. 28. Can. 7. Lib. 3. c. 86. & lib. 4. c. 37. Can. 61. Lib. 3. c. 15. Lib 9. c. 30.

doni nomine Principi offerebantur in anniuersario Galliarum conuentu. Gesta Ludouici P. *Imperator autem duobus conuentibus habitis, vno apud Nouiomagum, altero apud Compendium in quo & annualia dona suscepit, &c.* & alio loco. *Medio Augusto Vvormatiam venit, ibique habito generali conuentu, & oblata sibi annua dona solenni more suscepit.* & Aymoini Continuator de Carolo Caluo: *Generale quoque placitum idibus Iunijs in villa Duziaco tenuit, vbi & annua sua dona suscepit.* & Hincmarus in Epistola ad Carolum Crassum. *Ceterùm autem propter dona generaliter danda, aliud placitum cum senioribus tantùm, & præcipuis Consiliarijs habebatur.* Vnde Synodus Aurelianensis I. loco iam restituto, census & tributa oblationes vocat. Capitulare Ludouici P. Inferendam: *Tributum quod inferenda vocatur.* Fredegarius, & Aymoinus, Vaccas inferendales, quod erat tributum Saxonum: nec dispari significatu minores census, quos emphyteutæ numis luunt oblatas vocarunt, vulgò *Oblies*, vt & panes qui altari offerebantur. Ioannes Monachus: *His panibus quos oblatas appellant.* In Aquitania sub Francis duplex tributi genus obseruo; vnum quod prædijs indicebatur in speciebus ipsis, putà frumento & vino, id est, quo Albigenses leuauit Ludouicus P. In eius vita. & Aymoini Appendice. *Quo tempore Albigenses tributo quo in dando vino & annona grauabantur, sua liberalitate releuauit.* Aliud quod Foderum dictitarunt, annonam militarem interpretatur Aymoini Continuator, quam ipse à Ludouico P. Aquitanis remissam testatur: *Inhibuit à plebeis vlteriùs annonas militares, quas vulgò Foderum vocant, dari.* Porrò in Aquitania & Occitania Talliæ, vt loquuntur, sunt reales, id est possessionibus indicuntur, non perso-

A. C. 817. Aymoi. li. 4. cap. 115.

A. C. 818. Aymoin. lib. 4. c. 117

Lib. 5. c. 31.

Ep. 2. c. 30.

add. 4. c. 86.

Fredeg. c. 74 Aymoin. lib. 4. c. 26.

In vit. Gaufred. com. Andeg.

Lib. 5. c. 3.

Lib. 5. c. 3.

*Hispani oblatas

nis,propterea indicuntur ad ſolidum & libram *au ſol la liure*, hoc eſt pro modo iugerum; veteres enim menſores agros diuidebant ad modum ſolidi & libræ; vnde ſolidatam & libratam vocarunt certum modum, ſeu menſuram agri, putà iugerum vel aripennem, eadémque de cauſa talliæ imponuntur in loco vbi prædia ſita ſunt: at in alijs Galliæ partibus taliæ ſunt perſonales, id eſt perſonis imponuntur propter res, & prædia; & ideò imponuntur in loco domicilij, non ſitus prædiorum, vt cautum eſt conſtitutione Caroli VIII. quæ ad Occitaniam pertinet, ſed vſu recepta apud Aquitanos.

CAP. III.

Nonnulli Aquitaniæ populi liberi. Refutatur error nuperi Auctoris ſcribentis vniuerſam Aquitaniam fuiſſe liberam. Prouinciarum effigies muliebres. Omnes qui erant in orbe Romano ciues Romani facti ex conſtitutione Antonini P.



EST qui nuper non dubitauit ſcribere, Aquitaniam Romanis fuiſſe liberam & immunem, quod adeò confidenter iactitat, vt ad pileum prouocare videatur veteris imaginariæ libertatis memoriâ; ſed quàm ei obrepſerit immane ſtudium tollendæ in cœlum patriæ facile erit diſcutere. Haud equidem diffiteor prouincias æquioribus, aut durioribus conditionibus pro cuiuſque meritis in fidē, & poteſtatem P. R. acceptas, vt par erat. Siculus Flaccus: *Quidam enim populi pertinaciter aduersùs Romanos*

Lib. de condit. agror.

bella gesserunt, quidam experti virtutem eorum, seruauerunt pacem, quidam cognitâ fide, & iustitia eorum, se eis addixerunt, & frequenter aduersùs hostes eorum arma tulerunt; leges itaque pro suo quisque merito acceperunt: neque enim erat iustum, his qui toties admisso periurio rupere pacem, ac bellum intulere Romanis, idem præstari quod fidelibus populis: & certè vt quæque regio populo Romano accessit, & in prouinciæ formam redacta, nonnullæ ex ea ciuitates aliæ liberæ, & immunes, aliæ federatæ habitæ sunt. Strabo vbi de Prouincijs: εἰσὶ δὲ καὶ ἐλεύθεραι πόλεις, αἱ μὲν ἐξ ἀρχῆς κατὰ φιλίαν προσελθοῦσαι, τὰς δ' ἠλευθέρωσαν αὐτοὶ κατὰ τιμήν. *Sunt & liberæ Ciuitates, aliæ ab initio, per amicitiam, aliæ honoris gratia libertate donatæ.* Lib. 17. Hâc ratione Siciliâ in prouinciam redactâ nonnullæ ciuitates liberæ, vel federatæ factæ. M. Tullius: *Federatæ ciuitates duæ sunt, quarum decumæ venire non soleant, Mamertina, & Taurominitana; quinque prætereà sine federe immunes ciuitates ac liberæ, Centuripina, Halesina, Segestana, Haliciensis, Panormitana. Prætereà omnis ager Siciliæ ciuitatum decumanus est.* In Frumentar. Et Galliam vniuersam à Cæsare armis subactam, & in prouinciam redactam stipendio annuo imposito, præter socias ac bene meritas ciuitates, scribit Tranquillus. In Iulio c. 25. Testis ipse Cæsar Atrebatum ciuitatem à se libertate donatam in gratiam Comij, cuius insigni operâ vsus erat, in expeditione Britannica: *Huius opera Comij fideli atque vtili superioribus annis vsus erat in Britannia Cæsar, pro quibus meritis ciuitatem eius immunem esse iusserat, iura, legésque reddiderat, atque ipsi Morinos adtribuerat.* Lib. 7. de bell. Gall. cap. 14. Non aliter actum cum Aquitania, eâ nempe in prouinciam redactâ statim vectigalis fuit, & Magistratus populi Romani, legésque suscepit: belli cladem effugêre

nonnullæ ciuitates, quas liberas & immunes reliquit populus R. In hoc censu Plinio locantur Santones, Bituriges Vibisci, id est Burdigalenses; suo enim loco restituendi, quos malè expungit Gelenius contra fidem veterum Codicum, eo deceptus quòd inferiùs Plinius meminit Biturigum Cuborum, non aduertens alios esse à Biturigibus Viuiscis. Inter liberos censentur & Aruerni, Pictones, de quibus etiam Lucanus,

Lib. 4. c. 19.

Lib. 1.

Pictones immunes subigunt sua rura.

& Bituriges Cubi. Ius Latij datum Auscijs & Conuenis autores sunt Strabo & Ptolemæus. Ius Latij fuit, vt qui apud suos magistratum gessisset ciuis Romanus, & Romæ petendi magistratus compos esset, vt est apud Strabonem, Appianum & Asconium. Verùm his oppidis exceptis, reliqua Aquitania communi iure prouinciarum vsa est, id est fuit vectigalis, paruítque Magistratibus, & legibus Romanis: alioquin frustra habita esset ratio liberarum Aquitaniæ ciuitatum, si vniuersa Aquitania eodem iure censeretur. Hoc ita rectè intelligi voluit Strabo, cùm vt liberos significet Bituriges Viuiscos, ait non esse vectigales simul cum Aquitanis: *μόνον γὰρ δὴ τῶν βιτουείγων τούτων ἔθνος, ἐν τοῖς Ἀκουιτανοῖς ἀλλόφυλον ἵδρυται καὶ οὐ συντελεῖ αὐτοῖς*: *Sola enim Biturigum istorum gens, in Aquitanis peregrina iacet, neque vectigal pendit simul cum his.* Ex quo fateare necesse est Aquitaniam non fuisse liberam, atque adeò malè argumentari hominem, qui Aquitaniam liberam ponit, hoc argumento, quòd nonnulla Aquitaniæ oppida libera fuerint, quum è contrario exceptio illa liquidò comprobet reliquam Aquitaniam minimè fuisse liberam. Et sanè vix inuenies prouinciam vniuersam manumissam

Strabo lib. 4

Strabo lib. 3
Appian. lib. 2. de bell. Ciuil.
Ascon. in Pison.

Lib. 4.

missam, si demas vnam, aut alteram. Vniuersæ Hispaniæ Vespasianus iactatus procellis Reipublicæ Latij ius tribuit, autore Plinio, vniuersæ Græciæ suam reddidit libertatem Nero: sed iterum Vespasianus annuum ei vectigal & Romanos magistratus imposuit, quòd diceret libertate vti Græcos iam dedidicisse, vt scribit Pausanias. Ac vt hominem suis telis petam, fatetur ille Aquitaniam fuisse prouinciam, & quidem Præsidialem, quo semel concesso quis inficias ierit, non fuisse liberam? ex quo enim gens quæque in Prouinciæ formam redacta, desijt esse libera, & statim vectigalis, aut stipendiaria facta est. Augustinus eò alludens: *Quid quærit ab homine videamus Deus noster Imperator & Rex noster, quod vectigal nobis indicit, quomodo voluit esse Rex noster & voluit nos esse prouinciam suam.* Fatetur idem Aquitaniam paruisse Præsidi, & lege Romanâ, non patriâ vsam, nónne igitur secum pugnat, qui Aquitaniam liberam vindicat, quum insignibus liberorum populorum careat. quæ huiusmodi fuerunt: vt immunes essent à vectigalibus & stipendijs, & suis legibus ac magistratibus viuerent? vnde liberos populos stipendiarijs opponit M. Tullius. *Te indemnatum videri putas, quem socij, quem federati, quem liberi populi, quem stipendiarij omni cruciatu dignissimum putant.* & Mothoneis liberis Græciæ populis Traianum dedisse αὐτονομίαν scribit Pausanias: μοθωναίοις ἢ βασιλεὺς μὲν Τραιανὸς ἔδοκεν ἐλευθέρυς ὄντας ἐν αὐτονομίᾳ πολιτεύεσθαι: *Mothoneis autem Traianus Cæsar dedit cum liberi essent suis legibus vti.* Aquitaniã liberam sibi fingit & hoc argumento, quòd in veteri nummo Galbæ, & in Prouinciarum Notitia, Aquitania matronæ schemate depingatur, lineâ margaritarum

Lib. 3. c. 3.

In Achaicis

In psal. 49.

In Pisonem

V. l. non dubito. ff. de captiu. & postlim. reu.

In Messenia.

quæ ingenuitatis, inquit, indices sunt, collum redimita & fiscum gestans auro refertum; quod aurum coronarium esse interpretatur, quod lætitiæ publicæ causâ non tributi nomine offerri solebat; sed non satis perspexit, hanc esse prouinciæ triumphatæ imaginem: Prouinciarum enim & vrbium deuictarum simulacra Romæ in triumpho circumlata constat inter omnes.

Tom. 2. Annal. Liu. lib. 26. V. Tacit. 2. Annal. Plin. lib. 5. cap. 5. Quintil. lib. 6. instit. c. 3.

Zonaras: οὕτω δὲ ςαλέντες εἰσῄεσαν εἰς τὴν πόλιν, ἔχοντες προπέμποντα σφῶν τὰ σκῦλα, τε καὶ τὰ τρόπαια, καὶ ἐν εἰκόσι τά τε αἰχμάλωτα φρούρια, ἠσκημένα, πόλεις τε καὶ ὄρη, καὶ ποταμοὺς, λίμνας θαλάσσας τά τε σύμπαντα ὅσα ἑαλώκεσαν: *Sic autem exornati ingrediebantur vrbem, victoriæ insignibus antecedentibus in quibus expressa erant castella, vrbes, montes, fluuij, paludes, maria denique omnia quæ capta erant.* Has Prouinciarum & vrbium imagines muliebri habitu expressas satis docent veteres nummi.

Lib. 2. de laud. Stilicon.

Hâc formâ Galliam depingit Claudianus,

----- Tum flaua repexo
Gallia crine ferox, euinctáque torque decoro,
Bináque gesa tenens animoso pectore fatur.

Lib. 4.

& Strabo Lugduni aram communi Gallorum voto Augusto positam ait, cum inscriptione LX. gentium, & imagine singularum, quam non alio quàm muliebri vultu, & cultu fuisse: hâc formâ etiam Romam vrbem depingit Corippus,

Lib. 1. de laud. Stilicō

Addidit antiquam tendentem brachia Romam
Exerto & nudam gestantem pectore mammam.

Quòd Aquitania vas aureis plenum gestet, cōmune est omnibus prouincijs signum exactionis vectigalium & tributorū; & si interpremur id aurū coronariū, etiā Prouinciæ aurū coronarium Imperatori triumphāti offerre

cõſuerunt in vitæ beneficium. Seruius illo loco Virgilij, Lib. 8. Aen.
Dona recognoſcit populorum
Aurum coronarium dicit, quod triumphantibus hodiéque à victis gentibus datur, imponebant autem hoc Imperatores propter conceſſam vitam. & ante M. Tullius: *Quod ad quemcumque* In Rullum. *peruenerit ex præda, ex manubijs, ex auro coronario, quod neque conſumptum in monumento, neque in ærarium relatum ſit, id ad Decemuiros referri iubet.* Fuerint margaritæ, quæ Aquitaniæ velut nobiliſſimæ Heroidis collo apponuntur, dignitatis & opum argumenta, ſed libertatis minimè. Coronata pingitur & Aquitania, vt & aliæ Prouinciæ quod propiùs libertatis argumentum eſſe poterat, nam & manumiſſis corona dabatur: *Coronat & libertas ſecularis* ait Tertullianus. Sed hæc omnia nuda Lib. de coron. ſunt ornamenta, quæ prouincijs addebantur in ſolatium ſeruitutis. Coronatur victima etiam cùm ad funus ducitur: in triumpho circumferebantur captæ vrbes ſpecie matronarum, cum aureis coronis. Ita in pompa Antiochi Syriæ Regis, quæ deſcribitur ab Lib. 5. c. 8. Athenæo, eius currum ſequebantur mulieres cultæ & ornatæ cum titulis ciuitatum Ioniæ & ceterarum Hellenidum Aſiæ, omnes cum aureis coronis ἐφόρουν ᾗ πᾶσαι στεφάνους χρυσοῦς. Nec cautiùs iſte Narbonenſem liberam pronunciauit, hoc argumento; quòd in libris noſtris Narbonenſes iuris Italici ſunt, ſi qua fides vulgatæ lectioni: ius Italicum autem tribuit immunitatem vectigalium & tributorum: ſed tutior eſt lectio Pandectarum Florentinarum, & Haloandri, ex qua ſoli Viennenſes in Narbonenſi iuris Italici ponuntur: huiuſce lectionis fidem tuetur quòd Narbonenſem quartam fuiſſe prouinciam certum, eandémque vectigalem.

Pro Fonteio M. Tullius: *Prouinciæ Galliæ M. Fonteius præfuit, quæ constat ex ijs generibus hominum & ciuitatum, qui partim nostra memoria bella cum populo Rom. acerba, & diuturna gesserunt; partim modò ab nostris Imperatoribus subacti, modò bello domiti, modò triumphis ac monumentis notati, modò ab senatu agris, vrbibúsque multati sunt.* & statim: *Huic prouinciæ, quæ ex hac gentium varietate constaret, M. Fonteius vt dixi, præfuit, qui erant hostes subegit, qui proximi fuerant eos ex ijs agris quibus erant multati decedere coëgit, ceteris, qui idcircò magnis sæpe erant bellis superati vt semper populo Rom. parerent, magnos equitatus ad ea bella, quæ tum in toto orbe terrarum populo Romano gerebantur, magnas pecunias ad eorum stipendium, maximum frumenti numerum, ad Hispaniense bellum tolerandum imperauit.* Narbona vtpotè Colonia ciuium Romanorum iuris Italici fuit, sed ferendum non est id iuris produci ad vniuersam prouinciam; Nemauso in Narbonensi ius Latij tribuit Strabo: eodem Lib. 4. iure Plinio censentur Ruscino, Aquæ-Sextiæ, Auenio Cauarum, Alba Heluiorum, & alia quamplura oppida Narbonensis, sed his demptis reliqua prouincia communi iure cur absoluatur non liquet. Augustus equidē alijs prouinciarum oppidis ius ciuitatis, alijs ius Latij In August. cap. 47. tribuit, teste Tranquillo: *Vrbium quasdam federatas, sed ad exitium licentiâ præcipites libertate priuauit, alias aut merita erga pop. Rom. allegantes latinitate, vel ciuitate donauit.* Tandem Antoninus P. omnes prouinciales ciuitate do-l. in orbe ff. de stat. ho. nauit: vt est apud Vlpianum, & Iustinianum: de quo & Nou. 78. Augustinus: cap. 5. in Psal. 58. *Quisnam non cognoscit gentes subiectas Imperio Romano, quæ quidem erant quando omnes Romani facti sunt,* Lib. 5. de Ciuit. Dei. *& omnes Romani dicuntur*, idem Augustinus alio loco, cap. 17. *Nónne Romanis, & ceteris gentibus vna esset eadémque con-*

ditio, præsertim si mox fieret, quod pòsteà gratissimè, atque humanissimè factum est, vt omnes ad Romanum imperium pertinentes societatem acciperent Ciuitatis, vt Romani ciues essent, ac sic esset omnium, quod erat ante paucorum? Ideò Roma erat patria omnium qui ditioni Romanæ subiecti erāt. Eleganter hanc in rem Theodoritus in Epistola ad Leonem P. M. de Roma: πρὸς δὲ τούτοις καὶ νῦν κρατοῦσαν ἡγεμονίαν ἐβλάστησε, καὶ τῆς οἰκείας προσηγορίας τοῖς ἀρχομένοις μετέδωκε: *Ad hæc imperium quod nunc stat produxit, & suum ipsa nomen subditis impertijt.* & Sidonius, *In qua vnica totius orbis ciuitate soli barbari & serui peregrinantur.* & Rutilius Numatianus. l. Roma ff. ad Municip. l. 6. ff. de excus. tut. Epist. 113. Lib. 1. ep. 6. Lib. 1. itiner.

Fecisti patriam diuersis gentibus vnam
Profuit iniustis te dominante capi,
Dúmque offers victis proprij consortia iuris
Vrbem fecisti, quod priùs orbis erat.

Verùm hâc arte Imperator ius Latij & Ciuitatis prouincialibus quibusdam datum euacuauit, ita vt exinde inane & sine re, honoris nomen fuerit, & Prouinciales vtcumque Ciues Romani effecti, vectigalium & tributorum iugum subierint, quod indicat ipse Augustinus: *Numquid enim*, inquit, *illorum agri tributa non soluunt? numquid eis licet discere quod alijs non licet? numquid non multi Senatores sunt in alijs terris, qui Romam ne de facie quidem norunt?* Hanc ob causam nomen Ciuium Romanorum adeò vile & contemptum euasit, vt prouinciales seruitutis impatientiâ ad Gothos & Bagaudas migrarent. Saluianus: *Itaque passim vel ad Gothos, vel ad Bagaudas, vel ad alios vbique dominantes Barbaros migrant, & commigrasse non penitet; malunt enim sub specie captiuitatis viuere liberi, quàm sub specie libertatis esse captiui. Itaque nomen Ci-* Loco supra laudat. Lib. 5. de gubernat.

uium Romanorum, aliquando non solùm magno æstimatum, sed magno emptum, nunc vltrò repudiatur ac fugitur, nec vile tantùm, sed etiam abominabile penè habetur.

Cap. IV.

Prouinciarum aliæ Proconsulares, aliæ Præsidiales. Aquitania Prouincia Præsidialis. Decuriones, & Consules municipales. Maiores ciuitatum.



PROVINCIARVM alterum σημεῖον fuit, vt Romano magistratui parerent. Augustus prouincias orbis Romani ita diuisit, vt aliæ Proconsulares essent, aliæ Præsidiales: pacatiores Prouincias, quæ facilè sinè armis in obsequio contineri poterant Senatui permisit, in quas is mittebat Proconsules: Validiores & ferociores prouincias, quæ sinè militari præsidio regi non poterant sibi seruauit, in quas ipse mittebat legatum, id est Præsidem, hâc quidem specie, vt leuiora Imperij onera senatus subiret, sed reuerâ vt arma solus in potestate haberet, vt sentiunt Strabo, & Dio. Præsidiales in Gallijs fuere Narbonensis primùm, sed posteà Augustus eam Senatui reddidit, & Aquitania, cum Celtica: καὶ γαλάται πάντες, οἵ τε ναρβωνήσιοι, καὶ οἱ λουγδουνήσιοι, Ακουιτανοί τε, καὶ Κελτικοί. Auctore Dione. Præsides Aquitaniæ fuere, quorum memoria ad nos peruenerit, Vibius Auitus Nerone imperante. Plinius, de Zenodoro statuario: *Postquàm satis ibi artem approbauerat, Romam accitus est à Nerone.* & mox: *Statuam Aruernorum cùm faceret, Prouinciæ Vibio Auito*

Strabo li. 17 in fine.
Dio. lib. 53.
Lib. 53.
Lib. 34. c. 7.

Præſidente. Eodem principatu Galba Aquitaniæ Præſes fuit. Tranquillus: *Prouinciæ Aquitaniæ anno fere præfuit, mox conſulatum per ſex menſes ordinarium geſſit.* Veſpaſiano Cæſare, Agricola. Tacitus: *Reuertentem ab legatione legionis Diuus Veſpaſianus inter Patricios aſciuit, ac deinde Prouinciæ Aquitaniæ præpoſuit.* Sub Adriano, Saluius Iulianus Saluio legato Aquitaniæ reſcripſit Adrianus. Legatum vocat Adrianus, nam Præſides ſunt legati Cæſaris, vt patet ex infinitis iuris locis, & ita legatum Aquitaniæ accipere oportet apud Tranquillum: *Legato Aquitaniæ auxilia implorãte, ſuperuenerunt Vindicis litteræ.* Multis poſt ætatibus Aquitaniæ præſidatum geſſit Tetricus, & Burdegalæ purpurã ſuſcepit: Autores ſunt Aurelius Victor & Eutropius. Apud Gruterum legitur & inſcriptio poſita L. Iulio Iuliano Pr. Prouinciæ Aquitaniæ. Aquitaniã diuiſã in tres Prouincias omnes Præſidiales permanſere, vt patet ex Notitia Imperij. Valentiniani temporibus Præſidem Aquitaniæ fuiſſe Saturninum inuenio in inſcriptione Gruteri? *Saturnino Secundo V. C. Præſidi Prouinciæ Aquitanicæ.* Habuit & Aquitania procuratorem fiſci. Inſcriptio Gruteri. *C. Iunio Proc. Prouinciarum Lugdunenſis & Aquitanicæ.* Præter legatum Cæſaris ſiue Præſidem, municipia, & oppida Aquitaniæ ſuos habuerunt magiſtratus, quos vocarunt Decuriones vel Curiales, & eorum collegium, Curiam, ſiue ſenatum municipalem, auitæ libertatis reliquias: de Curia Vaſatenſi & Burdegalenſi, Auſonius in Epicedio in patrem, quem talia fantem inducit.

In Galba cap. 6. In Agricola In l. milites ff de cuſtod. reorum. l. legatus ff. de offic. præſid l. 4. ff. de offic. adſeſſ. l hos accuſare ff. de accuſat. In Galba, cap. 9. pag. 421. inſcript. 7. In Aurelia-no. pag. 455. inſcr. 8. pag. 426. inſcr. 5.

Vicinas vrbes colui, patriáque, domóque
Vaſates patria, ſed lare Burdigalam.
Curia me duplex, & vterque Senatus habebat, Idyll. 30.

Muneris exortem, nomine participem.

Clariores etiam vrbes Aquitaniæ & Galliæ suos Consules habuere, Romæ vrbis æmulæ: de Burdegala testis Ausonius,

In Burdiga. *Diligo Burdigalam, Romam colo, ciuis in illa*
Consul in ambabus.

Iuratos vocitant Burdegalenses. Habet hodiéque Tolosa suos Consules, qui Capitolini vocantur, veteribus tabulis Capitulares, vel Domini de Capitulo, quod nomen barbarum non est, sed merè Romanum. Capitulanos dixit Symmachus, pro exactoribus præbitionis tyronum, Capitularios horreariorum, & tabernariorum Cassiodorus, pro curatoribus horreorum publicorum, & tabernarum. Denique omnes fere ciuitates Galliæ suis reguntur Scabinis, seu Consulibus, quorum plerique iurisdictione temporali potiuntur, vt notum etiam ipsis Pontificibus. Nonnullæ etiam Ciuitates Aquitaniæ, & Galliæ ius eligendi quendam magistratum, qui Maior vocatur, *le Maire*, priscæ libertatis specimen incolume tuentur. Capitulare Caroli M. *Vt Presbyteri, neque iudices, neque Maiores fiant.* Hoc iure lætantur Bituriges, Burdegalenses, Pictauienses, hoc iure superbierunt etiam Rupellani ad quos pertinet inscriptio decretalis epistolæ Honorij III. *Maiori, & Burgen. de Rupella sed eo per scelus excidere.*

Lib. 9. ep. 20
Lib. 10. Var. ep. 28.
Cap. ex parte. ex. de alien. iud. mut. caus.
c. 1. de imm. Ecclesi. in 6.
Lib. 5. c. 107.
c. ex parte. ex. de Consuetud.

CAP. V.

Cap. V.

Prouincijs legem suam dedere Romani. Academiæ veteres iuris Romani, Roma in Occidente, Berytus in Oriente.

IVre gentium victoriæ lex fuit, vt victi in victorum mores, legésque concederent, vt hoc fœdere seipsos dediscerent, & eiusdem disciplinæ vinculo continerentur. Ita Crotoniatæ Brutiorum detrectãtes imperium, morituros se affirmabant, citiùs, inquit Liuius, quàm immixti Bruttijs in alienos mores, ritus, legésque, & mox linguam verterentur. Hoc consilio victores gentium Romani, victis ac in prouinciam redactis non solùm vectigalia, sed etiam iura, legésque suas, & magistratus imposuerunt. Augustinus: *An verò aliquid nocuerunt Romani gentibus, quibus subiugatis imposuerunt leges suas, nisi quia id factum est ingenti strage bellorum, quod si concorditer fieret id ipsum fieret meliore successu, sed nulla esset gloria triumphantium, neque enim & Romani non viuebant sub legibus suis, quas ceteris imponebant.* & Prudentius,

Lib. 24.

Lib. 5. de Ciuit. c. 17.

Lib. 2. cont. Symmach.

Hanc frenaturus rabiem Deus vndique gentes
Inclinare caput docuit sub legibus ijsdem,
Romanósque omnes fieri quos Rhenus & Ister,
Quos Tagus aurifluus, quos magnus inundat Hiberus.
Corniger Hesperidum quos interlabitur, & quos
Ganges alit, tepidíque lauant septem ostia Nili.
Ius fecit commune pares, & nomine eodem
Nexuit, & domitos fraterna in vincla redegit
Viuitur omnigenis in partibus, haud secus ac si
Ciues congenitos concludat mœnibus vnis
Vrbs patria, atque omnes lare concilientur auito.

Distantes regione plagæ, diuisáque Ponto
Littora conueniunt, nunc per vadimonia ad vnum
Et commune forum.

De 6. Cos Honorij. & Claudianus,

---- *Mirataque leges*
Romanum stupuit Mæotica terra tribunal.

Hinc & ius Romanum latè cum imperio propagatum, per vniuersi imperij fines, adeò vt Prouincialibus familiare esset eius studium colere, quasi in seruitutis solatium. Gregorius Thaumaturgus E. Neocæsariensis magnum id viaticum esse prædicat: μέγιστον ἐφόδιον τὴν μάθησιν τῶν νόμων. & Gregorius Nazianzenus Romanorũ legem nemini ignorare fas esse ait: ῥωμαίων μὲν νόμων μηδενὶ ἀγνοεῖν ἐξεῖναι. Hac de causa orbis Romani habitatores humaniores hominum censuit Libanius, qui Romanis legibus viuerent, tamquam imperij, & legum cultu mansuefactos: καλῶ γὰρ ἥμερον γένος ἀνθρώπων τοὺς ἐν τοῖς ἡμετέροις ζῶντας νόμοις. *Humaniores homines voco eos, qui sub nostris legibus viuunt.*

In Panegyr. ad Origen. — Orat. 21. — In Panegyr. Iulian. cos.

Hoc studium primam in Oriente excitauit legum scholam apud Berytum. Gregorius Neocæsariensis, qui legibus Romanis, operam se ibi dedisse de se testis est, ἡ τῶν Βηρυτίων πόλις, inquit, ῥωμαικωτέρα πως καὶ τῶν νόμων τούτων εἶναι πιστευθεῖσα παιδευτήριον: *Berytus iuris Italici harum legum schola.* Agathias de Beryti excidio ob terræ motum, interitúque Ciuium, & legum studiosorum: οἱ δὴ παρῆσαν τοὺς ῥωμαίων ἀναλεξόμενοι νόμους, τοῦτο γὰρ πάτριον τῇ πόλει, καὶ ὥσπερ γέρας τι μέγιστον ποιεῖσθε αὐτῇ ἀνεῖσθαι διδασκαλεῖα: *Qui ibi erant legum Romanarum addiscendarum causâ, erat enim hoc patrium vrbi, & veluti maximum præmium, quòd ibi scholæ dicatæ essent.*

In eodem Panegyr. Socrates lib. 4. c. 22. — Lib. 2. hist. v. Ennap. in Iulian. & Liban. orat. 26. tom. 2.

Vnde & Iustinianus Berytum matrem & nutricem legum appellat. In Occidente etiã Prouinciales inprimis Galli nostri Romam sedem Imperij,& legum parentem auidissimè Iuris Ciuilis studio frequentarunt. De Germano Altissiodorensi testis est Erricus Altissiodorensis, Lib. 1. de vit. S. Germani.

Incitus his animis, talique cupidine raptus
Quà caput est orbis terrarum maxima Roma
Tendit iter, Latij nodos addiscere iuris
Et didicit, palmamque breui tulit ille laboris.

De Palladio, Rutilius Numatianus. Lib. 1. itine.

Facundus iuuenis Gallorum nuper ab aruis
Missus Romani discere iura fori.

Eutropium hortatur Sidonius, vt pergat Romam, Lib. 1. ep. 6. domicilium legum, gymnasium litterarum, Iuris discendi gratiâ. Romam expetierunt & Græci, & Afri. Hinc formosus puer Arcas Romæ in carcerem trusus à Domitiano, quòd eius libidini non indulsisset: Me quoque, inquit ille apud Philostratum, pater per- Lib. 7. de vit. Apollo. cap. 17. didit, nam Messanæ, quæ est in Arcadia natum, litteras Græcas non docuit, sed huc misit, μαπσομένῳ ἤδη νόμικα, *vt legitima iura perdiscerem.* E Græcis etiam, quorum genius gaudebat sua tantùm mirari, legem Romanam vtpotè rectam morum regulam, nouit & laudauit Dio Chrysostomus, cùm apud Corinthios orans Orat. 37. Romæ se honeste vixisse persuasum voluit, hoc argumento, quòd ibi apud Imperatorem (is erat Traianus) & in medio legum παρ' αὐτὸν τὸν ἄρχοντα καὶ τοὺς νόμους versatus esset, & Alipium Romam contendisse, vt iuris ciuilis latices de fonte hauriret, testis Augustinus: Lib. 6. Confess. cap. 8. *Non sanè relinquens incantatam sibi à parentibus terrenam viam, Romam processerat, vt ius disceret.*

CAP. VI.

Origo & processus legis Romanæ in Gallia & Aquitania sub Romanis.



ALLIA Romanorum armis edomita, & in prouinciam redacta, suis legibus multata, Romanas accepit. Has vices primùm subijt Narbonensis, quò pertinet Critognati Aruerni oratio apud Cæsarem: *Respicite finitimam Galliam, quæ in prouinciam redacta, iure & legibus commutatis, securibus subiecta, perpetuâ premitur seruitute.* Eadem expeditione victi Aruerni & Ruteni, quibus tamen populus R. ignouit, nec legem suam inflixit, testis Cæsar ipse in colloquio apud Ariouistum Regem Germanorum: *Bello superatos esse Aruernos & Rutenos à Q. Fabio Maximo, quibus populus R. ignouisset, neque in prouinciam redegisset, neque stipendium imposuisset.* & mox: *Si iudicium senatus seruari oporteret, liberam debere esse Galliam, quam bello victã suis legibus vti voluisset.* Tandem vniuersa Gallia Cæsaris armis prostrata, & in prouinciam redacta, in Romanam legem iurauit, cuius rei argumenta hæc profero: Primum occurrit ex libris nostris, in quibus Legatis, id est Præsidibus prouinciarum Galliæ, in dubijs de iure consulentibus Imperatores rescripsisse inuenio; vt Adrianum Saluio, (is est Saluius Iulianus Autor edicti perpetui, vt supra ostendimus) legato Aquitaniæ, necnon & Vitrasio Pollioni legato Lugdunensi, & Scæuolam de fideicommisso à libertis testatoris Reip. Arelatensium relicto ex Gallia consultum respondisse, & Gor- 1

Lib. 7. de Bell. Gall. cap. 14.


Lib. 1. de Bell. Gall. cap. 10.

l. milites ff. de Custod. reor.

l. spadonẽ §. Imperator. ff. de excus. tut.

dianum Frontoni etiam respondisse manumissum ab ea quæ originem ducebat ex prouincia Aquitania sequi originem manumittentis. l. 1. C. de municip. & originar.
2 Secundum repete ex eo, quòd Galli adolescentes Romam studiosè properabant iuris ciuilis ediscendi gratiâ, vt probatum est ex Rutilio, Sidonio, & Errico Altissiodorensi.
3 Tertium præstat solenne illud vetus, vt nouæ constitutiones principum promulgarentur apud Galliarum tribunalia, & actis forensibus insinuarentur. Sidonius ad Nammatium: Lib. 8. ep. 6. *Per ipsum ferè tempus, vt decemuiraliter loquar, lex de præscriptione tricennij fuerat proquiritata; cuius peremptorijs abolita rubricis, vis omnis in sextum tracta quinquennium terminabatur. Hanc intrà Gallias antè nescitam primus, quem loquimur, orator indidit prosecutionibus, edidit tribunalibus, prodidit partibus, addidit titulis frequente conuentu, raro sedente, paucis sententijs, multis laudibus.* Quartum excipe
4 ex eo, quòd scripsit Zozimus, inclinante imperio Britanniam, & nonnullas Galliarum prouincias suis viribus sinè Romanorum ope, à Germanorum irruptione restitutas, ad suam legem postliminio redijsse, nec ampliùs legem Romanam audijsse: l. 6. p. 827. *καὶ καθ' ἑαυτὸν βιοτεύειν, ὀυκ ἔτι τοῖς τούτων ἐπακούοντα νόμοις.* Quæ omnia satis supérque euincunt Galliam, ex quo prouincia facta est, legibus Romanis paruisse; aliquot sanè federatis, aut liberis Ciuitatibus suis legibus viuere permissum. Heduorum leges intactas reliquit Cæsar, vt ipse testatur, Lib. 1. de Bell. Gall. cap. 6. *Et quòd legibus Heduorum ijs qui summum magistratum obtinerent, excedere ex finibus non liceret, ne quid de iure, aut legibus eorum diminuisse videretur, ipse in Heduos proficisci statuit, senatúmque omnem, & quos inter controuersia esset, etiam ad se euocauit.* Atrebatibus libertate donatis iura,

Lib. 7. de Bell. Gall. cap. 14. legésque suas reddidit Cæsar, vt ex ipso supra docuimus. Suam Remp. & leges tuiti sunt Massilienses, quarum Lib. 3. vestigia extant apud Strabonem, Valerium Maximum, & alios. Primum Gallia vidit Romanum Iure- Lib. 7. ep. 10 consultum Trebatium, comitem Cæsaris bello Gallico, cui per iocum Tullius: *Legi tuas litteras, ex quibus intellexi te Cæsari nostro valde Iureconsultum videri, & quòd gaudeas te in ista loca venisse, vbi aliquid sapere viderere; quòd si in Britanniam quoque profectus esses, profectò nemo in illa tanta insula peritior te fuisset.* & eidem Samarobrinæ, id est Lib. 7. ep. 16 oppidum Ambianorum, in hybernis agenti; *Constat enim inter omnes neminem te vno Samarobrinæ iurisperitiorem esse.*



Cap. VII.

Lex Romana defensa aduersus Gothos.



RVENTE imperio, Gothis incubantibus Aquitaniæ & Narbonensi prouinciæ, ius Romanum, & alia imperij decora euertere nitentibus, Aquitani & Prouinciales spretis Gothicis legibus, Theodosianas, id est Romanas fortiter tuiti sunt: graues hanc ob rem querelæ excitatæ in Seronatum præfectum Galliarum, qui Gothos fo- Lib. 2. ep. 1. uebat in necem legis Romanæ. Sidonius ad Ecdicium: *Exultans Gothis, insultansque Romanis, illudens præfectis, colludénsque numerarijs, leges Theodosianas calcans, Theodoricianásque proponens.* Vnde & Prouinciales abhinc Ro- Lib. 7. de Gubernat. mani dici gaudebant. Saluianus: *Iam apud Gothos impudici non sunt nisi Romani.* Tandem Alaricus vltimus Rex

Gothorum in Gallia,ſentiens Aquitanos & Prouinciales legum Romanarum genio nimiùm deuotos,in Gothicas vix vmquam conſenſuros,Codicis Theodoſiani breuiarium ,ex quo inter eos ius diceretur, lectiſſimorum prudentum operâ compoſitum, non Aniani Cancellarij ſui, vt malè exiſtimarunt Tillius & Cuiacius, per Anianum ipſum edi curauit; & ne maieſtatem minuere videretur, alienæ legis æmula poteſtate, iudicio adumbrato ſuam fecit, vt conſtat ex Alarici Commonitorio, ad Timotheum Comitem, præfixo Codici Theodoſiano : *Anianus vir Spectabilis, ex præcepto D. N. glorioſiſſimi Alarici Regis, hunc Codicem de Theod. legibus atque ſententijs iuris vel diuerſis libris electum Aduris anno* XXII. *eo regnante edidit, atque ſubſcripſit.* Hæc olim obſeruabam, cùm legem Romanam Aquitaniæ noſtræ primitias edidi, à qua nuper nonnulli legem Romanam vſque ad Eurici tempora, apud Gothos ſecuram & intemeratam ſtetiſſe voluerunt, eo quòd non ante Gothis lex ſcripta fuerit, teſte Iſidoro, & quòd Theodoricum Iuniorem legis Romanæ ſtudioſum depinxerit Sidonius, cùm ipſum his Auitum affantem inducit

--- -- *Mihi Romula dudum* Carm. 7.

Per te iura placent.

Sed quis nō aduertit figuratè Poëtico more id dictum, & vt commendaretur Auiti gratia apud Gothum, quod exquiſitiùs fieri non potuit, quàm barbari principis profeſſione ſe amici gratiâ patrios mores dediſcere, & hoſtilem legem amplecti; ſi enim verum amamus, vix ſuadebimur principem Romani nominis oſorem acerrimum, in legem Romanam æquiorem fuiſſe. Conſilium de obliterando Romano nomine depoſuit,

Ataülphus, tum Placidiæ vxoris suasu, cum negotij mole præpeditus; verumtamen fatetur ipse apud Orosium, Gothos legem Romanam non tulisse, etsi planè intelligeret Rempublicam sinè lege stare non posse: *Neque Gothos vllo modo parere legibus posse, propter effrænatam barbariem, neque Reipublicæ interdici leges oportere sinè quibus Respub. non est Respub.* Quo animo in legem Romanam fuerint eum secuti Reges satis significant rupta passim fœdera, & perpetua quæ cum Romanis gesta sunt bella de Galliarum imperio: nec mirum barbaris displicuisse legem Romanam, quæ barbariem abolet. Denique sub Gothis vix eluxit lex Romana, quò scitè allusit Claudianus, illo versu:

Lib. 7. c. 29.

Lib. 1. in Rufinum.

Merent captiuæ pellito iudice leges.

Seriùs & Alaricus legi Romanæ acquieuit, cùm intelligeret se prouincialium pertinaciam nequire vincere; nec beneficium videri debet, quod haud principis indulgentia, sed temporum ratio extorsit.

Cap. VIII.

Series legis Romanæ sub Regibus Francorum primæ stirpis. Aquitani & alij cis Ligerim cur Romani dicti.



CÆso Alarico in prælio Vocladensi, Aquitania cum parte Narbonensis prouinciæ peruenit in potestatem Clodouæi: verùm Septimania ad præsens victoris manus elapsa, in Vvisigothorum ditione remansit, & Arelatensis prouincia Theodorico Ostrogotho caducam occupanti cessit.

cessit, in hoc rerum nouarum lubrico lex Romana secura stetit: occurrit locuples testis Theodoricus ipse qui cùm expeditionem compararet in Galliam Gothicam aduersùs Francos, eam lege Romanâ viuere lætari se scripsit apud Cassiodorum: *Delectamur iure Romano viuere, quos armis cupimus vendicare, nec minor nobis cura est rerum mortalium, quàm potest esse bellorum; quid enim proficit Barbaros remouisse confusos, nisi viuatur ex legibus? quapropter cùm Deo propitio Gallias exercitus noster intrauerit si qua mancipia seruitium declinantia ad alios se, quàm quibus debebant competere, contulerunt, prioribus dominis iubemus sine aliqua dubietate restitui.* Nec vana fides Theodorici; Arelatensis enim prouinciæ compos factus, legem Romanam, & togatos mores Prouincialibus se restituisse videri voluit, etsi reuerâ instauratorem non desiderarent. *Libenter*, inquit ille, apud Cassiodorum, *parendum est Romanæ consuetudini, cui estis post longa tempora restituti, quia gratus ibi regressus est, vbi prouectum vestros constat habuisse maiores; atque ideò in antiquam libertatem, Deo præstante, reuocati, vestimini moribus togatis, exuite barbariem, abijcite mentium crudelitatem, quia sub æquitate nostri temporis non vos decet viuere moribus alienis.* Et sanè exstat apud Baronium Cæsarij Archiepiscopi Arelatensis testamentum breui pòst conditum, adhibitis formulis iuris Ciuilis, & clausulâ codicillari: *Et ideò* (hæc sunt verba) *iuxta hanc epistolam, quam manûs nostræ subscriptione roborauimus, cuique diem & consulem subtus adiecimus, Deo dispensante, hoc testamentum meum condidi, vel manu propriâ subscripsi, atque iure Prætorio, vel iure Ciuili, & ad vicem illorum codicillo firmaui.* Clodouæus quoque rerum summâ potitus in Aquitania, & parte Narbonensis prouinciæ, status

Ep.43.lib.3.

Ep.17.lib.3.

Tom. 6. A. C. 509.

mutationem inuidiosam ratus, perpetuúmve defectionis incentiuum, vel memor studij & affectus Prouincialium, quorum votis, & passis manibus euocatus: quorum non sinè beneficio Gothi vno prælio fore confecti, & oblatæ prouinciæ viribus, animísque, diuturnioris belli moli non impares, ipsis ius Romanum illibatum reliquit, ex quo deinceps Aquitani, ceteríque Prouinciales, cis Ligerim positi, Romani Francis quoque dicti, quòd lege Romanâ viuerent. Fredegarius: *Interim rebellantibus Vasconibus, in regione Aquitaniæ cum Chunoaldo Duce, filio Eudonis, quondam Carlomannus, atque Pipinus principes germani congregato exercitu, Ligeris alueum Aurelianis vrbe transeunt, Romanos proterunt, vsque Biturigas vrbem accedunt; suburbana ipsius igne comburunt.* Ante Fredegarium, Fortunatus, de Basilica S. Saturnini Tolosæ,

Salui. lib. 5. de prouid.

Cyprian. in vit. Cæsar. Arelat.

Grego. Tur. lib. 2. c. 36.

In Chronic.

Lib. 2. c. 8.

Launebodes enim post secula longa ducatum
Dum gerit, instruxit culmina sancta loci;
Quod nullus veniens Romanâ gente fabriuit
Hoc vir barbaricâ prole peregit opus.

Lib. 9. c. 6. Idem ad Chrodinum Ducem,

Gentibus obstrictus, Romanis charus haberis.

Lib. 7. c. 8. & alio loco,

Romanísque lyrâ, plaudat tibi Barbarus harpâ.

Conc. Turonense II. *Adijcimus etenim ne quis Britannum, aut Romanum in Armorico, sine Metropolitani, aut Comprouincialium voluntate, vel litteris; Episcopum ordinare præsumat.* Concil. Narbonense. *Vt omnis homo tam ingenuus, quàm seruus, Gothus, Romanus, Syrus, Græcus, vel Iudæus die Dominico nullam operam faciant.* & alio canone. *In cuiuscumque domo Gothi, Romani, &c.* Vnde & regio vniuersa cis Ligerim Romania, vel Romana terra, siue

Can. 9.

Can. 4.

Gallia Romana; Fortunatus de Chariberto Rege,

Hinc cui barbaries, illinc Romania plaudit.

Et vita Odiliæ Virginis: *Temporibus Childerici Imperatoris Romanæ, & Franciæ terræ.* Luitprandus Ticinensis de Guidone Comite Spoletano: *Quúmque Burgundionum regna transiens Franciam, quam Romanam dicunt, ingredi vellet.* & Regino: *Interim Ludouicus Rex Galliæ Romanæ, filius Caroli.* Et Rex Galliæ, Romanus Dominus Hugoni Comiti Claromontensi apud Sugerium. *Malo,* inquit, *Romane Domine, te terram totam meam habere &c.* Romanis hoc sensu, id est Aquitanis, ceterísque Cis-ligeritanis rata, & perpetua fuit lex Romana, etiam constitutione Clotharij R. edita ab H. Bignonio: *Inter Romanos negotia causarum Romanis legibus præcipimus terminari:* æquè Guntrano, Chilperico, & Sigeberto Regibus, vsum legis Romanæ apud Aquitanos commendauit, eiusdem studium quod florentissimum fuit in Aruernorum ciuitate, quæ est primæ Aquitaniæ. Gregorius Turonensis: *De Andarchij vero interitu locuturus, priùs genus ordiri placet, & patriam: Hic igitur vt adserunt, Felicis Senatoris seruus fuit, qui ad obsequium domini deputatus ad studia litterarum cum eo positus bene institutus emicuit; nam de operibus Virgilij, legis Theodosianæ libris, artéque calculi plenè eruditus est.* Andarchium Aruernum fuisse, & apud Aruernos eruditum insinuat, tum mentio Felicis ipsius domini Senatoris Aruerni, tum eius reditus in Aruernum, de quo paulò pòst loquitur Turonensis. Ijsdem Regibus vsum legis Romanæ in Aquitania illustrat Testamentum MS. S. Aredij Lemouicensis: *Quod testamentum nostrum si casu iure Ciuili, aut Prætorio, aut cuiuslibet legis Nouellæ conscriptione, vel*

Lib. 1. c. 6.

Lib. 1. Chr. A. C. 939.

In vit. Lud. Crassi.

In Not. ad Marculf.

Lib. 4. hist. cap. 41.

Aredij testamenti meminit Greg. Tur. hi.l.10.c.20.

Huius exemplum acceptum debeo R. P. Thomæ Aquin. Carmelitæ Discalceato, viro erudit. & pijss.

veteris valere non potuerit, ad vicem codicillorum & omnium scripturarum, quæ firmitate consistunt valere iubemus. Nec præterire possum, eodem seculo, Lugduni in foro recitatum testamētum Nicetij Lugdunensis E. post diem lege Romanâ præscriptum, is erat tertius, vel quintus à morte testatoris. Gregorius Turonensis, de vita Patrum apud Surium : *Post dies autem quos lex Romana*

2. Apr. to. 2.

sanciuit, vt defuncti cuiuspiam voluntas publicè legatur, huius Antistitis testamentum in foro delatum, turbis circumstantibus à iudice reseratum, recitatúmque est. Eâdem ætate occurrit & testamentum Mummoli Francici Comitis subscriptionibus & sigillis testium, quæ sunt iuris Romani solennia munitum. Gregorius Turonensis : *Igitur dum se ita fessum, & sine spe vitæ decernit, testamentum suum petit scribi, munitúmque subscriptionibus, ac sigillis inquiri præcepit &c.* Sub Dagoberto Sadregisili Ducis Aquitanorum filij, Francorum iudicio hereditate paternâ indigni pronunciati iuxta legem Romanam, ob inultam necem parentis. Aimoinus Monachus : *Anno* XXIII. *regnante Dagoberto, Sadregisilus Dux Aquitanorum à quibusdam hominibus gladiatorio aduersùs eum animo insurgentibus trucidatur, cuius filij cùm vltores potuissent fieri effusi sanguinis paterni, maluerunt viuere desides, ac otiosi, quàm perurgendo armis homicidas, cruorem exigere interfecti: idcircò in publico Francorum conuentu, à quibusdam proceribus secundum leges Romanas, quæ sanciunt à paterna eos decidere hereditate debere, qui noluerunt interfecti necem vindicare, omnibus paternis exspoliati sunt bonis, atque inanes relicti.* Eâdem tempestate floruit S. Deside[illegible] Cadurcensis E. quem patriâ Albigensem ferunt, qui legum Romanarum studijs enutritus, vt legitur in ipsius vita MS. *Ac deinde legum Roma-*

Lib. 1. de mirac. Mart. cap. 31.

Lib. 4. c. 18.

Cap. 1.

narum indagationi studuit. Clodouei II. Dagoberti filij sequens ætas legis Romanæ obseruantiam apud nostros satis prodit ex Marculfi solenni formula Ducatus, Patriciatus, vel Comitatus, id est formulâ principalium Codicillorum, quibus mandabatur rectoribus Prouinciarum pro earum discrimine vt suos Prouinciales Francos, Romanos, Burgundiones recto tramite secundùm legem & consuetudinem eorum regerent. Denique nónne etiam sequiori æuo Childerici II. lex Romana trita in iudicijs & scholis Aruernicis? Vita S. Praeiecti Aruernensis E. *Ipse cœpit renuere, & rationem veram reddere iuxta statuta canonum, vel lege quæ dicitur Romana, quia magnus Sabbati dies erat, quo vigiliæ sanctæ Paschæ celebrari solent, se nullomodo de hac causa respondere posse.* Et vita S. Boniti itidem Aruernensis E. apud Surium. Tom. 1. Ianuar. 15. *Posteà vbi natus puer adoleuit, in Aruernorum vrbe traditur litteris imbuendus, subinde etiam iuri ciuili dat operam.*

Cap. IX.

Progressus legis Romanæ sub Regibus secundæ stirpis. Interpretatio loci Eginarti de duabus legibus Francorum defenditur.



EXEMPLO decessorum, Aquitanis, ceterisque Prouincialibus Cisligeritanis legem Romanam vltrò sanciuit Carolus M. & in vsum ipsorum Codicem Theodosianum restitui, emendaríque curauit, vt docent postrema verba, quæ adiecta sunt Commonitorio Alarici, præfixo Codici Theodosiano: *Et iterum anno XX. regnante Carolo Rege*

Franc. & Longobard. & Patritio Romano. Adeóque legem Romanam coluit diuinus princeps, vt multa ex Codice Theodosiano in Capitularia transfuderit: ex quo satis intelligere licet, quomodo accipiendæ sint diuersæ leges, quas memorat Eginartus: *Nam Franci duas habent leges plurimis in locis valde diuersas*, nimirum vt Romana fuerit vna è duabus, altera non alia quàm Salica, siue Francica. Legem Romanam intelligit Theodulphus per almam legem, quam in Gallia Narbonensi vsu forensi tritam insinuat; cum gestæ in eadem prouincia legationis à Carolo demandatæ meminit,

Lib. 1. carm.

Vndique conueniunt populi, clerique cateruæ
Et Synodus clerum, lex regit alma forum.

Capit. add. 4. cap. 106. Legem Romanam omnium humanarum matrē legum agnouit Ludouicus P. sub eo Septimanos legē auitam, id est Romanam aduersùs Bernardum Ducem, eius oppugnatorem asseruisse scribit Anonymus: *In eodem loco & tempore penè omnes Septimaniæ nobiles affuerunt, conquerentes aduersùs Bernardum Ducem illarum partium, eo quòd illius satellites tam rebus Ecclesiasticis, quàm priuatis, absque vllo respectu diuino, humanóque, pro libito abuterentur; vnde petierunt vt Dominus Imperator sub suæ protectionis munimine eos susciperet, & posthac tales Missos in eandem terram dirigeret, qui & potestate & prudentiâ de ablatis æquo libramine penderent, & auitam eis legem conseruarent.* A Ludouico, Carolus Caluus Aquitanis, & consortibus, exemplo decessorum legis Romanæ beneficium confirmauit.

In vit. Lud. P.

Tit. 31. c. 10. Capitulare Caroli Calui: *In illis autem regionibus, in quibus secundùm legem Romanam iudicantur iudicia, iuxta ipsam legem committentes, talia iudicentur, quia super illam legem, vel contra ipsam legem, nec antecessores nostri quodcumque*

capitulum statuerunt, nec aliquid constituimus. His adde alia eiusdem capitula, quibus legem vnicuique prouinciæ competentem exemplo prædecessorum inprimis patris & aui ratam esse iubet. Tum etiam legem ROMANAM in Aquitania legis nomine per antonomasiam vulgò celebratam deprehendo. Fragmentum historiæ Aquitanicæ: *Vulgrinus autem* (is erat Comes Engolismensis) *multis prælijs laborauerat frequenter cum Normannis, hac de causa ædificauerat castrum Martiliacum & Maslatium, vt essent munimen contra paganos, miserátque in Martiliacum Robertum legis doctum, & cum eo amicum suum fidelissimum nomine Ranulfum.* Inclinante Regum secundæ stirpis Imperio, hoc etiam ferreo seculo superstes lex ROMANA audita est in Aquitania; tunc plures quàm centum seruos non manumisit testamento Gerardus Comes Aureliacensis Aquitanus, ne legis Fusiæ Caniniæ modum transire videretur; quam legem mundialem vocat Odo Cluniacensis: *Centum ex mancipijs tantùm libertate tunc donauit: mouebatur autem à quibusdam suis, quatenus de familia quæ sibimet affatim superabundabat maiorem multitudinem iugo seruitutis absolueret: quibus, ait, Iustum, inquit, est, vt lex mundialis in hoc obseruetur, & ideò numerum in eadem lege præstitutum prætergredi non debere.* Id temporis etiam in Aquitania fuere primi ordinis viri legis ROMANÆ studiosi. Ioannes Italus, de Abbone Patre Odonis Cluniacensis Aquitano: *Veterum namque historias, & Iustiniani Nouellam memoriter tenebat.* [Nuper prodijt qui in nostram legem ROMANAM malignè cauillatus, etsi per eam profecerit, locum Eginarti de duabus legibus Francorum me non assecutum scriptitauit, néue legi ROMANÆ locus esset, duas leges Salicas finxit; vnam

Tit. 1. c. 3.
Tit. 7. c. 1.
Syn. Meld. c. 3.

Lib. 3. vit. S. Gerald.

In vit. S. Odon. Abb. Clun.

Transrhenanam, aliam Cisrhenananam, ad quas referri voluit duas leges Francorum, de quibus meminit Eginartus. Miror audaciam hominis, qui duplicem Salicam posuit sine auctore: legem Salicam à Francis trans Rhenum, quæ prima eorum sedes fuit, conditam nemo est qui neget, partóque à Francis Galliarum imperio, à Christianâ religione susceptâ Clodoueum legem Salicam emendasse, & latinitate donasse, ac eum secutos Reges aliquot decretis auxisse liquet, ex præfatione & corollario ipsius legis Salicæ: sed hactenus inauditum alteram legem Salicam à Clodoueo editam, quâ vterentur Francogalli, vnam legem Salicam agnoscunt Childebertus & Clotharius in decreto, quod ad calcem legis Salicæ positum est, vbi laudant legem Salicam: *Et persecutor causæ de suis consimilibus tres, & de electis alijs tres dabit, qui sacramenta firmarent per placita, quod lex Salica habet fuisse completum.* Et quidem lege Salicâ vsi Franci Orientales, id est Germani ad posteriora vsque tempora. Autor est Otho Frisingensis: *Leges quoque*

Lib. 4. Chr. cap. 32. *Vvisigastaldo & Salagasto auctoribus exhinc habere cœpere ab hoc Salagasto legem, quæ ex nomine eius Salica vsque hodie vocatur inuentam dicunt, hác nobilissimi Francorum qui Salici dicuntur adhuc vtuntur.* Sed apud Francos Occidentales, id est Francogallos, lex Salica in viridi obseruantia esse desijt iam à Caroli M. ætate, eiusdémque Capitula inualuere. Hincmarus Rhemensis in epistola ad Episcopos Franciæ, de Comitibus & Vicarijs:

Ep. 4. c. 15. edit. Mog. *Quando etenim sperant aliquid lucrari ad legem se conuertunt, quando verò per legem non æstimant acquirere, ad Capitula confugiunt, sicque interdum fit, vt nec Capitula pleniter conseruentur, sed pro nihilo habeantur, nec lex.* Nec Francorum

nomen

ſtrictè accipiendum apud Eginartum pro Francis ſpecialiter ſumptis, quà diſtinguuntur à Romanis, id eſt prouincialibus ciſligeritanis; ſed pro vniuerſis etiam Gallis, qui à Caroli M. æuo Francorum nomine gaudebant. Sangallenſis: *Clericos doctiſſimos cantilenæ ad eum in Franciam miſit, Franciam verò interdum cùm nomino omnes Ciſalpinas prouincias ſignifico.* & mox: *In illo tempore propter excellentiam glorioſiſſimi Caroli, Galli, & Aquitani, Edui, & Hiſpani, Alamanni & Baioarij, non parum inſignitos ſe gloriabantur, ſi vel nomine Francorum ſeruorum cenſeri mererentur.* Et ne dubites Eginartum ſic accepiſſe Francos, attende quæ ſit mens Autoris, ea nempe, Carolum M. Capitula legibus addidiſſe, vt duas leges Francorum valde diuerſas hoc medio conciliaret, nec hac in re ſolis Francis Tranſligeritanis conſultum, ſed vniuerſo populo, cuius nomine continentur etiam Aquitani, & alij Ciſligeritani in regno Francorum poſiti, vt clarius liquebit ex loco integro Eginarti, quem ſubijcere viſum eſt. *Poſt ſuſceptum imperiale nomen, cùm aduerteret multa legibus populi ſui deeſſe: nam Franci duas habent leges plurimis in locis valde diuerſas, cogitauit quæ deerant addere, & diſcrepantia vnite, praua quoque, ac perperam prolata corrigere, ſed in ijs nihil aliud ab eo factum eſt, quàm quòd pauca Capitula, & ea imperfecta legibus addidit.*

Lib. 1. de vit. Caroli M. cap. 9.

CAP. X.

Lex Romana sub Regibus tertiæ stirpis. Ius scriptum & consuetudinarium.

TRANSLATO demum regno ad Hugonem Capetium, Ius Romanum nostris tutum & incolume stetit, tempori consulente, nondum adultâ potestate: in hac enim regni conuersione, nullam status prouinciarum mutationem tentatam notissimum est: Imò verò Duces & Comites ex præfectis dominos effectos, cum ipso principe de dignitate ferè certasse: quibus rebus sic stantibus, haud passuri fuerint Prouinciales legem Romanam tot seculis inuictam labefactari. Hac de causa ab Hugone Capetio ortum est discrimen Prouinciarum, quod hodiéque viget, vt aliæ vulgò appellarentur iuris scripti, aliæ consuetudinarij, quòd hæ regerentur iure moribus recepto; illæ iure ciuili Romanorum: cuius rei vestigium signat Honorius III. R. P. cùm vetat ne Parisijs, vel alijs vicinioribus locis ius ciuile quisquam docere, vel audire moliatur: *quia in Francia*, inquit, *& nonnullis Prouincijs laici Romanorum Imperatorum legibus non vtuntur.* Non abs re animaduertit Pontifex Franciam, (quæ hoc loco ea prouincia est quæ est inter Ligerim & Sequanam, à Carolo Martello Francia dicta, teste Lupoldo Bambergensi) & nonnullas prouincias ius Romanum nescire; quia non latebat eum alias esse prouincias Galliarum, quæ eo iure vterentur, nempe Aquitaniam & finitimas prouincias dudum insignes patriæ iuris scripti nomine, ab eodem Capetio, quo ius Romanũ,

In cap. super specula ext. de priuileg.

Lib. de rel. vet. princ. Germ.

tam ciuile, quam Pontificium cœpit appellari ius scriptum, vt secerneretur à iure consuetudinario, quod sine scripto, moribus constitutum, non ante tempora Caroli VI. in scriptis redactum est. Rigordus: *Mira & laudanda iustitia Principis, licèt de iure scripto posset propter publicum regni commodum in alieno fundo muros erigere & fossata, ipse tamen iuri præferens æquitatem damna sua quæ per hoc homines incurrebant de fisco proprio compensabat.* De gest. Philip. A. 1111.

Cœlestinus III. P. *Hâc igitur ratione inducti quatenus si quas causas seculares clerici Parisius commorantes habuerint contra aliquos, vel aliqui contra eos, app. remota, iure Canonico decidatis, nec permittatis iuri scripto consuetudinem præualere.* In cap. vlt. de for. cóp. in 2. Collec.

Matthæus Paris ex libello Maiorum Franciæ: *Quod regnum non per ius scriptum, nec per clericorum arrogantiam, sed per sudores bellicos fuerit adquisitum.* Ioinuilla scriptor Gallicus vitæ D. Ludouici: Bonum virum ait pij executoris testamentarij officio fungi debere, primùm luere noxas, tum si quid superfuerit erogare in pauperes: *Ainsi que le Droict escrit l'enseigne*, ipsa sunt verba Autoris. ad A. C. 27

Institutum verò legis Romanæ processum in Aquitania, & finitimis prouincijs magis, magísque produnt tabulæ sponsalitiæ Raimundi Comitis Tolosani cum Electa, quas dedit G. Catellus in annum Christi M. LXXXXV. quibus Comes, qui multas ditiones tenebat in Aquitania, vnde & Comes Tolosanus non vno loco dicitur Dux Aquitanorum, Comitatum Rutenensem prima in Aquitania situm, Viuariensem in Occitania, Diuiensem & Auenionensem in Prouincia, vice donationis propter nuptias offert, iuxta legem Romanam: *Et ob amorem tui, atque decorem filiorum nobis procreandorum, dono tibi in tuo sponsalitio, & donatione, ciuitatem Rutenis cum Comi-*

tatu & Episcopio, sicut lex mea est, & insuper dono in dotalitio Viuarium ciuitatem, cum Comitatu, & Episcoplo, & ciuitatem Dinnam cum ciuitate, & Episcopio, & ciuitatem Auenionem cum ciuitate & Episcopio sicut lex mea Romana est. Eiusdem argumenti sunt tabulæ Alphonsi Comitis Tolosani, & Pictauiensis anni M. CC. LXXX. quæ exstant in eius Chartulario Aginnensi M S. *Iudices nostros, & Senescalli nostri Aginnensis admonemus, qui in causarum examinationibus & decisionibus, vti solebant iure scripto, volentes &c.* Litem quæ suborta est inter executores testamentarios Alphonsi Comitis Pictauiēsis & Regem Angliæ de iure & ditione pagi Aginnensis solenni iuris scripti ordine disceptari placuit Arresto Parlamenti omnium Sanctorum, anni M. CC. LXXXXVII. *Dixit quòd super consuetudinibus super quibus inquirendum erat inter Regem Angliæ, & executores defuncti Comitis Pictauiensis inquireretur per testes singulares, cùm terra Agennensis regeretur iure scripto.* Constitutione D. Ludouici anni M. CC. LIIII. publicata bona Albigensium ob hæresim, saluo iure coniugum & creditorum; ne fraus fieret iuri scripto quo vtuntur Aquitania & Occitania, quas maximè huiusce hæresis labes fœdauit: *Creditoribus hæreticorum credita, vel vxoribus eorum dotem vel dotalitium repetentibus, licèt de consuetudine Gallica aliter obseruetur; quia tamen terra illa regitur iure scripto volumus eis satisfieri vsque ad valorem bonorum, si culpa eis propria non resistat.* Hac de causa in pactione vnionis Comitatus Tolosani, & totius Occitaniæ, regno Francorum, hoc inter cetera actum est, vt ius commune illibatum seruaretur, vt obseruarunt Benedictus, & Chopinus; sic olim dictum ius ciuile, quòd vniuerso orbi Romano commune esset, vt modò didici

Ep. 50.

In c. Rayn. in verb. & vxor. n. 499.

Lib. 1. de dō. tit. 6. nu. 19.

ex illo versu Prudentij.

Ius fecit commune pares, & nomine eodem.

Inde secuta constitutio Caroli VIII. vt Occitania, iure scripto vteretur, quemadmodum ante vti consueuerat. Porrò leges Romanæ in ijs prouincijs quæ iure scripto vtuntur, non ex subiectione, id est non quasi Gallia sit subdita Imperatori, sed longo vsu, ac consuetudine seruantur, vt ait Petrus Iacobus, & pro ratione tantùm apud nos valent, non pro auctoritate vt vulgò circumfertur. In sua pract. Rubr. 33. num. 21. Gloss. in can. de accusat. 3. q. 5.

Cap. XI.

An Septimania à Cindasuindo legem Gothicam admiserit, exulante lege Romana.



Alarici nece Clodoueus vniuersâ Aquitaniâ & Tolosâ Gothorum regiâ potitus est; at Narbonensis prouinciæ pars, quæ Septimania dicitur, cum Hispanijs in Gothorum ditione remansit, Francique obsessâ Carcassonâ occurrente Theodorico Ostrogotho obsidionem soluerunt, autore Procopio. Guntranus posteà Septimaniam tentauit, sed infelici euentu. Rursus Vambâ Rege Vvisigothorum, plerisque Episcopis Septimaniæ, tædio Gothici dominatus coniunctis, cum Paulo Comite affectatæ tyrannidis reo, Franci Septimaniam obtentu suppetiarum imperio suo adijcere moliti sunt: sed capto Paulo, & supplicio affecto, Episcopísque in ordinem redactis, consilium successu caruit. Tandem post cladem Hispaniarum, & vniuersæ ditionis Gothicæ, irru- Lib. 1. de Bell Goth. Greg. Tur. lib. 8. c. 30. Isidor. in Chron.

ptione Sarracenorum, Carolus Martellus Narbonam, Nemausum, Biterras, Agathen, & alia Septimaniæ oppida Sarracenis eripuit, solóque æquauit, cùm tueri vix posset. Medio tempore rebus Gothicis stantibus in Septimania, Cindasuindus Rex Vuisigothorum edicto legem Romanam vniuersis regni sui finibus exegit, eo colore quæsito, quòd interpretationem desideraret: *Alienæ gentis legibus*, inquit, *ad exercitium vtilitatis imbui, & permittimus & optamus; ad negotiorum verò discussionem, & resultamus & prohibemus: quamuis enim eloquijs polleant, tamen difficultatibus hærent, adeò cum sufficiat ad iustitiæ plenitudinem & præsentatio rationum, & competentium ordo verborum, quæ Codicis huius series agnoscitur continere, nolumus siue Romanis legibus, siue alienis institutionibus amodò ampliùs conuexari.* Post huiusmodi edictum satis credibile est legem Romanam obsoleuisse, & Gothicæ locum fuisse in Septimania; adeò enim omnia manu à Gothis gerebantur, vt status Ecclesiasticus prouinciæ conuelleretur, & Narbonensis Episcopus, aliique comprouinciales, quotquot Gothis parebant, cogerentur conuenire ad Concilia Toletana; vt apparet ex subscriptionibus Toletani III. IV. VI. & ex Canone IV. Toletani VII. Can. VI. Tolet. XII. & ex Roderico Toletano: quam ob rem violentum Regum imperium damnat Innocent. III. *Cùm constet Narbonen. per multa tempora venisse ad Concilia Toletana; nec tamen Toletana Metropolis aliquid iuris habuit in Ecclesia Narbonen. sed mandato Regum illa fiebant, quod magis violentum, quàm iustum præsumitur extitisse.* Subacto igitur summo Pontificum ordine, & barbaricum iugum, etiam in rebus sacris experiente, vix suaderi possit, mitiùs cum plebe

leg. Vuisig. lib. 2. c. 8.

Can. inter cetera 10. qu. 3. c. cum longe 63. dist. lib. 3. c. 13. lib. 2. ep. 120.

actum, & Romanæ legis iam edicto explosæ arbitrium ei relictum. Bello partâ Septimaniâ à Francis aduersùs Gothos & Sarracenos, an lex Romana in Septimania postliminio restituta sit, & an lex auita, quam Septimani asserebant temporibus Ludouici Pij aduersùs Bernardum Ducem, sit lex Gothica, an Romana dubitari possit: scrupulum mouent leges dictæ à Pipino deditioni ciuitatis Narbonæ à Sarracenis receptæ; Gothorum operâ, nempe vt eis sua lex seruaretur. Vetus Chronicon MS. *Anno Christi septingentesimo quinquagesimo nono, Franci Narbonam obsident, datóque sacramento Gothis, vt si ciuitatem traderent partibus Pipini, permitterent eos legem suam habere, quo facto Gothi Sarracenos occiderunt, & ciuitatem partibus Francorum reddiderunt.* Tum etiam magis impellor ex epist. Ioannis VIII. R. P. ad Episcopos & Comites Gothiæ, quæ exstat in Iuonis decreto, vbi Part.3.c.98. legitur librum Gothicæ legis à Sineboldo Episcopo Narbonensi editum in Concilio Trecensi coram summo Pontifice; & quia nihil in eo cautum erat de sacrilegijs, de ijs adiectum esse apicem ex legibus Romanis desumptum. Cur enim lex Gothica supplenda proferretur in Concilium, apud Pontificem ab Episcopo Narbonensi, si in ijs partibus non vigeret? Sed hunc scrupulum facile est âmouere si distinguas Gothos à Romanis, id est prouincialibus. Haud enim diffiteor legem Gothicam, quæ primùm scripta fuerat ab Eorico, Septimaniâ Gothis auulsâ à Francis, Gothorum reliquijs non ereptam, sed Romanis, id est prouincialibus legem Romanam edicto Cindasuindi fortè sopitam, à Francis postliminio reuocatam: argumento sunt Caroli M. Ludouici Pij, Caroli Calui perpetuæ leges, quæ legem

Romanam quibuſque prouincijs competentem tuentur: argumento ſit etiam in melius mutatus ſtatus Narbonenſis Metropolis, quæ iam ipſo Sineboldo, ſiue, Sigebodo Narbonenſi Antiſtite, Bituricenſem Aquitaniæ Primatem agnoſcebat, vt docet Nicolaus I. & certè magis eſt vt legem auitam, quam Septimani aſſeruerunt tempore Ludouici Pij interpreteris de lege Romana, quàm de Gothica: cùm notiſſimum ſit Romanam nondum audito Gothorum nomine, priorem fuiſſe legem prouincialium: imò & tunc legi Gothicæ in Gallia locum non fuiſſe niſi inter Gothos, qui ſupererant immixti Prouincialibus, deprehenditur ex ipſa vita Ludouici Pij: *In Palatio quoque Bera Comes Barcinonenſis cùm impeteretur à quodam vocato Samila, & infidelitatis argueretur, cum eodem ſecundùm legem propriam, vtpote quia vterque Gothus erat, equeſtri prælio congreſſus eſt, & victus eſt.* Concludamus igitur, in horum gratiam tantùm legem Gothicam, in Concilium Trecenſe adductam, nec hanc labem inuramus Prouincialibus, vt iam liberi, Gothicis legibus vltrò audientes fuerint, quas olim ſerui faſtidierant.

c. conqueſtus 9. q. 3.

Cap. XII.

Lex Romana Francis nota quo ad perſonas & res Eccleſiaſticas.



Ranci Galliarum vindices potiùs, quàm hoſtes, Chriſtianæ religionis vinculo in vnam cum Gallis gentem coëuntes, etſi legem Salicā ſibi haberent, Romanam ſtatim amplexi quo ad perſonas

ſonas

ſonas & res Eccleſiaſticas, probatur ex Concilio Aurelianenſi I. *Id conſtituimus obſeruandum, quod Eccleſiaſtici canones decreuerunt, & lex Romana conſtituit, vt ab Eccleſiæ atrijs, vel domo Epiſcopi reos abſtrahere omnino non liceat.* Can. 3 can. id conſtituimus 17. q. 4. Eiuſdem argumenti eſt Concilium Turonenſe II. *Statuamus obſeruandum vt nullus ſacratam Deo Virginem, quæ in honorem Chriſti veſtem mutauit aut rapere, aut competere, aut ſibi coniugem ſociare præſumat, quia etiam lex Romana conſtituit, vt quicumque ſacratam Deo Virginem, vel viduam fortaſſe rapuerit, ſi poſtea eis de coniunctione conuenerit, capitis ſententia feriantur.* Can. 21. Accedit Capitulare Caroli M. quo poſt varias editas leges de rebus Eccleſiaſticis, ſubijcit vt iuxta Romanam legem hæc corrigantur. Add. 4. c. 29. Legatur teſtamentum Remigij Epiſcopi Rhemenſis, apud Flodoardum nónne legis Romanæ formulis, & ipſamet clauſula codicillari inſignitum, vtcumque eſſet ſub lege Francica? *Ego Remigius Epiſcopus Ciuitatis Remorum ſacerdotij compos, teſtamentum meum condidi iure prætorio, atque id codicillorum vice valere præcepi, ſi ei iuris aliquid videbitur defuiſſe.* Hiſt. Rhem. lib. 1. c. 18. Quid ſi audiamus legis Salicæ Iudices, fatentur ipſi non liquere ſibi de rebus Eccleſiaſticis, vtpotè quæ Romanâ lege regerentur. Adreualdus Floriacenſis: *Sed cùm legem in eo placito finire nequirent, eo quòd Salicæ legis iudices, Eccleſiaſticas res ſub Romana conſtitutas lege diſcernere perfectè non poſſent, viſum eſt Miſſis Dominicis placitū Aurelianis mutare.* Lib. 1. de mirac. S. Bened. c. 25. Vnde iudicio Caroli de coniuratis in Leonem III. P. quæſtio decies habita iuxta legem Romanam, vt reis maieſtatis. Author vitæ Caroli M. & Aymoinus Monachus ijſdem fere verbis: *Poſt paucos dies iuſſit eos qui Papam anno ſuperiore dehoneſtauerant exhiberi & habita decies quæſtione ſecundùm legem Romanam, vt* Aimoin. lib. 4. cap. 18. & 90.

maiestatis rei capite damnati sunt. Imò Franci adeò in legem Romanam propensi fuere, vt eam non dedignati Lib. 1. hist. Iustin. sint in formulis contractuum & ritu nuptiarum. Agathias: *εἰσὶ γὰρ οἱ Φράγγοι οὐ νομάδες ὥσπερ ἀμέλει ἔνιοι τῶν βαρβάρων, ἀλλὰ δὲ πολιτείᾳ ὡς τὰ πολλὰ χρῶνται ῥωμαϊκῇ καὶ νόμοις τοῖς αὐτοῖς τὰ ἄλλα ὁμοίως ἀμφί τε τὰ συμβόλαια καὶ γάμους: Sunt enim Franci non agrestes, vt fere plerique barbarorum, sed & politiā vtplurimum vtuntur Romanâ, & legibus iisdem, eadem etiam contractuum & nuptiarum ratione.* Ne fides Græculo absit, lege Francorum sponsalia contrahebantur per osculum, & annulorum pignora, haud aliter atque apud Romanos. Supplementum Sigeberti de Philippi Cæsaris filia Ottoni Cap. 51. IV. desponsa: *Mox à Duce Leopoldo cognato suo per manus* Conc. Trib. can. 39. c. 1. de Sponsal. *Cardinalium lege Francorum Regi Ottoni desponsatur à quo amantissimè amplexata publici signo osculi, mutuationéque annulorum subarratur.* Etiam in condendis testamentis Franci solennibus Iuris Ciuilis vsi, vt sigillis & signis. Marculfus in formula testamenti mutui inter coniuges: Lib. 3. c. 17. *Ego ille & coniux mea illa, sana mente, integroque consilio metuentes casus humanæ fragilitatis testamentum nostrum condidimus, quod illi Notario scribēdum commisimus, vt quo modo dies legitimus post transitum nostrum aduenerit, recognitis sigillis, inciso lino, vt Romanæ legis decreuit auctoritas per illustres viros illos, quos in hac pagina testamenti nostri legatarios instituemus, gestis Reipublicæ municipalibus, titulisque eorum prosecutione ab ipsis muniatur.* Sic Mummoli Ducis Franci testamentum subscriptionibus & sigillis testium mu- Lib. 1. de mirac. c. 31. nitum scripsit Gregorius Turonensis: *Testamentum suum petit scribi, munitúmque subscriptionibus, ac sigillis inquiri præcepit, &c.*

Cap. XIII.

Legis Theodosianæ, & Iustinianeæ ætates.



VNC operæpretium est, vt vtriusque legis Theodosianæ & Iustinianeæ vices & successionem expendã. Primùm Codex Theodosianus, cuius autor Theodosius Iunior Lib. 5. Orig. autore Isidoro, in Oriente quidem editus iam ab anno Christi CCCCXXXI. in Gallia minimè ante Consulatum Asterij, qui incidit in annum CCCCXXXIX. quo lex de præscriptione tricennij, quæ est constitutio Theodosij Iunioris, transfusa in Nouellam Valentiniani intrà Gallias ante nescita, fuit proquiritata, vt Sidonij verbis vtar. Exinde lex Theodosiana celebratissima in Gallijs, & Codex ipse Theodosianus primùm Alarici autoritate breuiatus, tum Caroli M. studio purgatus & emendatus, vt suprà probatum est: verùm à Carolo Caluo obsoleuit lex Theodosiana, & Iustinianea successit, vt innuunt huius æui Autores, qui priores legem Iustinianeam passim memorant, de Theodosiana silent. Hincmarus Rhemensis: *Et sacri Africæ Prouinciæ canones, & lex Iustiniana decernunt vt clerici de iudicij sui cognitione cùm cogantur in publico dicere testimonium.* Et idem in Opusculo aduersùs Hincmarum Laudunensem. *Vnde etiam leges, quibus debitæ obseruationis reuerentiam sancta Ecclesia exhibet in* CXVII. *constitutione, Capitulo* CCCLXII. *constitutionis Iustiniani dicunt, vt locorum venerabilium administratores sine pecunia fiant.* Ioan. VIII. P. epistola ad Ludouicum Regem: *Nonne Ioannes Papa Romanus, & Iustinianus in-*

cap. 11. Ep. 7. cap. 51. Ep. 119.

clytus Imperator legem Romanam facientes, scripserunt ita capitali crimine damnatorum bona, non ad lucrum præsidis, sed
Ep. 163. *cognatis punitorum reddi oportere?* Idem Pontifex alia epistola: *Scitote quemadmodum in C. Capitulo Africani Concilij legitur, similiter in secundo Nouellarum Iustiniani libro, vt nemo Episcopus, aut Presbyter aliquem excommunicet, antequàm causa probetur.* & Epistolâ ad Ludouicum Regem,
can. nemo 16. qu. 3. quæ refertur apud Gratianum adducit legem de præscriptione centum annorum, pro rebus Romanæ Ecclesiæ, quæ est Nouella Iustiniani IX. Retexatur & locus supra laudatus Ioannis Itali, *& Iustiniani Nouellam memoriter tenebat.* Non desunt tamen posteriores qui legis Theodosianæ autoritate vsi sunt, vt Iuo Carno-
Ep. 212. tensis.

Cap. XIV.

Legi Rom. pepercere Ostrogothi, & Longobardi in Italia. Ius Ciuile ab Irnerio restitutum. Ius Ciuile floruit in Academia Parisiensi ante Honorium.



SOLIS colossus Rhodi terræ motu prostratus iacens quoque miraculo fuit, Imperij ruinâ oppressa lex Romana, etiam barbaros Italiæ subsessores suâ majestate continuit; ei pepercit Theodoricus Romani expugnator Imperij, & Romanos siue actores, siue reos suâ lege disceptare
Ep. 13. li. 3. cum Gothis tulit apud Cassiodorum: *Intrà itaque prouinciam Sannij, si quod negotium Romano cum Gothis est, aut Gotho emerserit aliquod cum Romanis, legum consideratione*

definies, nec permittimus discreto (sic enim lege, non indiscreto) *iure viuere quos vno voto volumus vendicare.* Idémque Athalaricus apud Cassiodorum, epistola ad Gildiam Comitem. *Duorum negotia Romanorum etiam his inuitis ad tuum diceris vocare iudicium, vos armis iura defendite, Romanos sinite pace legum litigare.* Inde Theodorico Regi Italiæ gratulatur Symmachus P. quòd legem Romanam in Italia seruari annueret: *Certum est magnificentiam vestram leges Romanorum principum, quas in negotijs hominum custodiendas esse præcepit, multò magis circa reuerentiam Beati Petri Apostoli pro suæ felicitatis augmento velle seruari.* Haud secus Longobardi suspensâ feritate in legis Romanæ venerationem, Romanis suâ lege viuere permiserunt: legis Longobardorum tit. de Longobarda quæ Romanum virum tulerit: *Filij qui de tali matrimonio nascuntur, secundùm legem patris Romani fiant, & lege patris sui viuant.* Exactis Italiâ Longobardis Carolus M. vltrò edixit vt Romani suâ lege viuerent, in lege Longobardorum: *Sicut consuetudo nostra est vt Longobardus, aut Romanus si euenerit quòd causam inter se habeant, obseruamus vt Romani successiones iuxta illorum legem habeant, similiter & omnes scriptiones secundùm legem suam faciant:* Lotharius submotâ lege Romanâ, Capitula Caroli M. & Ludouici P. patris & aui in vniuersa Italia seruari edicto præcepit; verùm Leo IIII. P. Augustum enixè deprecatus, vt lex Romana restitueretur, in epistola quę est apud Gratianum. *Vestrā*, inquit, *flagitamus clementiā vt sicut hactenus Romana lex viguit absque vniuersis procellis, & pro nullius persona hominis reminiscitur esse corrupta, ita nunc suum robur, propriúmque vigorē obtineant.* Ac Pōtificijs precibus motus Lotharius, populo Romano indulsit,

Lib. 9 ep. 14

Can. certū dist. 10. apud Gratian.

Lib. 2. tit. 7.

Lib. 2. tit. 56 §. 1.

leg. Longobard. lib. 3. tit. 37.

Can. vestrā d. 10.

vt lege quâ vellet viueret, vt habetur in lege Longobardorum: *Volumus vt cunctus populus Romanus interrogetur, quali lege vult viuere.* Tandem languescente Imperio, rursúmque tyrannis laborante Italiâ, ius Romanum barbarie obsitum, & penè inauditum infeliciter iacuit, donec imperante Lothario Saxone, hortatu Mathildæ Comitissæ, Irnerij operâ restitutum. Abbas Vrspergensis: *Eisdem quoque temporibus Dominus Vvernerius libros legum, qui dudum neglecti fuerant, nec quisquam in eis studuerat, ad petitionem Mathildæ Comitissæ renouauit, & secundùm quod olim à diuæ recordationis Imperatore Iustiniano compilati fuerant, paucis fortè verbis alicubi interpositis eos distinxit, in quibus continentur Instituta præfati Imperatoris quasi principium & introductio Iuris Ciuilis, edicta quoque Prætorum & Ædilium Curulium, quæ rationem & firmitatem præstant Iuri Ciuili, hæc in libro Pandectarum, videlicet in Digestis continentur: additur quoque his liber Codicis, in quo Imperatorum statuta describuntur. Quartus quoque liber est Autenticorum quem præfatus Iustinianus ad suppletionem & correctionem legum Imperialium superaddidit.* Is Irnerius primus Bononiæ Ius Ciuile docuit, & libros nostros glossis elucidauit, vnde Lucerna iuris dict⁹, autore Odofredo. Ab eo paulò pòst sub Friderico I. turba Iurisconsultorum in Italia prodijt, quorum principes Academiam Bononiensem efformarunt Bulgarus, Martinus, Iacobus, Hugo, ijdémque Assessorum officio functi apud Fridericum. Ab hoc æuo Bononia legum studijs famosa. Guntherus,

Lib.1.tit.57. In Lothar. Sax. In l. ius Ciuile ff. de Iust. Radeu. l. 1. de gest. Frideric. c. 5. Petr. Bles. ep. 26. & 173. Ligur. lib. 9.

----- *Finesque Bononia iuris*
Ingreditur studiosa tuos.

& Bononiensium schola studiosorum frequentiâ per-

celebris. Stephanus Tornacensis : *Togatorum aduocationes mercimonia, litigantium conflictus, cæcorum pugnam, Bononiensium auditoria fabriles diximus officinas.* Inde etiam Longobardi legum studijs certarunt. Idem Guntherus, Ep. 81. Lib. 1. Ligu.

Gens astuta, sagax, prudens, industria, solers
Prouida consilio, legum, iurisque periti

Adeóque Longobardi Romanæ legi inhiarunt, vt nouas leges Friderici de bannis, id est pœnis pecuniarijs respuerint, sed pœnas damni dati, quanti actor in litem iurauerit, secundùm legem Romanam lui voluerint. Idem Abbas Vrspergensis : *Super quo contra nouas institutiones Imperatoris murmurare cœperunt Lombardi, non est enim eorum consuetudo banna soluere, sed vt secundùm leges Romanas iniurias passis satisfaciant, secundùm quod iurauerint læsi se talem velle pati iniuriam*, quo intelligenda est, l. si quando C. vnde vi. Eâdémque ætate Lanfrancus Papiensis, primùm Cadomensis Abbas, tum Cantuariensis Archiepiscopus secularium legum peritiam ad patriæ suæ morem feruidè edidicisse fertur Orderico Vitali : & in Gallia Petrus Abelardus Iuris Ciuilis peritissimus commendatur, de quo Accursius : *Quæ nam, inquit, esset ea præscriptio Petrus Baylardus, qui sanum cuiusque legis intellectum sua ætate pollicebatur, hîc dixit, nescio.* Imò & ante Honorium iuris ciuilis studium in Academia Parisiensi effloruisse constat. Rigordus : *Cùm itaque in eadem nobilissima ciuitate, non modò de triuio & quadriuio, verùm & de quæstionibus Iuris Canonici & Ciuilis, & de ea facultate quæ de sanandis corporibus & sanitatibus conseruandis scripta est plena & perfecta inueniretur doctrina, feruentiore tamen desiderio sacram paginam & quæstiones Theologicas docebantur.* Et Conradus

In Frider. I.

Lib. 4. hist. ad an. 1069.

In l. quinque pedum. C. fin. reg.

In Philip.

de Casib. M. S. Galli c. 5.

de Vodalrico Abbate Monasterij S. Galli : *Informatúmque Parisios ac Bononiam transmisit, iurisque peritiam cum summa diligentia repatriatum omnibus bonis conformatum ad summa prouexit.* & paulò pòst : *In iure forensi & ecclesiastico quicquid excogitare poterat, faceto Mineruæ poculo cunctis audientibus propinabat.*

Cap. XV.

Lex Romana Hispanis laudata, Anglis excepta, Iudæis exosa.

HISPANIS sacri ordinis patribus, etsi lege Gothicâ districtis, lex Romana frequenter laudata. Iuris Romani origines prosecutus est. Lib.5.Orig. Isidorus E. Hispalensis, & passim Concilia Hispanica nitent argumentis à iure ciuili petitis. Concil. Hispalense II. cui præfuit idem Isidorus : *Sicut enim per legem* cap. 1. c. prima 16. q. 3. *mundialem, ijs quos barbarica feritas captiuâ necessitate* l. si quos C. de captiu. & postl. *transuexit, postliminio reuertentibus redditur antiqua possessio; non aliter & Ecclesia receptura est Parochiam quam antè tenuit cum rebus suis, siue ab alijs Ecclesijs possidentur, siuè in cuiuslibet possessionem transfusa sit; non enim erit obijcienda præscriptio temporis, vbi necessitas interest.* & can. seq. *Scri-* l. cùm satis. C de Agric. & censit. *bitur enim in lege mundiali de colonis agrorum, vel vbi esse quisque iam cœpit ibi perduret, non aliter & de clericis qui in agro Ecclesiæ operantur canonum decreto præcipitur, nisi vt ibi* can. 13. *permaneant vbi esse cœperunt.* Conc. Toletanum IX. *Igi-* l. lege Papia ff. de rit. nup. *tur sicut legum reuerenda sanctio censuit, ita seruare totius generis nobilitas debet, vt in nullo aliena commixtio maculet, quod generositas propria decorauit. Vnde cunctis Ecclesiarum libertis,*

libertis, tam viris, quàm feminis, eorúmque propagini interdicitur iudicio generali, ne deinceps causâ connubij, aut Romanis ingenuis copulentur, aut Gothis. Cum religione Christiana simul lex Romana penetrauit ad Anglos: Edilbertus inter Reges Anglorum primus Christianus, consilio prudentum excerptas leges Romanas Anglicas fecit, ex quibus suis ius dictum. Beda: *Qui inter cetera bona*, inquit, *quæ genti suæ consulendo conferebat, etiam decreta illi iudiciorum, iuxta exempla Romanorum, cum consilio sapientium constituit quæ conscripta Anglorum sermone hactenùs habentur & obseruantur ab ea.* Restituto omni ex parte iure ciuili ab Irnerio, Vvacarius quidam iurisperitus patriâ Longobardus transijt in Angliam, & ibi multos habuit iuris ciuilis auditores. Chronicon Normanorum: *Magister Vvacarius, gente Longobardus, vir honestus & iurisperitus cùm leges Romanas anno ab Incarnatione Domini* M. CXXXIX. *in Anglia discipulos doceret, & multi tam diuites quàm pauperes ad eum causâ discendi confluerent, suggestione pauperum de Codice, & Digesto exceptos nouem libros composuit, qui sufficiunt ad omnes legum lites, quæ in scholis frequentari solent decidendas, si quis eos perfectè nouerit.* Stante Imperio Iudæi, vtcumque cæli, solíque sui extorres, & sparsi per orbem Romanum, legem Romanam detrectare non dubitarunt. Iuuenalis de Iudæis.

Hist. Anglo. lib. 2. c. 5.

A. C. 1148.

Satyr. 14.

Romanas autem soliti contemnere leges
Iudaïcum edisdunt, & seruant, ac metuunt ius.

Ambrosius epistola ad Theodosium de Iudæis: *Et cùm ipsi Romanis legibus teneri se negent, ita vt crimina leges putent; nunc velut Romanis legibus se vindicandos putent.* Augustinus. *Iudæi tamen manent cum signo, nec sic victi sunt, vt à victoribus absorberentur, hoc est signum quod habent Iu-*

Ep. 29.

In psalm. 57

In Psal. 58. *dæi tenent omnino reliquias legis suæ.* & idem alio loco. *Per omnes gentes manent certè, & Iudæi sunt, nec destiterunt esse quod erant, id est gens ista non ita cessit in iura Romanorum, vt amiserit formam Iudæorum, sed ita subdita Romanis est, vt etiam leges suas teneat, quæ leges sunt Dei.* Verùm Iudæorum protervia fracta, adactis illis in legem Romanam. Ar-
L. Iudæi C. de Iudæis. cadius & Honorius Impp. *Iudæi Romano & communi iure viuentes, de his causis quæ tam ad superstitionem eorum, quàm ad forum & leges, ac iura pertinent, adeant solenni iure iudicia, omnésque Romanis legibus inferant, & excipiant actiones, postremò sub legibus nostris sint.* Vnde & habentur serui Cameræ Imperialis. Fredericus II. Imperator apud Pe-
Lib. 6. ep. 13 trum de Vineis: *Quòd omnes & singuli Iudæi degentes vbique per terras nostræ iurisdictioni subiectas, Christianæ legis & Imperij prærogatiua serui sunt nostræ Cameræ speciales.* In Oriente etiam Iudæi ex legibus Romanis vt agerent
Tit. 1. Nomocan. c. 3. coacti sunt. Theodorus Balsamon in Photium: *συνηθείας οὔσης τοὺς Ἰουδαίους δικάζεσθαι παρὰ μόνῳ τῷ στρατηγῷ τοῦ στενοῦ, ὁ κράτιστος καὶ ἅγιος ἡμῶν βασιλεὺς* (is est Emanüel Comnenus) *διωρίσατο παρὰ παντὸς δικαστηρίου κατὰ νόμους τούτους δικάζεσθαι*: *Cùm esset consuetudo vt Iudæi, apud solum Stheni prætorem litigarent, potens & sanctus noster Imperator statuit, vt ij in omni foro ex legibus litigarent.* Nec solum Imperatores, sed etiam summi Pontifices ipsi Iudæos Romanis legibus addixerunt. Gregorius I. de Synagoga Iudæorum Terra-
Lib. 12. ep. 18. cinæ degentium: *Prædictos verò Iudæos grauari vel affligi contra ordinem rationis prohibemus; sed sic Romanis viuere legibus permittantur, annuente iustitiâ, actúsque suos, vt norunt nullo impediente disponant.*

Cap. XVI.

Legem Romanam coluere Summi Pontifices. libelli appellationum. Innocentius III. audax Iurisperitus.



Egem Romanam tot populis cum imperio susceptam ne mireris, etiam ipsi Pontifices, supra rerum humanarum sortem elati, leges Romanas non sinè religione exceperunt, & sacros canones legibus conciliare non dedignati sunt. Lucius III. P. *Quia verò sicut leges non dedignantur sacros canones imitari, ita & sacrorum statuta canonum, principum constitutionibus adiuuantur.* Hoc studio quamplures leges Romanæ in Ius Canonicum relatæ, & à Pontificibus consecratæ. Nouellam Iustiniani de Episcopali iudicio exscripsit, & ratam fecit Gregor. I. *De persona presbyteri hoc attendendum est, quia si quam causam habuit, non ab alio teneri, sed Episcopus ipsius adiri debuit sicut Nouella constitutio manifestat, quæ loquitur de sanctissimis & Deo amabilibus ac reuerendissimis Episcopis, clericis, & Monachis.* Legem ciuilem de præscriptione xxx. annorum agnouit Gelasius P. *Post quingentos*, inquit, *annos constituta Christi quosdam audio velle subuertere, cum* xxx. *annorum lex hominum non possit abrumpi.* Etiam legem de præscriptione c. annorum in rebus Romanæ Ecclesiæ amplexi. Ioannes VIII. *Sed & venerandæ Romanæ leges diuinitus per ora piorum principum promulgatæ, rerum eius præscriptionem, non nisi per centum annos admittunt.* & antè Nicolaus I. de Monasterio S. Catrilesi, quod assereba-

cap. 1. ex. de nou. oper. nunc Nou. 5. & 83.

can. 10. & seq. dist. 10. & per tot. decret. Lib. 11. ep. 54 c. de persona. 11. q. 1.

can. post quingentos 16. qu. 3.

can. fin. 16. qu. 3.

ep. 61.

tur exemptum à iurisdictione Cenomanensis Episcopi, & immediatè subiectum Romanæ Ecclesiæ : *Quòd si fortassis contigisset, vt aliquando monasterium illud sub potestate Cenomanici fuisset Episcopi, tamen secundùm leges seculi post tot iam secula & annorum spatia repeti nullatenus iure potuisset, & quod semel acceperat libertatem, iam sub ditione nequaquam mancipari denuò potuisset.* Legem ciuilem de destruendis ædificatis post noui operis nuntiationem suam fecit Lucius III. quòd sacri canones leges sequi non dedignentur. Legem principum, de rebus litigiosis non alienandis pro pontificia habuit Innocentius III. Constitutiones Theodosij & Caroli M. de Episcopali iudicio laudauit idem Pontifex: *Nec sic illud humillimum omittamus, quod Theodosius statuit Imperator, & Carolus innouauit, &c.* quæ est constitutio Constantini, verùm adscribitur Theodosio hoc loco, vt & apud Gratianum, quòd relata sit in Codicē Theodosianum. Constitutiones Marciani, & Henrici II. Imperatorum de non præstando à clericis iuramento calumniæ, secutus est Honorius III. Denique Ecclesia Romana Iuris Ciuilis studiosissima fuit. Iuo Carnotensis: *Dicunt enim instituta legum Nouellarum quas commendat & seruat Romana Ecclesia &c.* Leges Romanas tamen, si quæ cum sacris canonibus pugnantes fuerunt, temperarunt Pontifices, vt legem Romanam quæ nuptias inter consobrinos permittit, emendauit Gregorius I. *Quædam lex terrena in Romana Rep. permittit, vt siue fratris & sororis, seu duorum fratrum germanorum, seu duorum sororum filius & filia misceantur, sed experimento didicimus, ex tali coniugio sobolem non posse succrescere & sacra lex prohibet cognationis turpitudinem reuelare.* Legem de præscriptione xxx. vel

d. cap. 1. ex de nou. oper. nunt.

cap. Ecclesi. ex. de const. c. nouit ex. de iudic.

in l. 1. C. Theod. de Episcopali iudic.

c. quicūque 11. qu. 1.

cap. 1. de iuram. calū.

ep. 280.

can. quædā 35. qu. 2.

XL. annorum in malæ fidei possessore reiecit Alexan- c. vigilanti.
der III. Constitutionem Mauricij de Militibus, vel ex. de præsc.
alijs ratiocinijs publicis obstrictis in Monasterium non
recipiendis, temperauit & Gregorius I. Alius quidem lib. 7. ep. 11.
fuit ordo iudiciorum Ecclesiasticorum à Ciuilibus; iu- can. legem 53. d. & lib.
dicia enim Ecclesiastica sinè scriptura, & sportulis dis- 2. ep. 100.
ceptabantur, ex Nou. Iustiniani: à Iudice Ecclesiastico Nou. 83.
nudo verbo appellabatur citra libellum; Nouum & in-
solens visum quòd Cyrillus Alexandrinus à Seleuciensi
Synodo per libellum appellasset ad Romanum Pontifi-
cem: τοῦτο μὲν οὖν μόνος καὶ πρῶτος παρὰ τὸ σύνηθες τῷ
ἐκκλησιαστικῷ κανόνι Κύριλλος ἐποίησεν ἐκκλήτοις ὡς
ἐν δημοσίῳ δικαστηρίῳ χρησάμενος. *Et Cyrillus solus ac
primus contra canonis Ecclesiastici consuetudinem hoc fecit, li-
bellis appellatorijs, vt in seculari iudicio vtens,* vt refert So- Lib. 2. hist.
crates: Tamen Ecclesiam Romanam etiam libellos ap- Eccl. c. 32.
pellationum admisisse inuenio. Marcellus P. Maxentio: can. Synodum 17 dist.
Nam si seculares, inquit, *in publicis iudicijs libellis vtuntur
appellatorijs, quantò magis sacerdotibus hæc eadem agere licet,
qui super illos sunt.* Sic Thietbergam à Lothario coniu-
ge abiectam, per libellum prouocasse ad Pontificiam se-
dem, autor ipse Nicolaus I. *Nam eo tempore ad Apostoli-* In can. Lotharius 31.
cam sedem libellum appellationis suæ misit, &c. Romanæ iu- qu. 2.
risprudentiæ laudem affectarunt etiam Romani Ponti-
fices: hâc arte claruit Innocentius III. hinc audacem
Iurisperitum vocat Matthæus Paris: *Vnde Papa memo-* In Ioanne
ratus in pronuntiatione sententiæ diffinitiuæ, vt qui in scientia A. C. 1199.
erat magnus & audax simul Iurisperitus, ita exorsus ait, &c.

Cap. XVII.

Ius allodij beneficium Iuris Ciuilis. an iuri allodij locus sit in Aquitania.



Ostqvam à nobis demonſtratum eſt Aquitaniam iure Romano in hunc vſque diem vſam, Allodiorum iuri in ea locum eſſe nihil vetat, ſiquidem illud totum pendet è Iure Ciuili, quo omnia prædia præſumuntur libera, niſi probetur ſeruitus: Vnde noſtri efficiunt quamlibet rem cenſeri ipſo iure allodialem, non emphyteuticariam, aut feudalem. Et certè Arnoldus Ferronius in conſuetudines Burdegalenſes, id iuris ſeu priuilegij Aquitanos habere contendit, vt prædia optimo iure poſſideant, ab omni cenſu libera *Aquitani*, hæc ſunt ipſius verba, *id habent priuilegium, vt res, fundos, prædiáque in iuriſdictione Regis, & dominio aliorum, optimo iure, optimáque conditione, & liberè poſſidere poſſint, neque vlli vectigali, aut reditui, vel obſequio obnoxia.* Sed quoniam Neoterici fides tanti non eſt, vt ei ſinè autore credatur, rem altiùs explorare conducit, priúſque eſt ſtatum prædiorum prouincialium reperere. Poſſeſſores prædiorum prouincialium non erant domini iure Quiritum, verùm manente dominio penès P. R. ſeu principem, in cuius argumentum ſtipendium aut tributum præſtabant, prædiorum vſumfructum habebant, & pleniſſimã detentationem πνευματικὴν κατοχήν, ita vt alienare poſſent, & in heredem tranſmittere, vt obſeruat Theophilus, & in hanc ſententiam Vrbicus: *ſtipendiarij*, inquit, *agri nexu*

l. altius. C. de ſeruit. & aq.
Alciat. reg. 1. præſ. 3.
tit. 8. de feud. §. 7.
Inſ per traditioné. inſt. de rer. diuiſ. lib. 2.

non habentur, id eſt, non ſunt mancipi; prouincialia enim prædia poſſidentur quaſi fructuum tollendorum gratiâ, & ſub conditione præſtandi ſtipendij, aut tributi, quæ ſunt onera fructuum. Idem Vrbicus: *Quòd omnes etiam priuati agri tributa, atque vectigalia perſoluant.* & infra, *quia dum priuatus laborat in proprio, & tributum publico, & ſibi alimoniam arua excolendo procurat.* Etiam Prouinciales ſuo iure prædia poſſederunt, tamquam domini iure gentium, quibus in totum, vel ex parte vetus poſſeſſio relicta eſt. Hygenus: *Excepti ſunt fundi bene meritorum, vt in totum priuati iuris eſſent, ne coloniæ vllam munificentiam deberent, eſſent in ſolo populi Romani.* & alio loco: *Hi agri qui redditi ſunt, non obligantur vectigalibus, quoniam ſcilicet prioribus dominis redditi ſunt.* Vnde prouinciales in prædijs ſuis habuere vindicationem, quæ vt competat ſatis eſt actorē eſſe dominum iure gentium, non iure ciuili. *In* Aquitania Prouinciales haud deterioris cōditionis fuere, & prędia iure dominij integra, illibatáq; poſſederūt: nec enim colonis aſſignatus ager, ſed veteribus poſſeſſoribus in totum relictus, impoſito annuo ſtipendio, & quod apud Ptolemęum, Lugdunum Cōuenarum colonia dicitur, nō ipſius autoris eſt, ſed commentum inepti Interpretis. Hâc ratione Paulinus Aquitanus prædiorum, quæ latè in Aquitania poſſidebat, ſe dominum agnoſcit, eáque patrimonium vocitat, in epiſtola ad Seuerum: *Ebromagum enim non hortuli causâ, vt ſcribis, reliquimus, ſed paradiſi illum hortum prætulimus patrimonio & patriæ.* & Auſonius ingentes eiuſdem Paulini poſſeſſiones regna vocitat, ob liberum & ſolutum dominium penè regno ſimile,

— *Laceratáque centum*

l. hactenus. ff. de vſufr. lib. 1. de limitib. agro.

De limit. cōſt. Reuar. lib. 1. var. cap. 5.

l. in rem 23. ff. de rei vēd. l. cum ſponſus §. in vectigalib. ff. de publicia. Cuiac. 7. obſeru. 3.

Ep. 5.

Ep. 23.

Per dominos veteris Paulini regna fleamus.

Prouinciales etiam nostros, sequiori Gothorum æuo, prædia in solo Aquitanico iure dominij possedisse, insinuat Sidonius cùm inuideri prædia prouincialibus scribit: *Hi sunt qui inuident tunicatis otia, stipendia paludatis, viatica veredariis, mercatoribus nundinas, munuscula legatis, portoria quadruplatoribus, prædia prouincialibus.* Re ad Francos deductâ etiam Aquitani legitimum rerum suarùm dominium, quod ea ætas Alodem vocitabat, tuiti sunt. In lege Salica: *Si Romanus homo possessor, id est qui res in pago vbi commanet proprias poßidet, occisus fuerit.* Hoc iure Aquitani prædia inter se vindicarunt actione in rem, seu vindicatione in re præsenti, quæ solennis fuit ratio huiusce actionis ex iure Ciuili, vt ex insigni loco Adreualdi obseruo: *Caput Ceruium pagus quidam Aquitanicæ prouinciæ* (is erat in finibus Biturigum & Lemouicensium, vt disco ex Aymoino Floriacensi) *regiâ liberalitate cœnobio sancti Benedicti donatus.* & paulò pòst: *Aduocatus verò vnà cum Raganario Monacho, ad locum cessionis terræ iuxta morem legis adueniens, prædictam vineam ad ius S. Benedicti suâ autoritate reuocare nitebatur.* Ex quo liquet iam olim in Aquitania fuisse prædia libera, & veros nacta dominos, id est Alodia, quorum placuit esse vindicationem: Alode enim nihil aliud quàm proprietas. Decurrente æuo Aquitanos etiam allodia possedisse constat. De Vifredo Comite Bituricensi testatur autor vitæ S. Genulfi cùm refert Monasterium ab eo positum, in oppido cui nomen Strada in finibus Biturigum qui sunt Aquitaniæ primæ, in fundo suæ proprietatis *Placuit vt ad laudem Creatoris celebrandam, diuinaque mysteria peragenda, in iure suæ proprietatis in villa quæ dicitur*

Strada

Lib. 5. ep. 7.

Tit. 43. c. 7.

Lib. 1. de mirac. S. Bened. c. 28.

Lib. 2. de mirac. S. Bened. c. 4.

Lib. 1. c. 8.

Strada Ecclesiam fundaret. De Geraldo Aureliacensi Comite in Aruernis autor est Odo Cluniacensis, qui eius vitam scripsit: *Nam cùm Alodus eius esset Postomia, & deinceps latifundia ipsius ita sibi succederent, vt vsque ad montem magnum Greonem posset in eundo & redeundo semper in proprijs mansitare capellis.* & alio loco: *Apud Postomium sui iuris insignem Alodum.* Equidem plerumque Reges nostri fundos patrimoniales bene meritis de republica in beneficium, vel in Alodem dabant. Synodus Meldensis: *Quia maximè quod ad Remp. pertinuit, aut praeceptione in beneficiario iure, aut in allodio absumptum habetur, &c.* Sed de hoc genere allodij non quaerimus, nobis satis est allodium illud vindicare Aquitaniae, quod est beneficium Iuris Ciuilis, quo Aquitania vtitur; nec eius improperium fero, qui Aquitanos iure allodij lapsos voluit ob perfidiā & studiū in partes Anglorū: satis vtique compertum Aquitaniam non suo scelere, sed infelici fato in Anglorum potestatem venisse, ipsámque suis viribus ad Francos redijsse, eóque nomine multa de nostris regibus insignia priuilegia meruisse, adeò perfidiae labem non tulit, Allodij iuris multatione, casúque. Dolendum potiùs, quàm erubescendum Allodij ius in Aquitania infractum, diutinâ incubatione Anglorum, tum enim Aquitani proceres, Anglo perpetuis bellis districto, audaciùs in plebeios saeuiere, & possessores praediorum, vtcumque allodialium facilè in suam ditionem redegerunt, sensímque Allodia euerterunt, vel etiam ipsi priuati possessores iniquitate temporum pessumdati praesidij causâ se & sua praedia potentioribus vltrò addixerunt, & libertatis damno patrocinium redemerunt. Nec dispari consilio olim agricolas sui iuris

Lib. 1. c. 41.

Lib. 2. c. 11.

Can. 20. vnde capit. Carol. Cal. tit. 6. c. 20.

virum quendam religiosum in dominum emphyteuticarium expetijsse comperi apud Theodoritum : προσ-στάτην ᾗ αὐτὸν γενέσθαι παρακαλοῦσιν, οὐ γὰρ εἶχεν ἡ κώμη δεσπότην, αὐτοὶ ᾗ ἦσαν γεωργοὶ καὶ δεσπόται; *Orántque vt eorum dominus esse velit: dominum enim vicus nullum habebat, sed ijdem ipsi & agricolæ erant, & domini.* Et ita passim factum vt plebeij & rusticani se & sua potentioribus in clientelam traderent, pacto censu annuo patrocinij & defensionis nomine, & quasi dedititios se facerent. De quo Saluianus : *Tradunt se ad tuendum protegendúmque maioribus, dedititios se diuitum faciunt, & quasi in ius eorum, ditionémque transcendunt.*

In Philoth. cap. 17.

Lib 5. de Prouid Dei.

Cap. XVIII.

Consuetudines subortæ in Aquitania inter leges Romanas. Ius retractus gentilitij moribus inductum in Aquitania. Rupellana consuetudo de societate bonorum inter virum & vxorem: Consuetudo Pictonum, de litibus armis disceptandis.



Egvm Romanarum non est vilis autoritas, ait Obertus, sed non adeò valent vt vsum vincant & mores. Ius Romanum in prouincijs studiosè obseruatum, plerisque tamen ciuitatibus & municipijs nonnullæ leges fuere, quæ iuri Romano derogabant, & leges municipales dicebantur, ac propriè erant priuilegia, quia sinè speciali beneficio principis cōsistere non poterant. Hac ratione

cap 1. de feud. cogni. in vsib. feud.

l. prohibere §. planè. ff. quod vi aut clam l. prætor ait. §. diuus ff de sepul. violat.

etsi ius Romanum summam iudiciorum teneret in Aquitània, in medio Iure Ciuili inoleuêre aliquot consuetudines huic aduersæ, inter eas est consuetudo quæ pertinet ad retractum gentilitium. Constitutione Imperatorum sublatum ius antiquum quo proximi & consortes extraneum ab emptione remouebant, & vnusquisq; suo arbitrio quærere, vel probare potest emptorem. Huiúsque veteris iuris vestigia reperio in duobus iuris apicibus, vbi in auctione bonorum debitoris, in concursu cognatus præfertur extraneo, sed ius istud omnino nescijt Respublica. Testis M. Tullius: *Prædiorum nullam esse gentem, emptionibus ea solere sæpe ad alienos homines, sæpe ad infimos non legibus, tamquam tutelas peruenire.* Moribus Galliæ proximiori licèt pretium offerre emptori, & rem retrahere intrà annum & diem à die contractus, vt notum Gregorio IX. P. & post eum Ioanni Fabro, Benedicto, Tiraquello & alijs; eodem iure vniuersa vtitur Aquitania, vt liquet ex Burdegalēsi, Baionensi, & alijs consuetudinibus. Apud Rupellanos etiam, qui sunt Aquitaniæ II. iam olim inualuere nonnullæ consuetudines, quarum duo capita à iure, & honestate publica abhorrentia damnauit Honorius III. P. in Epistola decretali ad Maiorem & Burgenses de Rupella. Primum fuit vt marito bonis suis lapso culpâ, vel casu, vxoris bona mobilia & immobilia alienare liceret; quod omnino vetabat lex Iulia. Alterum fuit, vt mulier ob adulterium non amitteret lucrum mediæ partis omnium bonorum per virum quæsitorum constante matrimonio: consuetudinem emendauit Pontifex, quoad proderat mulieribus adulteris, sed de cetero intactam reliquit quoad illæsa & intemerata coniugia.

l. si non speciali. C. de testam. l. 1. C. quem. testam. aper. l Antiochiensium ff. de priuil. cred. l. Dudum. C. de contrah. empt.

l. Imperator ff. de pact. l. cum bona. ff. de reb. aut. Iud. possid. Pro Balbo.

cap. constitutus ex. de in integr. restitut. in d. l. dudū & in l. 1. C. de summa Trinit. in verb. & vxorem, decis. 5. n. 44. de Retr. Gentilit. §. 1. gloss. 9. nu. 54. cap. ex parte. ex. de consuetud.

l.ex diuerſo §. item & Proculus ff. ſolut matri. l. alimenta. §. qui ſocietatem ff de aliment. leg. Iure Ciuili non fuit ſocietas bonorum partorum conſtante matrimonio inter virum & vxorem, niſi ex pacto & conuentione: moribus Francorum mulier non modò tori particeps & ſocia voluptatis, ſed etiam ſocia bonorum, quæ manente matrimonio acquiruntur: hoc iure cùm pretioſa Dagoberti Regis mobilia inter eius liberos diuiſa, Nantildi ipſius viduæ tertia relicta memoratur Fredegarius: *Itaque theſaurus Dagoberti iubente* cap. 85. *Nanthilde, & Chlodoueo, inſtantia Aeganis Maioris domus præſentatur, & æqua lance diuiditur, tertiam tamen partem de qua Dagobertus adquiſierat Nanthildis Regina recipit.* Lib. 4. c. 36. Idem prodidit Aimoinus. Eâdem diſpẽſatione vbi Rodulphus Rex theſauros varia in Monaſteria erogauit, vxori partem reſeruauit. Frodoardus: *Ceterùm præter* In Chronic. ad A. C. 824. *vxoris partem quicquid ſibi theſaurorum ſupererat per Monaſteria Franciæ, Burgundiæque direxit*: eam partem fuiſſe tertiam iam ſatis intelligis, ac ea eſt quam Capitulum Lib. 4. c. 9. Caroli M. vocat tertiam collaborationis, nempe quòd eſſet præmium & repenſatio ſocij laboris. Labente ſeculo vxoris pars in bonis quæſitis conſtante matrimonio creuit vſque ad ſemiſſem, & ita ſe habuit in Rupellana conſuetudine, quod Honorius in dicta decretali apertè inſinuat illis verbis: *medietatem omnium bonorum quæ fuerit vir adeptus.* Idémque iuris iam diu inualuit in alijs partibus Galliarum, vt comprobatur ex Epiſtola cap. ſignificauit. ex. de donat. inter vir. & vxor. decretali Vrbani III. inſcripta Decano & Capitulo Lexouienſi, vbi edicitur etiam diuortio ſoluto matrimonio, vxori reſtituendam eſſe partem bonorum, quæ coniugibus in commune obuenerunt quocumque titulo. Eodem iure mortuo Ludouico Delphino Principe, & Aquitaniæ Duce, eius vidua quæ erat filia Ducis

Burgundiæ mediam partem mobilium mariti poſcere non dubitauit, ſed ei reſponſum Regem his egere in ſuos vſus, teſte Iuuenali de Vrſinis. Etiam apud Pictones & alios Aquitanicos dira & iuri Romano valde aduerſa ſubrepſit conſuetudo, vt potentiores non iure iudicioque ſed vi, armíſque res ereptas repeterent, Et hanc tulere ipſi Reges Anglorum, teſtis Houedenus: *Impeditæ ſunt treugæ, quia videlicet Rex Angliæ violare nolebat conſuetudines & leges Pictauiæ, vel aliarum terrarum ſuarum, in quibus conſuetum erat ab antiquo, vt magnates cauſas proprias inuicem gladijs allegarent.* Eadem olim litis diſceptandæ fuit ratio apud Gothos, quam explodere ſtuduit Theodoricus in Epiſtola ad Coloſſeum Comitem. *Remoue conſuetudines abominanter inolitas, verbis ibi potiùs, non armis cauſa tractetur.* Nec diſpari more apud Francos viri principes priuatas inter ſe controuerſias legibus, aut ſaltem ſingulari certamine diremerunt. Agathias: καὶ τοὺς ἡγεμόνας κελεύουσι δίκῃ μᾶλλον τὰ ἀμφίβολα διευκρινήσασθαι, εἰ δὲ μὴ μόνους ἐκείνους ἀγωνίζεσθαι. *Iubéntque vt principes iure potiùs controuerſias decernant, ſin minùs vt ſingulari inter ſe certamine agant.* Diu in Gallia inter magnates, manu & ferro, magis quàm lege, iudicióque vindiciæ conſertæ, non ſinè regiæ poteſtatis iniuria, ita vt infelicitati illius ſeculi meritò congrúant Enniani verſus, qui apud Gellium leguntur,

Non ex iure manu conſertum, ſed mage ferro
Rem repetunt, regnúmque petunt, vadunt ſolida vi.

Sed tandem reſurgente regiâ dignitate cruentæ priuatorum lites ſopitæ, potentiores ad frugem reuocati, ac inde hos legis actionibus experiri non piguit. Legis Romanæ per tot ſecula quàm ſtudioſi fuerint Aquitani ſatis

Inuic. Caro. 6. A.C. 1415

In Richardo.

Lib. 3. var. cap. 23.

Lib. 1. hiſt. Iuſtin.

Lib. 10. noc. Attic. c. 9.


audijsti: tandem verò ab ea defecere plures Aquitaniæ populi, vt Bituriges, Aruerni, Pictones, & alij & varias consuetudines susceperequibus in hunc diem reguntur, hoc tamen obsequio & reuerentiâ erga legem Romanam superstite, vt ad eam recurrant quibus casibus consuetudo non prospexit, quod & ipsi feudorum Autores lubenter voluere: *Strenuus autem legisperitus sicubi casus emerserit, qui consuetudine feudi non sit comprehensus, absque calumnia vti poterit lege scriptâ.*

Lib. 2. feud. tit. 1. l. de quibus ff. de legib.






RERVM AQVITANICARVM, LIBER QVARTVS.



Cap. I.

Aquitania à Gallia distincta.



ETIAM maiora flumina nomen cum aquis mergunt Oceano. Aquitania quamtumuis pars Galliarum, harum vniuersitati comparata vix nomen tueri posse videbatur; adeò tamen cum ceteris Galliarum partibus dignitate certauit, vt vna per se, velut diuisum à Gallijs corpus spectaretur. Hanc distinctionem agnouêre Romani; quotquot saltem à Constantino scripserunt. Rufus Festus; *Sunt Galliæ,* inquit, *cum Aquitania, & Britanniis prouinciæ septem decim.* Et Ammianus postquàm Galliæ prouincias recensuit: *Hæ prouinciæ, vrbésque sunt splendidæ Galliarum, in Aquitania, quæ Pyrenæos montes, & eam partem spectat Oceani quæ pertinet ad Hispanos, prima prouincia est Aquitania.* Aquitaniam à Gallia distinguit ipse Maximus tyrannus status Galliarum apprimè compos, in epistola ad Valentinianum Iuniorem, quæ legitur inter epistolas Syricij Pap. *Italia omnis,*

In Breuiar.

Lib. 15.

atque Africa hoc sacramento credunt, hâc fide gloriantur Gallia, Aquitania omnis, Hispania, Roma ipsa venerabilis. Hoc sensu in Itinerario Antonini describitur iter de Aquitania in Gallias. Romanorum iudicium de Aquitania secuti meritò Aquitani. Ausonius,

In Arelat.

----- Populósque alios, & mœnia ditas
Gallia queis fruitur, gremióque Aquitania læto.

& Sulpicius Seuerus: *Sed dum cogito me hominem Gallum inter Aquitanos verba esse facturum.* & alio loco: *Sed nostris, id est Aquitanis Gallis, Britannis indecens visum est.* Nec Romanis & nostris dumtaxat nota fuit Aquitaniæ distinctio à Gallia, sed etiam Græcis. Zozomenus de Constantino Tyranno: προσηγάγετο τοὺς περὶ γαλατίαις καὶ Ἀκυϊτανοῖς στρατιώτας: *Conduxit ex Gallia & Aquitania milites qui ibi erant.* Et Palladius de Melania iuniori, clarissima Matrona Romana: πάντα τὰ κτήματα τὰ ἐν ταῖς σπανίαις, καὶ Ἀκυϊτανίᾳ, καὶ Ταρρακωνησίᾳ, καὶ γαλλίαις διαπωλήσασα: *Omnes possessiones quas habuit in Hispania, Aquitania, Tarraconensi, & Galliis cùm vendidisset.* Exsurgente in Aquitania Francorum Imperio, nec dum desiere Aquitani à Gallis distingui. Autor vitæ D. Audoëni apud Surium: *Quæ si quis pleniùs nosse velit, perlustret Galliam, Aquitaniam, Hispaniam, Italiam, &c.* Et Notkerus. *Translatio S. Benedicti Abbatis à Castro Cassini in Galliam, vel Aquitaniam.*

Lib. 3. de vit. S. Marti.
Lib. 1. hist. sacr.
Lib. 9. c. 11.
Hist. Lausia: cap. 119.
24. August. tom. 4.
In Martyro. 5. idib. Iul.

CAP. II.

Cap. II.

Concilia Prouinciarum, reliquiæ priscæ libertatis. Concilium Asiæ. Cöncilium Tetrapoleos. Concilium Græciæ. Concilium Galliarum sub Romanis. Concilium VII. *Prouinciarum Galliæ Arelate institutum, quò conuenere Aquitani, Ordines Galliarum qui conuenere ad id Concilij. Concilia Galliarum sub Regibus Francorum. Concilia Aquitaniæ sub Regibus Aquitaniæ.*

ROMANI deuictis, & in prouinciam redactis gentibus, vt sese conciliarent, quandam libertatis vmbram, & Reipublicæ imaginem reliquerunt. Hoc pacto Asia in prouinciæ formam redacta commune concilium gentis retinuit, vt colligitur ex epistola Antonini Pij communitati Asiæ. (l. si duas. §. est autem. ff. de excus. tu.) Illud Ephesi, quæ erat Metropolis Asiæ, è more indictum, argumento est, quòd archiuum, seu tabularium totius Asiæ ibi depositum obseruo. Eusebius, de Alexandro Ephesi à Frontino Proconsule ob latrocinia damnato: (Lib. 5. hist. cap. 17.) ϗ οἱ θέλοντες μαθεῖν τὰ κατ᾽ αὐτὸν, ἔχουσι τὸ τῆς Ἀσίας δημόσιον ἀρχεῖον: *Ceterùm qui plura de rebus illius scire volent, Asiæ archiuum publicum habent.* Præter commune concilium Asiæ, fuerunt prætereà nonnullæ ciuitates, quæ vinculo reipublicæ inter se coniunctæ suos conuentus coluerunt, vt Cybira, & duæ finitimæ vrbes. Strabo: προσγενομένων ἢ τριῶν πόλεων ὁμόρων (Lib. 13. in fin.)

βυβώνω, Βαλβύρων οἰνοάνδρυ, τετράπολις τὸ σύστημα ἐκλήθη μίαν ἑκάστην ψῆφον ἐχύσης δύο δὲ τῆς Κιβύρας: *Accedentibus autem tribus finitimis vrbibus, Bubonibus nempe Balburis, & Oenoandro, conuentui huic nomen Tetrapolis est factum, vna quæuis vrbs suum habuit suffragium, Cybira duo*; quippe quæ mitteret XXX. peditum, duo equitum millia. Græciâ subactâ, Mummius vniuersa Concilia Achæorum, & aliarum gentium Græciæ sustulit, quæ non multis pòst annis restituta. Pausanias: συνέδρια τε
In Achaicis. κατ' ἔθνος τὸ ἑκάστων Ἀχαιῶν, καὶ τὸ ἐν Φωκεῦσιν, ἢ Βοιωτοῖς ἢ ἑτέρωθί που τῆς Ἑλλάδος κατελέλυτο ὁμοίως πάντα, ἔτεσι δὲ οὐ πολλοῖς ὕστερον ἐτράποντο ἐς ἔλεον Ῥωμαῖοι τῆς Ἑλλάδος, καὶ συνέδριά τε κατ' ἔθνος ἀποδιδόασιν ἑκάστοις τὰ ἀρχαῖα. *Concilia omnia singularum Achaiæ nationum, siue in Bœtia, siue in Phocensibus haberentur abolita: non multis pòst annis, Romani in Græciæ misericordiam versi, & prisca concilia suæ cuique genti restituerunt.* Galliâ armis partâ Cæsar eiusdem concilium
Lib. 6. de bell. Gall. passus est. Testis ipse: *Concilio Galliæ primo vere, vt instituerat indicto, cùm reliqui præter Senones, Carnutes, Treuirósque venissent, initium belli, ac defectionis hoc esse arbitratus, vt omnia postponere videretur, Concilium Lutetiam Parisiorum transfert.* Rebus pacatis D. Augustus, Narbone conuentum Galliarum egit. Florus: *Cùm ille Conuentum Narbo-*
Lib. 133. *næ egit, census à tribus Gallijs quas pater vicerat actus.* Inualescente imperio solennis iste ritus coueniendi intermortuus, multis pòst seculis reuixit Constitutione Honorij ad Agricolam P P. Galliarum, quâ edictum, vt singulis annis Arelate ageretur conuentus septem Prouinciarum Galliæ, è quibus erant Aquitania I. & II. & Nouempopulania. *Nam cùm*, hæc sunt verba

constitutionis, *propter priuatas, ac publicas necessitates, de singulis ciuitatibus, non solùm de prouincijs singulis ad examen magnificentiæ tuæ, vel honoratos confluere, vel mitti legatos, aut possessorum vtilitas, aut publicarum ratio exigat functionum, maximè opportunum, & conducibile iudicamus; vt seruata posthàc annis singulis consuetudine, constituto tempore in Metropolitana, id est in Arelatensi vrbe, incipiant septem Prouinciæ habere concilium, in quo planè tam singulis, quàm omnibus in commune consulimus: primùm vt optimorum conuentu sub illustri præsentia Præfecturæ, si id tamen ratio publicæ dispositionis obtulerit, saluberrima de singulis rebus possint esse consilia.* & infra. *Vnde illustris magnificentia tua, & hanc præceptionem nostram, & priorem sedis suæ dispositionem secuta, id per septem Prouincias in perpetuum faciet custodiri, vt ab Idibus Augusti quibuscumque medijs diebus, in Idus Septembris in Arelatensi vrbe nouerint honorati, vel possessores, iudices singularum prouinciarum annis singulis concilium esse seruandum, ita vt de Nouempopulana, & secunda Aquitania quæ prouinciæ longiùs constitutæ sunt, si earum iudices certa occupatio tenuerit, sciant legatos iuxta consuetudinem esse mittendos.* Hanc constitutionem primi dederunt Nicolaus Cusanus, & Iosephus Scaliger, sed vterque falsa inscriptione; nec enim est Constantini M. vt censuit Cusanus; neque Constantini Tyranni vt Scaligero visum, sed Honorij Augusti: vt eam restituit Iacobus Sirmundus ex fide veteris Codicis, quam tuetur & Hincmarus. Ex hac constitutione ad id Concilij conuenere Honorati, id est, curiales, vt subditur in fine Constitutionis; seu Senatores municipales: sic accipio hanc vocem hoc loco, vt in epistola Leonis I. P. ad Episcopos Viennẽsis prouinciæ: *Vota ciuium, testimonia populorum, honoratorum*

Lib. 3. de Concord. Cathol. c. 35. Auson. lect. lib. 1. c. 24. In Sidon. in epithal. Polem. & Araneol. ep. 6. c. 17. ep. 87. can. vota 63. dist.

arbitrium, electio clericorum, in ordinationibus sacerdotum expectantur. Aliàs passim in libris nostris Honorati sunt ciuili aut militari dignitate præditi: & Honoratorum tres sunt gradus, Illustres, Spectabiles Clarissimi. Eiusdem Concilij participes fuere possessores & Iudices Prouinciarum: possessores sunt plebeij, seu possessores prædiorum Prouincialium, qui non habebant verum dominium, sed possessionem, vnde possessores dicuntur. Iudices Prouinciarum sunt Rectores Prouinciarum, qui iudicum nomine signantur in libris nostris, vel magistratus municipales, qui ordinarij Iudices sunt. Gothi potiori parte VII. Prouinciarum Galliæ potiti, huiusmodi conuentus non vetuere. Imò & Alaricus Codicis Theodosiani breuiarium in solenni Episcoporum & electorum Prouincialium panegyri ratum fieri curauit: testis locuples ipse in Commonitorio præfixo eidem Codici: *Quibus omnibus enucleatis, atque in vnum librum prudentium electione collectis, hæc quæ excepta sunt, vel clariori interpretatione composita, venerabilium Episcoporum, vel electorum prouincialium vestrorum roborauit assensus.* Franci quoque Reges Galliâ vniuersâ in suam potestatem redactâ annuos conuentus excoluere. Præter alios Hincmarus in epistola ad Episcopos Franciæ: *Consuetudo autem tunc temporis talis erat, vt nō sæpiùs, sed bis in anno placita duo tenerentur; vnum quando ordinabatur status totius regni, ad anni vertentis spatium, quod ordinatum nullus euentus rerum, nisi summa necessitas, quæ similiter toto regno incumbebat mutabatur: in quo placito generalitas vniuersorum maiorum tam clericorum, quàm laïcorum conueniebat.* & mox: *Ceterùm autem propter dona generaliter danda, aliud placitum cum senioribus tantùm, & præcipuis consiliarijs habebatur in*

l. vn. C. de honor. vehi. l. 1. C. de offic. Ciuil. Iudic. l. vlt. C. de off. diu. Iudic.

l. 3. & tot. tit. C. de off. Rect. prou.

c. 29. & 30.

quo iam futuri anni ſtatus tractari incipiebat. Tum de rebus Aquitanicis agebatur in generali Francorum conuentu, in hoc damnati Sadrageſili Ducis Aquitaniæ liberi, & bonis paternis indigni pronunciati, ſecundùm legem Romanam ob inultam necem parentis, vt ſuperiùs obſeruauimus, ex Aymoino. Pulſis Ducibus, & Aquitaniâ in Regnum commutatâ, annuos Conuentus celebrauit Ludouicus P. primus Rex Aquitaniæ, ídque Toloſæ vt plurimùm, Narbonenſi Regno Aquitaniæ contributa. Autor vitæ Ludouici P. A. C. DCCXC. *Rex verò Ludouicus eodem anno Toloſæ placitum generale habuit.* & A. C. DCCXCVI. *Sequente porrò tempore Toloſam venit Rex, & conuentum generalem ibidem habuit.* & rurſus A. C. DCCCII. *Ipſo tempore Ludouicus Rex coacto populo Regni ſui Toloſæ, de his quæ agenda videbantur tractans deliberabat,* & in hoc cōuentu, vt ſubijcitur, talionis pœnâ damnati Vaſcones, quòd in Luitardi Comitis Fedentiaci homines igni ferróque ſæuijſſent A. C. DCCCIX. *Conuentum etiam Aquitanicum egit Ludouicus in quo bellum decretum aduersùs Vaſcones defectionis reos.* Idem Scriptor vitæ Ludouici P. *Succedente æſtate Rex Ludouicus accito populi ſui generali conuentu, retulit eis rumorem ſibi delatum, quòd quædam Vaſconum pars iampridem in deditionem ſuſcepta, nunc defectionem meditata in rebellionem aſſurgeret.* Conuentum agebat Ludouicus apud Theotuadum, ſeu Theodadam villam, vt legit Ademarus, quod oppidum erat in Aquitània, teſte Aymoino; cùm nuncium de morte patris accepit. In vita ipſius. *Quo in tempore Ludouicus Imperator concilium populo generale, quaſi quodam indixerat præſagio, in Purificatione ſanctæ Dei genitricis Mariæ in loco cuius vocabulum eſt, Theotuadus.* A. C. DCCCXXXII.

Lib. 4. c. 28.

Lib. 4. c. 102

conuentum repetijt Ludouicus P. in Iocundiaco Palatio, in finibus Lemouicum, vt Pipinum Regem Aquitaniæ res nouas molientem, & Bernardum consiliorum principem coërceret. In vita eiusdem: *Sed considerans Imperator quorumdam malorum hominum consilia, filij animum tam minis, quàm promissionibus ad deteriora festinantium peruertere, maximéque Bernardum verens, cuius consilio vti tunc dicebatur Pipinus, qui & ipse tunc in Aquitania morabatur, Ligeri transmeato cum suo commeatu ad Iocundiacum Palatium venit, in territorio Lemouicino situm, quo ventilatâ vtriusque causâ, Bernardus quidem cùm insimularetur infidelitatis, nec tamen vsque ad congressionem probator procedere vellet, honoribus priuatus est: Pipinum verò ob prauorum morum corruptionem, sub custodia priuata Treueros perduci iussit.* &c. A. C. DCCCXXXVI. Ludouicus P. conuentum celebrauit in pago Lugdunensi, in loco cui Stramiacus nomen, in quo de rebus Aquitanicis actum inde colligitur, quòd ibi in iudicium deducta est causa Gothorū, id est lis quæ erat inter Berengarium, & Bernardum Ducem Septimaniæ, quæ id temporis Aquitaniæ finibus continebatur. Etiam Carolus Caluus, Concilium habuit de disponendis Comitibus per Aquitaniam. In Chronic. Ademarus: *Karolus Caluus congregato Concilio Aquitaniam per Comites disposuit &c.* quo in loco coactum fuerit Concilium non expressum, sed in Aquitania habitum fuisse credi par est, cùm de rebus Aquitanicis ageretur.

Cap. III.


Aquitaniæ militaria præsidia sub Romanis, Aruernis, Pictauis, Blauiæ, Lapurdo. Eiusdem præsidia sub Francis.



IMPACATAS & feroces prouincias, quæ sine præsidio militari in obsequio contineri non poterant, Augustus in sua potestate retinuit, eisque legatum, id est Præsidem imposuit, è quibus fuere Aquitania, Celtica seu Lugdunensis, Belgica, & aliæ, teste Dione. Hâc ratione per Aquitaniam locis opportunis disposita præsidia, seu stationes militum numero quatuor. Primum fuit Aruernis in Aquitania I. Notitia Imperij Occidentis: *Sub dispositione Magistri militum, Præfectus Lætorum, Gentilium, Sueuorum, Aruernos, Aquitaniæ primæ.* Secũdum militare præsidium fuit Pictauis in Aquitania II. Notitia Imperij: *Sub dispositione Magistri militum, Præfectus Sarmatarum, & Tuifalorum*, lego Taifalorum *gentilium, Pictauis in Gallia.* Tertium Blauiæ, ad ostium Garumnæ in eadem Aquitania II. Notitia Imperij: *Sub dispositione Ducis tractus Armoricani, Præfectus militum Carronensium Blabia*; vnde Ausonius, Militarem Blauiam vocitat. Quartum Lapurdo, quæ est Baiona in Nouempopulana. Notitia Imperij: *Sub dispositione Magistri militum in Prouincia Nouempopulana, Tribunus cohortis Nouempopulanæ Lapurdo.* His præsidijs Aquitania tuta & quieta continebatur: imò tot prouinciæ Galliarum, adeò imperium Romanorum coluêre, vt mille & ducenti milites præsidio Ep. 10.

Lib. 2. de Bell. Iudaic. p. 806. satis essent; si fides Agrippæ apud Iosephum: Τοιγαροῦν ὑπὸ χιλίοις, καὶ διακοσίοις στρατιώταις δουλεύουσιν, ὧν ὀλίγου δεῖν πλείους ἔχουσι πόλεις. *Denique sub mille & ducentis militibus seruiunt, quibus penè plures habent ciuitates.* Aquitaniâ Pipino ereptâ, Carolus Caluus præsidio militari tres eius ciuitates muniuit, nempe Clarum-montem, quæ est Aruernorum Ciuitas, Lemouicas, & Engolismam. Lupus Ferrariensis, in epistola ad Ionatem, Aurelianensem Episcopum: *Pridie, hoc est tertio Idus Augustas post horam nonam, homines nostri ab expeditione Aquitanica reuersi, cuncta prospera retulerunt; namque Aquitaniæ tutela tripartitò diuisa est, secundùm opportunitatem locorum, militarium virorum multitudine distributâ, quarum vni parti, quæ apud Clarum-montem agit, præest Modoinus Augustodunensium Episcopus, & Autbertus Auallensium Comes cum alijs quibusdam: alteri quæ Lemouicis versatur præsidet Gerardus princeps quondam, & charus Pipini Regis, cum socijs ad idem negotium idoneis: Tertiæ verò prælatus est Reindandus Comes Engolismæ constitutus.*

Ep. 28.



Cap. IV.

Status Ecclesiasticus Aquitaniæ. Primates Galliarum, Arelatensis, Treuirensis, Lugdunensis. Archiepiscopus Bituricensis Primas Aquitaniæ. Controuersia de Primatu Aquitaniæ inter Bituricensem, & Burdegalensem Archiepiscopos, & vnde nata.



Vperioribus ciuilem & forensem Aquitaniæ statum expendimus, in sequentibus Ecclesiasticus eiusdem Prouinciæ status à nobis, Deo dante, illustrandus, cuius lucubrationis potissimæ

partes

partes erunt discussio primatûs controuersi, & legationis olim à Romanis Pontificibus institutæ in illo tractu. Ac primùm de Primatu Aquitanico agere conuenit, cui vt plenior lux accedat nonnulla prælibanda sunt de Primatibus Galliarum. Constitutione Honorij Augusti Arelate vrbs, ciuilem septem Prouinciarum Galliæ Primatum tulit, ita vt eò loci singulis annis celebraretur conuentus earumdem Prouinciarum, certatímque decreto Zozimi R. P. propter fidem Gallijs traditam à Trophimo primo huius sedis Antistite sacri primatûs accessione insignita, primatúmque Arelatensem firmarunt eum secuti Pontifices Symmachus, Vigilius, Pelagius, Gregorius I. Hâc ratione, iubente ipso Gregorio, Augustinus Anglorum Episcopus inauguratus ab Etherio Arelatensi Archiepiscopo, tamquam Primate Galliarum, teste Bedâ. Et Augustino consulenti quo modo se habere deberet cum Galliarum Episcopis, Gregorius respondit, ne quid tentaret in Episcopos Galliarum, quòd suus ipsis esset Primas, nempe Arelatensis Archiepiscopus. Rebus sic stantibus Aquitania Primatem Arelatensem agnoscebat, eóque ad Concilium conueniebant Episcopi Aquitanici, testis Hincmarus Rhemensis, in epistola ad Episcopos Rhemensis diœcesis. *Quæ temporibus Theodosij, & Honorij Imperatorum, Pontificatu Papæ Zozimi per septem Prouincias, scilicet Viennensem, Lugdunensem, Narbonensem primam & secundam, & Alpinam, & Nouam Populanam, & secundam Aquitanicam emanauit, vt de his prouincijs honorati vel possessores, iudices, & Episcopi præfatarum prouinciarum, ab Idibus Augusti quibuscunque mediis diebus, in Idus Septembris in Vrbe Arelatensi, quæ & Constantina vocatur, ad concilium forense, vel Ecclesiasticum*

Zozim. ep. ad Episc. Gall.

Symmach. ep. 6. ad Cæsar. Arelat.

Vigil. ep. ad Aurelian. Arel.

Baron. ad A. C. 556.

Greg. lib. 4. ep. 50. 52. 95. 96.

Beda lib. 1. cap. 28.

can. in Galliarum 25. qu. 2.

ep. 6. c. 17.

conuenirent, ita vt de Nouapopulana & secunda Aquitanica, quæ Prouinciæ longiùs constitutæ sunt; si eorum Iudices & Metropolitanos occupatio certa retineret, legatos suos iuxta consuetudinem mitterent, sicut in edicto præfatorum Imperatorum, & in epistolis Apostolicæ sedis Pontificum inuenitur. Inde consurrexere tres alij Primates in Gallijs, nempe Treuirensis in Belgica, Lugdunensis in Celtica, siue Lugdunensi, & Bituricensis in Aquitanica. Otho Frisingensis: *Vnde tribus his Gallijs tres Primates præesse volunt, Belgicæ Treuerensem, Aquitaniæ Bituricensem, Tertiæ Lugdunensem.*

Lib. 6 Chronic. cap. 13.

Quod ad Primatem Aquitaniæ, de quo nobis sermo propositus est, Primatis nomen nesciebat Bituricensis tempore Caroli M. solóque Metropolitani honore gaudebat, vt ex eo colligo, quòd in testamento Caroli recensentur Metropoles, quæ ipsius imperio continebantur, quo in elencho Bituricensis non alio quàm Metropolis nomine venit apud Eginartum: *Nomina Metropoliticarum ciuitatum ad quas eadem eleemosyna, vel largitio data est hæc sunt: Roma, Rauenna, Mediolanum, Forum Iulij, Gradus, Colonia, Moguntiacum Viuanum quæ & Saliburgum, Rotomagus, Treueri, Senones, Vesuntium, Lugdunum, Remi, Arelatum, Vienna, Tarantasia, Ebrodunum, Burdigala, Turones, Bituriges.* Primus Nicolaus I. P. Rodulphum Bituricensem Archiepiscopum Primatem agnouit, & Patriarchæ titulis cohonestauit, in epistola quæ legitur in Gratiani, & Iuonis decretis. Antè Desiderius Cadurcensis Episcopus Sulpitium Bituricensem Patriarchæ nomine decorauit, eíque inscripsit epistolam, *Sancto Patriarchæ Sulpitio.* Sed id ætatis Metropolitani Patriarchæ nomine designari solebant, vt in præfatione Synodi Matisconensis II. Priscus Lugdunensis

In vit. Caro. M. idem Sigeber. A. C. 810.

can. cōquestus 9. qu 3. apud Gratian. Iuo lib. 4. decret. Ep. 12.

Archiepiſcopus Patriarcha dicitur;in fine verò eiuſdem Synodi idem appellatur Metropolitanus: & Gregorius Turonenſis eodem Patriarchæ titulo adornabat Nicetium Archiepiſcopum Lugdunenſem,quamuis illâ tempeſtate ſoli Lugdunenſi prouinciæ præeſſet. Hâc ratione etiam Sulpitius Bituricenſis Patriarchæ nomine audijt, etſi re verâ eſſet tantùm Metropolitanus, vt liquet ex eo, quòd is vt Metropolitanus cum ſuis Prouincialibus memoratur apud Gregorium Turonenſem ſynodum celebraſſe apud Aruernam vrbem, litis causâ,quæ erat de finibus diœceſum inter Cadurcenſem & Rutenenſem Epiſcopos, qui parent Metropoli Bituricenſi. Multis ſeculis Bituricenſis Archiepiſcopus iure Primatûs inconcuſſo potitus eſt; ſed poſtquàm infelici Galliarum fato Aquitania tranſijt in poteſtatem Anglorum, Burdegalenſis Archiepiſcopus Geraldo Bituricenſi controuerſiam mouit de Primatu Aquitaniæ,qua de re ſcripſit Philippus A. ad Innocentium III. Eccleſiam Bituricenſem in toto ſuo regno Primatiæ ius obtinere; Lis tamen ab Innocẽtio terminata non eſt,vt colligitur ex ipſius epiſtolis, & ex eo quòd apud Honorium hac de re actum eſt, teſte Stephano Nouiomenſi in epiſtola ad Honorium III. relata à Roberto: nec non lis inſtaurata coram Gregorio IX. à quo tandem ſententia prouiſionalis lata ſecundùm Bituricenſem; quò pertinent nonnullæ ipſius decretales ſparſæ in collectione Raymundi. Huícque ſententiæ acquieuiſſe videtur Gerardus Burdegalenſis, qui Philippum Bituricenſem Primatem Aquitaniæ vocauit A. C. M. CCXLVII. & LVIII. vt nos docuit Robertus. Et certè, ſi quis meo iudicio locus, Bituricenſis Archiepiſcopus iure Aquitaniæ Pri-

Lib. 5. hiſt. cap. 20.

Lib. 6. hiſt. cap. 38.

Lib. 3. epiſt. 43. & 118. & lib. 4. ep. 64. & 65.

In Indic. Bituric. Archiepiſc.

cap. vlt. de dilat. cap. vlt. de dol. & contum. cap. vlt. de maior. & obed.

mas audiendus, I. Si vrbium dignitatem ſpectemus non iniuriâ Bituricenſis Eccleſia primatum ſibi vindicat in Burdegalenſem; nam Biturigum Ciuitas fuit celeberrima Galliarum. Liuius: *Celtarum quæ pars Galliæ tertia eſt, penès Bituriges ſumma imperij fuit, ij Regem Celtico dabant.* Tum Burdegalenſes, qui & Bituriges Vibiſci, ſunt coloni Biturigum Cuborum qui ſunt ad Ligerim, vnde Biturigum Viuiſcorum gens Straboni dicitur ἔθνος ἐν τοῖς Ἀκυιτανοῖς ἀλλόφυλον, *Gens peregrina in Aquitanis*, & Burdegali nomen Autore Iſidoro, *quòd Burgos Gallos primùm colonos habuerit*, id eſt Bituriges Ligeritanos, qui Burgi Galli dicerentur, atque ita Burdegalenſes velut coloni ſunt ſubiecti Metropoli, iure enim naturali colonia ſubeſt matrici, idémque obſequium ei debet, quòd liberi parentibus: nec aliâ ratione Albani de principatu certabant cum Romanis quòd hi eſſent illorum coloni, ὅσης γὰρ ἀξιοῦσι τιμῆς τυγχάνειν οἱ πατέρες, inquit Dionyſius Halicarnaſſeus, παρὰ τῶν ἐγγόνων τοσαύτης οἱ κτίσαντες τὰς πόλεις παρὰ τῶν ἀποίκων, *quē enim honorem parentibus liberi, eundem & coloni debent ſuis conditoribus.* & Coloniæ non modò matricibus cultum & reuerentiam exhibere tenentur, ſed etiam honoris ſigna quædam: τὰ γέρα τὰ νομιζόμενα, vt ſcribit Thucydides; quis ferat igitur Antiſtitem vrbis coloniæ de dignitate & primatu contendere cum Metropoli, & natum parenti obſequium denegare? II. Primatum origo repetenda eſt ex diuiſione, & ſectione Prouinciarū: diuiſis enim Prouincijs, pars illa primæ nomen obtinuit, cui Metropolis obtigit, quæ ante diuiſionem totius Prouinciæ caput erat, vt Narbonenſis I. dicta eſt, in qua Narbo, Lugdunenſis I. in qua Lugdunum, Aqui-

Lib. 5.
Lib. 4.
Lib. 15. Orig. c. 1.
Lib. 3.
Lib. 1 adde Strab. li. 10. pag. 331.

tania I. in qua Biturica, & primæ Prouinciæ Metropolitanus primus erat reliquarum eiusdem nominis & thematis Prouinciarum; quo iure Lugdunensis Archiepiscopus Primatum meruit quatuor Lugdunensium, nempe quòd Lugdunum esset Metropolis & matrix Primæ Lugdunensis. Gregorius VII. P. in epistolà ad Gebuinum Lugdunensem Archiepiscopum: *Quapropter inclinati precibus tuis confirmamus Primatum super quatuor Prouincias Lugdunensi Ecclesiæ tuæ, & per eam tibi, tuisque successoribus; Prouincias autem illas, quas vobis confirmamus, dicimus Lugdunensem, Rhotomagensem, Turonensem, & Senonensem, vt hæ videlicet Prouinciæ condignam obedientiam Lugdunensi Ecclesiæ exhibeant.* Quod in sequenti epistola repetit, & hoc argumēto primatum tueri videtur Ioannes Primæ Lugdunensis Sedis Archiepiscopus, in epistola ad Daimbertum Senonensem, apud Iuonem Carnotensem: *Si quidem cùm prima Lugdunensis Prouincia, Lugdunensis prouincia sit, nihilominùs secunda & tertia Lugdunensis Prouincia est: cùm ergo primæ Sedis Lugdunensis præsul, pro suis, aut illorum necessitatibus secundæ, vel tertiæ Prouinciæ Præsules vocat, non ad alienam prouinciam trahit, sed rationabili & iusto ordine seruato, inferiora membra ad caput reuocat, vt ei vel de aduersitate condoleant, vel de prosperitate congaudeant.* idem astruit Robertus Montensis de Ioanne E. Pictauiensi: *Annuente Papa Lucio clerici primæ Lugdunensis elegerunt eum in Archiepiscopum Lugdunensem, quæ sedes habet Primatum super tres Archiepiscopatus; prima enim Lugdunensis id est Lugdunum est super Rhodanum, secunda Lugdunensis super Sequanam id est Rothomagensis, tertia Lugdunensis super Ligerim id est Turonis, quarta Lugdunensis id est Senonis super Icanniam.* Atque ita Bituricen-

Lib. 6. ep. 34. 35.

Ep. 237.

In suppl. Sigebert. A. C. 1180.

ſem Aquitaniæ primatem eſſe negari non poteſt; cùm Biturigum ciuitas ſit caput & Metropolis Aquitaniæ I. è cuius vtero per vulnus exſectę ſunt alię prouinciæ cognomines, & minores Metropoles. Pari ratione in Mileuitano Concilio A. C. CCCCII. certatum inter Epiſcopos de Primatu Numidiæ, quòd duplex eſſet; ſed in eo Concilio Primatus vniuerſæ Numidiæ adiudicatus primæ ſedis Epiſcopo, hoc eſt Conſtantinæ, vt liquet
Ep. 217. ex epiſtola Auguſtini ad Victorinum, & Canone Concilij Mileuitani, qui eſt XXXV. Concilij Africani, cuius verba hæc ſunt: *Deinde placuit omnibus Epiſcopis qui in hoc Concilio ſubſcripſerunt, vt matricula, & archiuus Numidiæ, & apud primam ſedem ſit, & in Metropoli, id eſt Conſtantina.*

III. Aquitaniâ ex prouinciâ in regnum commutatâ à Carolo M. & Ludouico filio adhuc vagiente in cunis regni ſtemmate donato, Auaricum, id eſt Biturigum oppidum, caput regni Aquitanici extitit. Adreualdus: *Teſtatur hoc Pictauis fœcundiſſima quondam vrbs Aquitaniæ, hoc Sanctonum, hoc Engoliſma, hoc Petrogorium, hoc Lemouica, hoc certè Aruernus, terminus nunc vſque barbarici gladij, ipsúmque Auaricum caput regni Aquitanici proclamāt.* quod exſcripſit Vuillelmus Gemiticenſis: Et vt ferè ſemper Pontifices Reipublicæ ſtatum ſequi non dedignantur, ex epiſtola Anacleti, hinc facilè ſecutum, vt quæ ciuitas erat primaria, & caput totius Aquitaniæ in ciuili politia, primatum etiam apiſceretur in rebus ſacris: adeóque Bituricenſis Primatus eualuit, vt imâ Narbonenſis Prouincia à Sarracenis recepta, & Aquitanico regno contributa primatum Bituricenſem adiret, & ab eo iura peteret, vt obſeruatum ex ſupra laudata epiſtola Nicolai I. IV. Quo iure Burdegalenſes Archiepiſcopi

Lib. 1. de mirac. S. Benedict. c. 23.

Lib. 1. de geſt. Duc. Norman. cap. 8.

can. Prouinciæ 99. diſt.

Bituricensem Primatem eluctentur, qui toties proprio iudicio & testimonio eum admiserunt? certè Bituricensem Primatem agnouit Frotharius Burdegalensis Archiepiscopus, séque minorem fassus est, dum in Synodo Pontigonensi habita anno DCCCLXXVI. enixè petijt se transferri ad Cathedram Bituricensem, quæ tum vacabat, teste Continuatore Aymoini, quod is tandem obtinuit à Ioanne VIII. R. P. vt liquet ex ipsius epistolis; translatio enim Episcoporum non fit nisi de minori sede ad majorem, ex Canone Concilij Sardicensis, & moribus Ecclesiæ. Anno M.C.LXXXVII. Helias Burdegalensis Archiepiscopus scribens ad Vrbanū III. Henricum Bituricensem suum Primatem nuncupauit; Bituricensem etiam superiorem, & Primatem agnouit Vvillelmus Burdegalensis, teste Stephano Nouiomensi in supra laudata epistola ad Honorium III. V. Romani Pontifices, quorum iudicium suprema lex est, sacro oraculo Bituricensem Primatē pronunciarunt: prior, vt supra dixi, Nicolaus I. Bituricensem Primatem, & Patriarcham inscripsit, & Primatûs iuri modum imposuit Alexander III. anno M. C. LXIV. Petro Bituricensi Archiepiscopo, ius primatus in Prouinciam Burdegalensem, & in ea ius crucem præferendi, & vsum pallij confirmauit, Idem Henrico Bituricensi concessum à Lucio III. anno M.C.LXXXIII. & ab Vrbano III. M.C.LXXXVII. & à Clemente III. M. C. LXXXVIII. idem ius ratum habuit Celestinus III. anno M. C. LXXXXII. Guillelmo Bituricensi ius Primatûs confirmauit & Innocentius III. anno M. CC. & post hæc primatu in controuersiam deducto apud Gregorium IX. de possessione lata sententia secundùm Bituricensem, vt obseruatum à Ro-

Lib. 5. c. 33.
Ep. 8. 13. 14. 37.
can. 1. Socr. lib. 7. c. 35.

berto. Vnus è tot Pontificibus Clemens V. primatum Aquitaniæ è sede Bituricensi ad Burdegalensem tran- A.C. 1305. stulit, vt auctores sunt Matthæus Vvestmonasteriensis, & Valsinganus; sed est quòd notetur ambitiosum decretum Pontificis, qui in Ecclesiam Burdegalensem quâ sederat propensior fuit. VI. Accedit Patrum Galliæ testimonium, Bituricensem Archiepiscopum primatem In Chron. A. C. 866. Aquitaniæ intellexit Ado Viennensis, cùm eum Archiepiscopum Aquitanorum vocitauit: *Nec non & Rodulphus Archiepiscopus Aquitanorum.* Primatem agnouit & Iuo Carnotensis, qui Nicolai I. episto- Lib. 4. decr. ep. 65. & 236. lam Rodulfo Aquitaniarum primati scriptam, decreto, & epistolis intexuit. Guillelmum qui in Diuos relatus est, ex Abbate Caroliloci per compromissum electum in Archiepiscopum Bituricensem, & totius Aquitaniæ Primatem scripsit eius vitæ Autor apud Su- Tom. 1. Ian. 10. rium. Denique nostris decantatissimus Primas Bituricensis, Guillelmus Brito. Lib. 12.

Nec non Biturigus Turono cum præsule Primas.

Nec contemnendum Iureconsultorum testimonium, qui passim Bituricensem Archiepiscopum Primatem In rubr. de stat. hom. in Repert. in v. primas. in tract. de Aut. M. cóc. num. 51. 53. de cler. 4. part. 21. consid. Aquitaniæ celebrant, vt Albericus, Bartholomæus Brixianus, Boërius, Chassaneus, & Cl. vir Ph. Bertefius Præses Tolosanus, felicissimus parens Ioannis Bertetij Principis Senatus Tolosani, qui virtute & meritis Rempublicam illustrat. Sanè Aquitaniâ in Anglorum ditionem transfusâ: Burdegalensis Archiepiscopus Diatrib. 2. cap. 5. Bituricensi primati sese subducere adnisus; sed hoc flagitium Anglorum, qui vt summam rerum ad se reuocarent, etiam sacrum Aquitaniæ primatum à ceruicibus depellendum duxerunt. Non aliter atque olim Salomon

mon Britonum Regulus, Britanniam à Turonensi Metropoli euindicare contendit, ne Francos vlla ex parte superiores pateretur. Eodémque animo Henricus II. Rex Anglorum Aquitaniâ iure vxorio quæsitâ, Bituricensem Archiepiscopatum asserebat quasi ad Ducatum Aquitanicum spectaret, de quo Rogerus Houedenus: *Iterum Henricus Rex Angliæ pater calumniatus est, Archiepiscopatum Bituricensem debere adjacere Ducatui Aquitaniæ; sed Ludouicus Rex Franciæ modis omnibus contradicebat*, & reuerâ, scissio regni nihil pertinet ad statum Ecclesiarum, vt olim scripsit Ioannes VIII. dicto Salomoni, super pari controuersia de Metropoli Britanniæ inter Turonensem Archiepiscopum, & Dolensem Episcopum. *Neque enim Ecclesias Dei, per discordias Regum; diuisionis aliqua pati damna necesse est, cùm quantùm ex se est pacem quam prædicant, seruare studeant inuicem & in omnes.* A. C. 1179. can. hæc quippe 3. qu. 6.

Cap. V.

Legati Sedis Apostolicæ. Legati Aquitaniæ. Legationis Aquitaniæ fines.

ALTER sacri status Aquitaniæ axis fuit legatio à Romanis Pontificibus olim instituta in illis partibus, de qua nunc agere propositum nobis est. Varij sunt gradus Legatorum Sedis Apostolicæ, alij sunt Legati à latere, qui è latere Pontificis, id est è sacro Comitatu, & Cardinalium Collegio mittuntur. Vnde laterales vocat Iuo Carnotensis, in epistola ad Paschalem II. *Cùm enim à latere vestro mittitis ad nos Cardinales vestros tanquam filios* c. 1. de off. legat. in 6. Ep. 109.

vterinos, quia in tranſitu apud nos ſunt, non tantùm non poſſunt curanda curare, ſed nec curanda proſpicere, inde eſt quòd multi præpoſitorum facta gladio linguæ ferire cupientes, dicunt ſedem Apoſtolicam non ſubditorum quærere ſanitatem, ſed ſuam, aut lateralium ſuorum quærere commoditatem. λεγάτους ἐκ προσώπου vocat Balſamo. λεγάτοι δ' εἰσὶν οἱ ἐκ προσώπου λεγόμενοι, ὅιτινες καὶ μερικὴν δικαιοδοσίαν ἔχουσι: *Sunt autem legati, qui à facie dicuntur, qui etiam particularem habent iuriſdictionem.* Alij ſunt legati ex Epiſcopis, vel Diaconis Eccleſiæ Romanæ, qui à Pontifice deſtinantur ad Imperatorem, aut Reges, qui res Sedis Apoſtolicę apud eos procurent: veteribus Apocriſiarij, ſeu Reſponſales, quos ab eo tempore, quo Imperij ſedes à Conſtantino Byzantium tranſlata, inſtitutos refert Hincmarus, vt rebus Apoſtolicæ ſedis proſpicerent *Videlicet*, hæc ſunt verba Autoris, *per Apocriſiarium, id eſt reſponſalem negotiorum Eccleſiaſticorum, cuius miniſterium ex eo tempore ſumpſit exordium quando Conſtantinus, &c.* & pòſt. *Et ſic Reſponſales tam Romanæ Sedis, quàm & aliarum præcipuarum ſedium in Palatio pro Eccleſiaſticis negotijs excubabant.* Id legationis officium erat penès Epiſcopos, aut Diaconos Romanæ Eccleſiæ: eo functus Gregorius adhuc Diaconus, teſte Ioanne Diacono eius vitæ ſcriptore: *Nec multò pòſt reſponſis Eccleſiaſticis ad vrbem Conſtantinopolim à Pelagio præſule deſtinatur.* Eaſdem vices Anathalio Diacono ſe commiſiſſe teſtis Gregorius M. *Dilectiſſimum autem filium meum Anathalium diaconum, quem ad facienda reſponſa Eccleſiæ, in vrbem Regiam tranſmiſi.* Nonnumquã etiam ad id miniſterij à Pontifice ſeligebantur Epiſcopi. Hincmarus: *Aliquando per Epiſcopos, aliquando verò per Diaconos Apoſtolica ſedes hoc officio fungebatur.* & huiuſmodi

In Synod. 6. In Trull. in pr.

In epiſt. ad Epiſc Fran. cap. 14.

Lib. 1. c. 16.

Lib. 6. ep. 191.

d. ep. c. 14.

legati nonnumquam de minoribus causis Episcoporũ, etiam in ipsa Constantinopoli cognoscebant; vt causæ cognitionem de Adriano Thebano Episcopo, Responsalibus qui erant in vrbe Regia, id est Constantinopoli mandauit Gregorius, Autor ipse in epistola ad Ioannem Episcopum Larissæum: *Et secundum scripta decessoris nostri, si qua causa, vel fidei, vel criminis, vel pecuniaria aduersùs præfatum Adrianum consacerdotem nostrum potuerit euenire, vel per eos qui nostri sunt, vel fuerint in vrbe Regia Responsales, si mediocris est quæstio cognoscatur, vel huc ad Apostolicam sedem, si ardua est, deducatur.* Alij sunt legati Prouinciales Episcopi, vel Archiepiscopi, quibus ratione Ecclesiarum suarum legatio committitur; vt Archiepiscopus Arelatensis fuit Primas, & legatus Galliarum, ex vetustissimo priuilegio, quod ab Hormisda & Gregorio I. & alijs Pontificibus ratum habitum. Archiepiscopus Cantuariensis est Primas & Legatus in Anglia ex priuilegio concesso Theobaldo Cantuariensi Archiepiscopo & successoribus ab Innocentio II. Inde hi legati nati dicuntur in Anglia, teste Polydoro Vergilio. Pisano Episcopo, & successoribus vices suas commisit Gregorius VII. in Corsica Insula, quæ est iuris S. Petri. Alij fuere legati eiusdem ordinis, quos S. Pontifex habuit in certis prouincijs orbis Christiani, ratione personæ, non cathedræ. Sic Leo M. Anastasium Episcopũ Thessalonicensẽ Vicarium Sedis Apostolicæ instituit per Orientẽ, & Potẽtium in Regionibus Africę. Acacio Constantinopolitano P C. solicitudinẽ Ægypti commendauit Gelasius I. & antè Celestinus Cyrillo Alexandrino P C. vicariam in Patriarchatum Constantinopolitanum. Hormisdas Sallustium Episcopum Hif-

Lib. 2. Ind. ep. 7.

Hormisdas ep. 30. Gregor. lib. 4. ep. 95.

Lib. 13. Rer. Anglic.

cap. 2. de æt. & qual. præfic. c. 1. de off. legat.

Gregor. 7. lib. 6. ep. 12.

Ep. 84. & 87

Ep. 13.

palenſem per Beticam & Luſitaniam vicarium ordinauit. Idem Hormiſdas Remigium Rhemenſem vicarium ſuum conſtituit in Gallia, ſaluo priuilegio Epiſcopi Arelatenſis. Idémque Ioanni Epiſcopo vices ſuas commiſit in vniuerſa Hiſpania. Vigilius vicarium Sedis Apoſtolicæ per Illyricum fecit Epiſcopum primę Iuſtinianæ, quem Gregorius I. ſecutus eſt. Gregorius vices ſuas commiſit Maximiano Epiſcopo Syracuſano in Sicilia, Leandro Hiſpalenſi Epiſcopo per Hiſpaniam non loco, ſed perſonæ. Martinus I. Ioannem Philadelphiæ Epiſcopum Legatum, & vicarium ſuum in Oriente conſtituit aduersùs Monothelitas. Carolo Martello rerum ſummam tenente Gregorius II. legationis faſtigium per Galliam & Germaniam Bonifacio Epiſcopo Moguntino conceſſit. Tempore Caroli Calui Sergius. II. Drogoni Metenſi Epiſcopo legationem Galliarum tribuit, ſed ille refragantibus Galliæ Epiſcopis offenſam veritus, vltrò legatione abſtinuit, teſte Hincmaro. Legatione Galliarum diu functus Hugo Dienſis Epiſcopus ſub Gregorio VII. & Vrbano II. Denique Pontifices frequentiſſimè huiuſmodi legatos emiſerunt in Galliam, ex quo Primatus, & legatio Arelatenſis euanuit. Gregorius VII. *Inde eſt quòd Arelatenſis Eccleſia non ſolùm à B. Gregorio, ſed etiam à pluribus eius ſanctis anteceſſoribus, cùm haberet vicem Sedis Apoſtolicæ, vt omnes Epiſcopos totius Regni Francorum, quod tunc latiùs extendebatur, ad Concilium conuocaret, eóſque in iudicio conſtrinxerit, ſinè cuius licentia nullis ex ſupradictis Epiſcopis longè à ſuo Epiſcopatu fas erat abire, poſt aliquot tempora pro quibuſdam cauſis prædicta poteſtas, & auctoritas ceſſauit, & ſuam,*

Ep. 1. Flodoard. lib. 1. c. 15. Fortu. in vit. S. Remig. Alex. 11. ep. ad Geruaſ. Rhe.

can. ſeruatis 25. qu. 2.

Lib. 2. Ind. 10. ep. 7.

ep. 31.

ep. 6. c. 30.

Conc. Vormat. can. 11.

Greg. 7. lib. 9. ep. 30. & 32.

Sigebert A. C. 1080. & 1098.

Iuo Carno. ep. 109.

Lib. 6. ep. 2.

vicem aliis, quibus placuit, Sedes Apostolica concessit. Ceterùm Pontifex non solùm vniuersæ Galliæ legatos præfecit, sed etiam certis Prouinciis, vt Aquitaniæ. Sedis Apostolicæ vices in Aquitania perfunctus Amatus Episcopus Oloronensis, sub Gregorio VII. & Synodo Burdegalensi præfuit, ut Gregorius ipse testis est. Amato in legatione Aquitaniæ successit Gerardus Episcopus Engolismensis, sub Paschali II. isque interfuit Concilio Lateranensi anno M. CXII. maximéque operam dedit, vt priuilegium de inuestituris, quod vi à Paschali per Henricum V. Imperatorem elicitum fuerat, in irritum reduceretur, teste Abbate Vrspergensi & Vvillelmo Malmesburiensi. Innocentio II. canonicè in Pontificem electo, non sine æmulo Petro Leonis schismatico, Gerardus statim per litteras adijt Innocentium, petiitque ab eo legationis confirmationem, ac repulsæ impatiens ad Petri Leonis partes defecit, & ab eo legationem sceleris præmium tulit, & quò tutior esset, Guillelmum Ducem Aquitaniæ sua in studia pertraxit, quam ob caussam vterque diris pontificijs multatus. Sed Dux D. Bernardi monitu, ad sanam mentem redijt, & anathemate solutus, cum sanctitatis laude vitam finijt; ille nefarium schisma ad extremum spiritum fouit, & infelicem vitæ exitum sortitus, quæ omnia colliguntur ex vita D. Bernardi. Gerardus itaque ab Innocentio depulsus legatione Aquitanicâ, successorem accepit Gaufridum Carnotensem Episcopum anno M. C. XXXIV. is operâ & cônsilio D. Bernardi vsus est, vt Guillelmum Ducem ad meliorem frugem reuocaret, nec prætermittenda insignis eius laus, quam memorat D. Bernardus, nempe quòd plures per annos huiusmodi legationem suis sum-

Lib. 1. ep. 1. 3. 4. 23. 24. lib. 6. ep. 25.

ad A. C. 1112.

Lib. 5. de Gestis pont. Anglor.

Baron. tom. 11. Annal. A. C. 1111. n. 9.

Lib. 2. c. 6. Baron. tom 11. Annal. A. C. 1134.

Vit. D. Bernard. lib. 2.

ptibus obierit, & fœdam è ministerio auaritiæ labem

Lib. 4. de considerat. exemerit. *Sed ô mihi locum suauem*, hæc sunt eius verba, *vbi incidit occasio memorandi & nominandi suauissimi odoris virum Episcopum loquor Gaufridum Carnotensem, qui legationem in partibus Aquitaniæ proprijs sumptibus strenuè administrauit, idque annos plures, &c.* Legatio autem Aquitanica non modò Aquitaniæ fines complectebatur; sed etiam in tertiam vsque Lugdunensem porrigebatur: qua de causa Geraldus, Legatus Aquitaniæ de multis cognouit, quę ad tertiam Lugdunensem pertinebant, vt de causis Abbatum S. Albini, & S. Nicolai Diœcesis

Lib. 1. ep. 6. 19. & 26. Ep. 38. Andegauensis apud Goffridum Vindocinensem. Et de causa Abbatis Ebronensis Cœnomannorum apud Hildebertum: & Gaufridus etiam Aquitaniæ legatus, de dissidio inter Decanum,& Canonicos Turonenses suborto, teste eodem Hildeberto.

Ep. 68. Eosdem legationis Aquitanicæ terminos ponit Bernardus Abbas Bonæ val-

Lib. 2. vit. D. Bernard. cap. 6. lis,vbi de casu ipsius Geraldi scribit: *Erubescebat*,inquit, *ad primam domum redire, cuius potentatui & Turonica, & Burdegalensis, & Auxiensis Prouinciæ subditæ fuerant, & quicquid à collibus Iberorum vsque ad Ligerim complectitur & claudit Oceanus paruerat eius imperio*: Imò & lati' Aquitanicę legationis fines in Frāciā & Burgūdiā producere adnisum dictū Geraldum, testis ipse Bernardus Clareuallensis in Epistola ad Episcopos Aquitaniæ: *En ille*

Ep. 126. *totam,vt is gloriatur Franciam, atquę Burgundiam legationi antiquæ superaddidit.* Galliæ diu graues, & molesti fuere huiusmodi Legati Sedis Apostolicæ ob auaritiam, & fastum, & abiectionem Episcoporum, & Metropolita-

Lib. 1. c. 4. A. C. 1080. norum, vt constat ex Glabro Rodulpho; Chronico

Ep. 44. & 68 Ep. 290. Altissiodorensi, Iuone Carnotensi, Bernardo Clareual-

lensi, Ioanne Saresberiensi, & Hildeberto: sed tandem obclamantibus Episcopis Galliæ consuluere Pōtifices, & huiusmodi prouinciales legatos obtrudere desierunt, ex quo iam labefactata conualuit Metropolitanorum & Primatum potestas. ep. 232. & lib. 5. Policrat. c. 15. ep. 68.

Cap. VI.

Origo Aquitanorum. Aquitania armis subacta ab Hannibale. Allobroges, Aruerni, Ruteni, armis deuicti à Q. Fabio Maximo. Aquitani fere vniuersi ante aduentum Cæsaris erant sub ditione Aruernorum, Rex Aruernorum. Rex Nitiobrigum. Vascones è Pyrenæi iugis à Pompeio depositi, & in vnum oppidum collecti, cui nomen Conuenæ.

GALLIÆ & Aquitaniæ res in obscuro fuere, donec victricibus Romanorum armis, & commercio illustratæ, multis antè seculis latuerunt hæ gentes, indigenarum penuriâ scriptorum, dum Galli magis memoriâ digna facere, quàm litteris commendare curarent. Zamothem, & eius posteros primos ab vniuersali orbis cataclismo, Galliarum colonos, gentísque conditores celebrat Berosus. Aquitanos è Magog Zamothis filio prognatos opinatur Autor Chronici Alexandrini: *γόμερ ἐξ οὗ χελτοῖοι μαγὼγ ἐξ οὗ Ἀκυϊτανοὶ.* Troianos euerso Iliototo orbe errātes classe in Oceanū delatos Duce Corine in Aquitaniā apulisse, & aliquot prçliis deuicto Gostario Picto rū Rege

Aquitaniæ multa præda onuſtos perueniſſe in Albiõ inſulã ibiq; ſedes fixiſſe tradidit Galfridus Monumetenſis. Sed mitto fabulas, quas refellere otioſum ſit, & noſtrarum rerum hiſtoriam, ab his ſeculis repeto, quæ fabulis & monſtris expurgata veritatem, & fidem coluerunt. Primi Carthaginenſes Aquitaniam armis luſtrarunt Duce Hannibale, qui ex Hiſpania expeditionem comparans in Italiam per Gallias, ſuperato cum ingentibus copijs Pyrenæo mõte, Aquitaniã quæ ad radicẽ Pyrenæi iacet, bello ſubegit, & Hãnonem regioni cum validiori præſidio præfecit, ne fortè rebus malè cedentibus in Italia, reditus in Hiſpaniam intercluderetur, & ne expeditioni moram faceret, vbi caſtra poſuit ad Illiberim oppidũ, Galliæ regulos, donis ſibi per legatos conciliauit, & pacatum tranſitum repromiſit, palàm obteſtatus ſe hoſpitem Galliæ, non hoſtem aduenisse. Liuius: *Ilergetes, inde, Barguſioſque, & Auſetanos, & Aquitaniam quæ ſubiecta Pyrenæis montibus eſt, ſubegit, oræque huic omni præfecit Hannonem, vt fauces quæ Hiſpanias Gallijs iungunt in poteſtate eſſent, decem millia peditum Hannoni ad præſidium obtinendæ regionis data, & mille equites, &c.* Quod & confirmat Polybius, & Silius Italicus. A Romanis primùm bello tentati Salij Galli, per Sextium à quo deuicti, conditáque Colonia Aquæ-Sextiæ ob ſalubrium aquarum copiam. Belli inferendi cauſa fuit, quòd Maſſilienſium ſociorum P. R. fines inuaſiſſent: tum Romanorum arma experti Allobroges, Aruerni, & Ruteni, híque ad internecionem fere deleti à Fabio Maximo, qui Allobrogicus dictus eſt, captus Bituitus Rex Aruernorum & Albam in Italia cuſtodiæ causâ relegatus. Victis pepercit P. Romanus, neque eos tum in prouinciæ formam redegit.

Lib. 1. rerum Britan. c. 12. & ſeq.

Decad. 3. lib. 1.

Lib. 3.
Lib. 3.

Florus li. 61.
Strab. lib. 4.
Valer. Max. lib. 9. c. 6.
Ammian. lib. 15.

redegit. Cæsar: *Bello superatos esse Aruernos & Rutenos à Q. Fabio Maximo, quibus populus R. ignouisset, neque in prouinciam redegisset, neque stipendium imposuisset.* His temporibus Aquitania, & aliæ Galliarum partes sub diuersis Regulis agebant, verùm communis Concilij vinculo coniungebãtur, suos Reges habebant Aruerni, quorum ditio vniuersam fere Aquitaniam complectebatur, & ad Pyrenæum & Oceanum vsque porrigebatur. Strabo: Διέτειναν δὲ τὴν ἀρχὴν οἱ Ἀρουέρνοι μέχρι ναρβῶνος, καὶ τῶν ὅρων τῆς μασσαλιώτιδος, ἐκράτουν δὲ καὶ τῶν μέχρι πυρήνης ἐθνῶν, καὶ μέχρι ὠκεανοῦ καὶ Ῥήνου. *Propagauerunt Aruerni suam dominationem, vsque ad Narbonem, & fines Massiliensis ditionis, gentésque ad Pyrenem vsque & Oceanum, & Rhenum subegerant.* Aruernis paruisse Heleuteros, Cadurcos, Gabalos, Velaunos, testis ipse Cæsar: *Parem numerum Aruernis adiunctis Heleuteris, Cadurcis, Gabalis, Velaunis, qui sub imperio Aruernorum esse consueuerunt.* In summa hæ fuerunt opes Regis Aruernorum, vt Luerius pater Bituiti aliquando in pompa curru veheretur, argentum & aurum spargens in plebem, vt referunt Strabo & Atheneus. Regem suum habuere & Nitiobriges Aquitani: Ollouiconem, & Theutomatum eius filium, vtrumque Regem Nitiobrigum memorat Cæsar, quorum hunc suis partibus aduersùs Vercingetorigem stetisse narrat, illum ob merita amicum P. R. à Senatu appellatum: *Theutomatus Ollouiconis filius Rex Nitiobrigum, cuius pater ab senatu nostro amicus erat appellatus, cum magno equitum suorum numero & quos ex Aquitania conduxerat ad eum peruenit.* Cimbri finibus suis egressi nouarum sedium quærendarum causâ, in Galliam irrupere, & quicquid terrarum inter Rhoda-

Lib. 1. de bell. Gall. cap. 10.

Lib. 4.

Lib. 7. de bell. Gall.

Lib. 4.

Lib. 4. c. 13.

Lib. 7. de bell. Gallic.

num & Pyrenæum patet (quo continetur Aquitania) vastarunt; verùm posteà à Mario victi. Florus: *Cimbri vastatis omnibus, quæ circa Rhodanum, & Pyrenæum sunt, per saltum in Hispaniam transgressi, &c.* Ante Cęsaris aductum Romanis Galliarū Imperio inhiātib', Aquitania bello petita à Valerio Præconino, & rursus à Manilio, sed infeliciter ab vtroque pugnatū. I. Cæsar: *Eodē fere tempore P. Crassus. cùm in Aquitaniam peruenisset, cùm intelligeret in illis locis sibi bellū gerendū, vbi paucis ante annis L. Valerius Præconinus legatus exercitu pulso interfectus esset, atque vnde L. Manlius Procos. impedimentis amissis profugisset, non mediocrem sibi diligentiam adhibendam intelligebat, &c.* Pompeius victo Sertorio, edomitâque Hispaniâ ad triumphum properās, Vascones Pyrenæi iugis deposuit, & in vnum oppidum cōgregauit, vnde huic Conuenarum nomen, quod ad radicem Pyrenæi in finibus Aquitaniæ situm est. Hieronymus de Vigilantio: *Nimirum respondet generi suo, vt qui de latronum & Conuenarum natus est semine quos Cn. Pompeius edomitâ Hispania, & ad triumphum redire festinans, de Pyrenæi iugis deposuit, & in vnum oppidum congregauit vnde & Cōuenarum vrbs nomen accepit.* Sic vocem Latinam Cōuenarum explicat Strabo: τὴν τῶν Κονουένων ὅπερ ἐστὶ συγκλύδων: *Vrbem Conuenarum, hoc est collectitiorum hominum.* Et Plinius: *Mox in oppidum contributi Conuenæ.* Cōuenæ Romanis, sunt populi de diuersis locis collecti. Seruius illo loco Virgilij,

Lib. 67.

Lib. 3. de bell. Gall.

Aduersùs Vigilant. & Isidorus lib. 9. Orig. c. 2.

Lib. 4.

Lib. 4. c. 19.

Tunc manus Ausoniæ.

Indigenæ sunt inde geniti: aduenæ loco venientes, Conuenæ de diuersis.

Lib. 8. Æne.

Cap. VII.

Aqnitania à Cæsare armis subacta per P. Crassum Legatum. Sotiatum oppidi obsidio & deditio. Defectio Gallorum & Aquitanorum à Cæsare, Vercingetorige Duce. Vxellodunum Cadurcorum oppidum obsidione oppugnatum à Cæsare. Lucterus Cadurcus vir audax. Cæsar componit Aquitaniam. Aquitani Cæsari militarunt in bello Ciuili, Rutheni sagittarij.



IVl. Cæsar Galliam vniuersam decimo anno subegit, & stipendiariam fecit, Aquitaniam maxima ex parte in ditionem, potestatémque redegit per Legatum, is fuit P. Crassus, qui Sotiatum, vel Sontiatum, quos Athenæus vocat Lib. 6. c. 13. σωτιανὺς, cum valida manu fines ingressus, eos in itinere prælio vicit, vrbe eorum obsessâ illis quidem fortiter resistentibus, sed eruptione per cuniculos frustra tentatâ, armis obsidibúsque traditis in deditionem eos accepit. Post hos cùm in Vocates, & Tarusates mouisset, Aquitani Sotiatum clade permoti, vndique copias contrahunt, è citeriori Hispania auxilia accersunt, duces eliguntur rei militaris peritissimi, qui plures annos sub Sertorio meruerant. Hi cùm pugnam detrectarent quòd intercluso commeatu rei frumentariæ inopiâ hostem sinè ferro vinci posse sperarent, Crassus eos ex improuiso in castris adortus, ad internecionem ferè de-

leuit, ex quinquaginta millium numero vix quartâ parte superstite. Hoc rerum euentu territæ reliquæ fere omnes Aquitaniæ ciuitates, paucis exceptis, conditiones pacis acceperunt, rem fusiùs narrat Cæsar, cuius verba audire præstat: *Eodem fere tempore P. Crassus, cùm in Aquitaniam peruenisset, quæ pars vt ante dictum est, & regionum latitudine, & multitudine hominum, ex tertia parte Galliæ est existimanda, cùm intelligeret in illis locis sibi bellum gerendum vbi paucis ante annis L. Valerius Præconinus Legatus, exercitu pulso interfectus esset, atque vnde L. Manilius* Procos. *impedimentis amissis profugisset, non mediocrem sibi diligentiam adhibendam intelligebat: itaque re frumentariâ prouisâ, auxilijs equitatúque comparato, multis prætereà viris fortibus Tolosâ, Carcassone, & Narbone, quæ sunt Ciuitates Galliæ, Prouinciæ finitimæ, ex his regionibus nominatim euocatis, in Sotiatium fines exercitum introduxit, cuius aduentu cognito Sotiates magnis copijs coactis equitatúque quo plurimum valebant, in itinere agmen nostrum adorti, primum equestre prælium commiserunt: deinde equitatu suo pulso, atque insequentibus nostris subito pedestres copias quas in conualle in insidijs collocauerant ostenderunt, hi nostros disiectos adorti prælium renouauerunt, pugnatum est diu, atque acriter, cùm Sotiates superioribus victorijs freti, in sua virtute totius Aquitaniæ salutem positam putarent; nostri autem quid sinè Imperatore, & sinè reliquis legionibus adolescentulo duce efficere possent perspici cuperent, tamen confecti vulneribus hostes terga vertêre, quorum magno numero interfecto Crassus ex itinere oppidum Sotiatium oppugnare cœpit, quibus fortiter resistentibus vineas, turrésque egit, illi aliàs eruptione tentatâ, aliàs cuniculis ad aggerem, vineásque actis, cuius rei sunt longè peritissimi Aquitani, propterea quòd multis locis apud eos ærariæ secturæ sunt, vbi diligentiâ*

Lib. 3. de bell. Gallic. Idem Dio lib. 39. & P. Oros. lib. 6. cap. 8.

444

Sontiates son les peuples de la Diocesis de Lectoure, comme fu Ablancurt, contra Larca, en sus Remarques sobre la carta de antiq. Gallia

id est Lectoure, segun Ablancurt

nostrorum nihil his rebus profici posse intellexerunt legatos ad Crassum mittunt, séque in deditionem vt recipiat petunt: quâ re impetrata arma tradere iussi faciunt, atque in ea re omnium nostrorum intentis animis alia ex parte oppidi Adcantuannus qui summam imperij tenebat, cum DC. deuotis, quos illi Soldurios appellant, quorum hæc est conditio vt omnibus in vita commodis vnà cum his fruantur quorum se amicitiæ dediderint, si quid ijs per vim accidat, aut eundem casum vnà ferant, aut sibi mortem consciscant: neque adhuc hominum memoria repertus est quisquam, qui eo interfecto cuius se amicitiæ deuouisset, mori recusaret; cum ijs Adcantuannus eruptionem facere conatus clamore ab ea parte munitionis sublato, cùm ad arma milites concurrissent, vehementérque ibi pugnatum esset, repulsus in oppidum est, vti tamen eadem deditionis conditione vteretur à Crasso impetrauit, armis, obsidibúsque acceptis Crassus in fines Vocatium & Tarusatium profectus est. Tum verò Barbari commoti quòd oppidum & natura loci & manu munitum paucis diebus quibus eò ventum erat expugnatum cognouerant, legatos quoquo versus dimittere, coniurare, obsides inter se dare, copias parare cœperunt: mittuntur etiam ad eas ciuitates legati, quæ sunt citerioris Hispaniæ, finitimæ Aquitaniæ, inde auxilia, Ducésque accersuntur, quorum aduentu magna cum auctoritate & magna cum hominum multitudine bellum gerere conantur; Duces verò ij deliguntur, qui vnà cum Q. Sertorio omnes annos fuerant, summámque scientiam rei militaris habere existimabantur, ij consuetudine populi R. loca capere, castra munire commeatibus nostros includere instituunt: Quod vbi Crassus animaduertit, suas copias propter exiguitatem non facilè diduci, hostem & vagari, & vias obsidere, & castris satis præsidij relinquere, ob eam causam minùs commodè frumentum, commeatúmque sibi supportari, in dies hostium nu-

merum augeri, non cunctandum existimauit, quin pugna decertaret. Hac re ad concilium delata, vbi omnes idem sentire intellexit, posterum diem pugnæ constituit, prima luce productis omnibus copiis, duplice acie instructa, auxiliis in mediā aciem collocatis, quid hostes consilij caperent exspectabat; illi etsi propter multitudinem, & veterem belli gloriam, paucitatémque nostrorum se tutò dimicaturos existimabant, tamen tutius esse arbitrabantur, obsessis viis, commeatu intercluso, sine vllo vulnere victoria potiri, & si propter inopiam rei frumentariæ Romani sese recipere cœpissent, impeditos agmine & sub sarcinis, infirmioresque animo adoriri cogitabant. Hoc consilio probato ab Ducibus, productis Romanorum copiis sese castris tenebant. Hac re perspecta Crassus, cum sua cunctatione, atque opinione, timidiores hostes, nostros milites alacriores ad pugnandum effecisset, atque omnium voces audirentur, exspectari diutius non oportere quin ad castra iretur, cohortatus suos omnibus cupientibus ad omnium castra contendit, ibi cùm alij fossas complerent alij multis telis coniectis defensores vallo munitionibúsque depellerent, auxiliaréśque quibus ad pugnam non multùm Craßus confidebat, lapidibus telisque subministrandis, & ad aggerem cespitibus comportandis speciem, atque opinionem pugnantium præberent, cùm item ab hostibus constanter, ac non timidè pugnaretur, teláque ex loco superiore missa non frustra acciderent, equites circuitis hostium castris Crasso renunciauerunt, non eadem esse diligentia ab Decumana porta castra munita, facilémque aditum habere. Crassus equitum præfectos cohortatus, vt magnis præmiis, pollicitationibúsque suos excitarent, quid fieri velit ostendit: Illi vt erat imperatum eductis quatuor cohortibus, quæ præsidio castris relictæ, integræ ab labore erant, & longiore itinere circumductis, ne ex hostium castris conspici possent, omnium oculis, mentibúsque ad pugnam intentis, cele-

riter ad eas quas diximus munitiones peruenerunt, atque his perruptis priùs in hostium castris constiterunt, quàm planè ab his videri, aut quid rei gereretur cognosci posset. Tum verò clamore ab ea parte audito nostri redintegratis viribus, quod plerumque in spe victoriæ accidere consueuit, acriùs impugnare cœperant. Hostes vndique circumuenti, desperatis omnibus rebus se per munitiones deijcere, & fuga salutem petere contenderunt, quos equitatus apertissimis campis consectatus, ex millium L. numero, quæ ex Aquitania, Cantabrísque venisse constabat, vix IV. parte relictâ multâ nocte se in castra recepit. Hâc audita pugna, maxima pars Aquitaniæ sese Crasso dedidit, obsidésque vltrò misit, quo in numero fuerunt Tarbelli, Bigerriones, Preciani, Vocates, Tarusates Cocosatésque, Paucæ vltimæ nationes anni tempore confisæ, quòd hiems suberat id facere neglexerunt. Gallia sæpiùs victa, nec domita ad libertatem prouocauit Vercingetorige Aruerno Duce: priores defectionis socij fuere Pictones, Cadurci, Lemouices, & alij quos notat Cæsar. *Celeriter sibi Senones, Parisios, Pictones, Cadurcos, Turones, Aulercos, Lemouices, Andes, reliquósque omnes, qui ad Oceanum attingunt adiunxit, omnium consensu ad eum defertur imperium.* Acerrimè pro libertate pugnauit Lucterus Cadurcus, vir insignis audaciæ, vt ait Cæsar: tandem Vxelloduno oppido munitissimo in finibus Cadurcorum expugnato, ab Epasnacto Aruerno cuius fidei se commiserat, vinctus Cæsari traditus est. Reliquâ Galliâ pacatâ Cæsar in Aquitaniam quam ipse nondum adierat, eâ scilicet per P. Crassum legatum subactâ profectus est, missísque legatis, & obsidibus omnes facilè Aquitaniæ ciuitates dicto audientes habuit. Hirtius: *Ea re cognita Cæsar cùm in omnibus partibus Galliæ bene res gestas videret,*

Lib. 7. de bell. Gall. cap. 1.

d. Lib. 7.

Lib. 8. de bell. Gall.

iudicarétque superioribus æstiuis Galliam deuictam & subactam esse, Aquitaniam nunquam ipse adisset, sed per P. Crassũ quadam ex parte deuicisset, cum II. legionibus in eam partem est profectus vbi extremum tempus consumeret æstiuorum: quam rem sicut cetera celeriter, felicitérque confecit; namque omnes Aquitaniæ ciuitates legatos ad eum miserunt, obsidésque ei dederunt, quibus rebus gestis ipse cum equitum præsidio Narbonem profectus est. Bello Ciuili mox suborto Gallia & Aquitania tantisper respirauit, legionibus.quę præsidio erant à Cæsare euocatis in vsum belli. Lucanus:

Lib.7.

Soluuntur flaui longa statione Ruteni,
Mitis Atax Latias gaudet non ferre carinas.

& paulò pòst.

------ Tunc rura Nemossi
Qui tenet & ripas Aturi, quà littore curuo
Molliter admissum claudit Tarbellicus ancon
Signa mouet, gaudétque amoto Santonus hoste,
Et Biturix longísque leues Suessones in armis,

& mox.

Aruernique ausi Latiós se dicere fratres.
Sanguine ab Iliaco populi.

& rursus.

Pictones immunes subigunt sua rura.

Nostrorum virtutem Cæsar expertus, totâ Galliâ, & Aquitania delectus habuit, maximéque Aquitanis vsus est in expeditione Hispanica aduersùs Afranium & Petreium legatos Pompeij. Cæsar ipse locuples testis: *Cæsar legiones in Hispaniam præmiserat ad VI. millia auxilia peditum, equitum III. millia quæ omnibus superioribus bellis habuerat, & parem ex Gallia numerum quem ipse parauerat, nominatim ex omnibus ciuitatibus nobilissimo & fortissimo*

Lib. 1. de bell. Ciuil.

quoque

quoque euocato hinc optimi generis hominum ex Aquitanis, montanisque qui Galliam Prouinciam attingunt. Eodem bello Ruthenos sagittarios Cæsari militasse testem habemus ipsum Cæsarem: *Nunciatur Afranio magnos comitatus qui iter habebant ad Cæsarem ad flumen constitisse, venerant eo sagittarij ex Ruthenis, equites ex Gallia, &c.* Eod. libr. Iniquiùs sensit Ammianus Aquitanos delicijs exoticis Oceano Lib. 15. delatis soluto Gallico robore, facilè in Romanorum potestatem redactos: *Aquitani enim ad quorum littora, vt proxima placidáque merces aduentitiæ conuehuntur, moribus ad mollitiem lapsis facilè in ditionem venere Romanam;* sed Græculi maledictum explodit iudicium Cæsaris, qui notam decennali expeditione Aquitanorum virtutem laudauit, eorúmque operâ vsus in bello ciuili: & si causam quæris excidij Aquitaniæ, non inertiæ vitium, sed Gallorum discordię agnosces, dum enim singuli pugnant, vniuersi vincuntur.

Cap. VIII.

Aquitani iterum rebellant sub Augusto. Primùm prælio victi ab Agrippa, rursus à Messala. Diuisio prouinciarum per Augustum. Aquitania prouincia Præsidialis ab eodem facta. Census Galliarum actus ab Augusto, Aquitaniæ fines aucti ab Augusto, vsque ad Ligerim. Lugduni templum Augusto exstructum. Galba Aquitaniæ Præses.

REPVBLICA inclinatâ in Augustum, Aquitania libertatis memor rebellauit: sed Augustus in eam M. Agrippam legatum cum imperio misit, qui prælio victis Aquitanis rebellionem com-

Lib. 5. de bell. Ciuil. IdemEutro. lib. 7. pescuit, anno V. C. DCC. XVIII. Appianus de Augusto loquens : ὅτω δ' ἀθύμως ἔχοντι αὐτῷ ἀγγέλεται ὁ Ἀντώνιος συνθέμενος συμμαχήσειν, καὶ νίκη κατὰ Κελτῶν τῶν Ἀκυϊτανῶν ἐπιφανὴς, ἣν Ἀγρίππας ἄγων ἐφάνη. *His curis anxio nuntiatur Antonium societatem non recusare, simúlque victoria de Aquitanis egregia, parta Agrippæ auspicijs.* Rursus tumultuante Aquitania, ab Augusto in eam missus Messala, cui insigni victoriâ partâ de Aquitanis decretus honor triumphi. Tibullus ad Messalam.

Lib. 1. eleg. 8.

Hunc cecinere diem Parcæ fatalia nentes
Stamina, non vlli dissoluenda Deo.
Hunc fore Aquitanas posset qui fundere gentes,
Quem tremeret forti milite vinctus Atur.
Euenere, nouos pubes Romana triumphos
Vidit, & euinctos brachia capta Duces.
At te victrices lauros Messala gerentem
Portabat niueis currus eburnus equis.
Non sine me est tibi partus honor, Tarbella Pyrene,
Testis & Oceani littora Santonici,
Testis Arar, Rodanúsque celer, magnúsque Garumna.
Carnuti, & flaui cærula limpha Liger.

Lib. 1. eleg. 1. Idémque ad Messalam,

Gentis Aquitanæ celeber Messala triumphis
Et magna intonsis gloria victor auis.

Lib. 4. eleg. 1. Idémque rursus ad Messalam,

Neu te vicino remorabitur obuia Marte
Gallia, nec lætis audax Hispania terris.

Lib. 4. de bell. Ciuili. de Gallis triumphasse Messalam ait Appianus: ἔπεμψεν ἐπὶ Κελτοὺς ἀφισαμένους, καὶ νικήσαντι ἔδωκεν θριαμβεῦσαι: *Contra Gallos rebelles misit,* (Augustus) *& victori*

decreuit triumphum. Sed hoc interpretandum de Aquitania, vt & illa inſcriptio de Meſſalæ triumpho, quam prómpſit Ióſephus Scaliger in Tibullum. *M. Valerius M. F. M. N. Meſſala* A. DCCXXVI. *Coruinus Procoſ. ex Gallia* VII. *Kal. Apr.* ex qua diſcimus hæc acta A. V. C. D. CC. XXVI. Ipſum etiam Auguſtum in Aquitaniam veniſſe, & partim per ſe, partim per legatos eam edomuiſſe teſtis Tranquillus: *Domuit autem partim ductu, partim auſpicijs ſuis Cantabriam, Aquitaniam, Pannoniam,* Anno ſequenti, id eſt DCC. XXVII. Auguſtus diuiſionē Prouinciarum fecit, validiores & ferociores Prouincias, quas à Magiſtratu ſinè præſidio militari regi, nec facilè, nec tutum erat, in ſua poteſtate retinuit, & his impoſuit legatos, id eſt Præſides: pacatiores autem Prouincias, quæ ſinè manu militari contineri poterant, reliquit Senatui, Populóque Romano ſub magiſterio Procoſſ. hâc quidem ſpecie vt Senatum grauioribus imperij oneribus leuaret, ſed reuerâ, vt arma ſolus penès ſe haberet. Prouinciæ Cæſaris fuere, Hiſpania præter Bæticam, Gallia Narbonenſis ab initio, ſed hæc poſteà facta Proconſularis, Lugdunenſis, Aquitania, & Belgica, Prouinciæ Senatus fuere, Aſia, Africa, Græcia, & aliæ, teſte Dione & Strabone. In Auguſt. cap. 21. Lib. 53. Lib. 17. Suet. in Auguſt. cap. 47.

Eodem anno Auguſtus in Galliam venit, rès Gallicas compoſuit, & cenſum Galliarum egit, vt ex modo cenſus tributum & vectigal deſcriberetur. Dio: ἐς γὰρ δὴ τὰς γαλατίας ἐλθὼν ἐνταῦθα διέτριψεν, καὶ τὰ τούτων ἀκατάστατα ἔτι, ἅτε τῶν ἐμφυλίων πολέμων εὐθὺς ἐπὶ τῇ ἁλώσει σφῶν ἐπιγενομένων, ἦν καὶ αὐτῶν, καὶ ἀπογραφὰς ἐποιήσατο, καὶ τὸν βίον, τήν τε πολιτείαν διεκόσμησε: *In Gallias veniens ibi immoratus eſt, & res illa-* Lib. 53.

rum etiamnum fluctuantes, quia subactis illis statim bella ciuilia subsecuta fuerant, composuit, censum egit, Gallorumque vitam & Rempublicam efformauit. Hanc ob causam Narbone conuentum Galliarum celebrauit Augustus. Florus: *Cùm ille conuentū Narbone egit, census à tribus Gallijs, quas Cæsar Pater vicerat actus.* Et per id tempus Circio vento galliç narbonēsi infestissimo, tēplum vouit, posuitq; augūstus. De quo Seneca: *Galliam Circius infestat, cui ædificia quassanti, tamen incolæ gratias agunt, tamquam salubritatem cœli sui debeant. Diuus certè Augustus templum illi cùm in Gallia moraretur & vouit, & fecit.* Tum & Augustus Gallias, quę à Iulio trifariam diuisæ erant, in Belgas, Celtas, & Aquitanos, diuisit in quatuor partes, Belgicam, Lugdunensem, Aquitanicam & Narbonensem: & Aquitanicam, quæ antè Pyrenæo & Garumnâ terminabatur, produxit ad Ligerim vsquę. Strabo: ὁ δὲ σεβαστὸς Καῖσαρ τετραχῆ διελὼν τοὺς μὲν Κέλτας τῆς Ναρβωνίτιδος ἐπαρχίας ἀπέφηνεν. Ἀκυϊτανοὺς δ' ὥσπερ κἀκεῖνος, προσέθηκε δὲ τεσσάρας καὶ δέκα ἔθνη τῶν μεταξὺ τοῦ Γαρούνα, καὶ τοῦ λίγυρος ποταμοῦ νεμομένων: *Augustus Cæsar in quatuor partes Galliam diuisit, & Celtas Narbonensi Prouinciæ attribuit, Aquitanos eosdem cum Iulio fecit, iisque adiecit decem alias gentes intrà Garumnā, & Ligerim habitantes.* Lugduni templum communi Gallorum voto Augusto dedicatū, cum ara inscriptione LX. gentium, & imagine singularū insigni, testes Strabo & Florus. Has inter Aquitaniam fuisse nihil est quod dubitemus, cùm Aquitania sit tertia, & nobilissima pars Galliarum. Tiberio Cæsare sub annum Christi XXXIV. Sulpitius. Galba ante legitimam ætatem Aquitaniam Præsidis imperio rexit, inde consulatum adijt. Tranquillus: *Exin Prouinciæ Aquitaniæ*

Lib. 5. Natu. quæst. c. 8.

Lib. 4.

Lib. 4.

In Galba. cap. 6.

anno fere præfuit, mox Consulatum per sex menses ordinarium gessit. Prouincialis magistratûs epocham colligo, ex proximè secuto consulatu, cuius meminit Cassiodorus.

Cap. IX.

Initia Christianæ religionis in Aquitania. Priores Episcopi Aquitaniæ Martialis Lemouicum, idémque Apostolus Aquitaniæ Vrsinus Biturigum, Austremonius Aruernorum, Fronto Petrocoriorum, Ausonius Engolismensium, Cerasius Elusatum.



VVlgò fertur Martialem vnum ex LXXII. discipulis Domini, anno salutis XLVI. imperante Claudio à Petro missum in Aquitaniã, cum socijs Alpiniano & Austricliniano, Euangelij prædicandi gratiâ, eúmque feliciter Aquitanos sacris fidei mysterijs initiasse, & verbi fidem multis miraculis sanxisse, ac primum Lemouicensium Episcopum fuisse, vt legitur in eius vita, quæ ab Aureliano eius successore scripta dicitur, in Chronico Altissiodorensi, apud Antoninum, & Vincentium Beluacensem. A.C. 46. part.1.tit.6. c.25. §.2. Specu.lib.9. cap.39.
Martialem Lemouicibus à Petro destinatum tradit & Autor vitæ S. Genulfi: *Ex quibus Austremonius, atque Martialis fuere, qui à Beato Petro directi sunt, quorum primus Aruernis posteà Martyr gloriosus, sequens verò signis & virtutibus Confessor clarissimus Lemouicis datur.* Lib.1.c.10. Nec solùm Lemouices, sed & Burdegalenses & Pictones fidei rudimentis imbutos à Martiale tradit Petrus Cluniacensis: *Martialis, Lemouicis, Burdegalæ, & Pictauis,* Adu. Petrobus.

Et sanè vniuersæ Ecclesiæ Aquitaniæ, imò & Tolosana Martialē fundatorē & auctorē agnoscūt. Vnde Apostoli nomen ei datum, in Concilijs Bituricensi, Pictauiensi, & vtroque Lemouicensi, & Ioannis XIX. P. epistolâ, temporibus Roberti Regis, Martialis Apostolus Aquitanorum pronunciatus; & Petrus Cluniacensis non vno loco Martialem inter fidei patres, & Apostolos numerat. Nec est quòd Martiali Apostoli nomen inuideas; nam & viros Apostolicos, qui prædicationis officio religionem propagarunt Apostolis accensuit Ecclesia, quòd Apostolicas vices perfuncti sint. Theodoritus in Paulum: τοὺς δὲ νῦν καλουμένους ἐπισκόπους ἀποστόλους ὠνόμαζον, τοῦ δὲ χρόνου προϊόντος τὸ μὲν τῆς ἀποστολῆς τοῖς ἀληθῶς ἀποστόλοις κατέλιπον, τὴν δὲ τῆς ἐπισκοπῆς προσηγορίαν τοῖς πάλαι καλουμένοις ἀποστόλοις ἐπέθεσαν. *Quos autem Episcopos hodie nominant, Apostolos vocabant: procedente deinde tempore Apostolatus nomen ijs qui verè Apostoli dicti sunt reliquerunt, Episcopatus autem appellationem ijs imposuerunt, qui quondam Apostoli nominabantur.* Sic Timotheum Pauli discipulum Apostolatûs honore Andreæ & Lucæ æquauit Procopius, cùm ait; in templo Apostolorum CP. inuenta corpora Andreæ, Lucæ, & Timothei, τῶν ἀποστόλων: & Martiali eò magis conuenit nomen Apostoli, quòd is fuit vnus ex LXXII. discipulis, penè sortis Apostolicæ, & quasi pars fuit animi & corporis Petri, à quo sacræ legationis officium suscepit, cum ipsius baculo, vnde tradunt Romanum Pontificem non vti baculo pastorali. Eodem tempore Vrsinus Biturigas, Austremonius Aruernos, Fronto Petrocorios, à Petro in promulgationem Euangelij legatus memoratur, vt obseruatum ex Chronico Altis-

In Petrobu. & lib. 6. ep. 13.

ad Timo.

Lib. 1. de ædif. Iustin.

cap. vn. de sac. vnct. ex.

A. C. 46.

-siodorensi, Petro Cluniacensi, Gregorio Turonensi, & alijs: Eutropius verò Santones à Clemente P. missus memoratur eidem Turonensi, & martyrio vitã finiisse: eodem etiam tempore ferunt Amatorem baiulum, seu nutricium D. Iesu Christi cum Martiale, & sociis in Aquitaniam venisse, & in pago Cadurcorum in horrenda solitudine Virgini Marię Oratorium dicasse, & in eius limine sepultum, eóque religionis causâ profectum Henricum II. Regem Anglorum testis Robertus Montensis. His cunabulis paulatim adoleuit religio in Aquitania, & à Martiali ordinati Episcopi per Aquitaniam, inter hos Ausonius Engolismensium, vt est in Gestis MS. Episcoporum & Comitum Engolismensium. Per eadem tempora fertur Cerasius Saturnini Tolosani antistitis discipulus Aquitaniam, quà ad Pyrenæum pertinet, Christianæ fidei cunabulis informasse, & Elusanam Ecclesiam instituisse. Eius sacræ reliquiæ Simorræ quiescunt in Monasterio antiquissimo Ordinis S. Benedicti, curationum & miraculorum famâ percelebres. Iacobus Sirmundus, & alij eruditissimi viri Martialem, Austremonium, Dionysium, Saturninum, & alios reijciũt ad tempora Decij, hoc est ad annum CCL. mouetur autoritate Gregorij Turonensis, qui Martialem, Saturninum & socios, Decij tempore in Galliam venisse tradidit. Locuples eis suffragator videtur & Seuerus Sulpitius, quo loci scripsit, seriùs trans Alpes Dei religionem susceptam, nec ante tempora M. Aurelij Antonini martyria visa in Gallia. Ego tantorum virorum iudicio obstrepere nolim, inani tamen litterarum palæstrâ grauem religioni sententiam iactari, satis alienum sentio ac probabilia non desunt testimonia & argumenta

Contra Pet. lib. 1. de Glor. Conf. ca. 3. & 50. Lib. 1. de Glor. mart. cap. 56.

A.C. 1171.

Ex monum. Eccl. Auscienf.

Lib. 1. hist. cap. 30.

Lib. 2. sacr. Histor.

quæ Sulpitij, & Gregorij fidem eleuant. I. Vtriusque testimonio refragantur veteres tabulę Ecclesiarum totius Aquitaniæ, quæ Martialem & socios, à Petro in Aquitaniam legatos contestantur, nec Sulpitij, & Gregorij auctoritas tanti est, vt Ecclesiasticorum δυπτύχων fidem conuellat, quorum auctoritas maximè valuit in Ecclesia, quod ad origines Ecclesiarum & successiones Episcoporum. Tertullianus aduersùs Hæreticos: *Edant*
De præscri. adu. Hæret. *ergo origines Ecclesiarum suarum, euoluant ordines Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, vt primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, aut Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseuerauerit, habuerit auctorem & antecessorem?* Ita ex Diptychorum fide Hierosolymitanorum Antistitum successionem prodidit Eusebius:
Lib. 5. hist. cap. 12. μεθ' ὃν (Marcum) ἐπισκοπεῦσαι Κασσιανὸν αἱ τῶν αὐτόθι διαδοχαὶ περιέχουσι: *Post quem Episcopatum tenuiße Cassianum successionum tabulæ quæ illic seruantur ostendunt.* II. Vt testes testibus oppugnemus adsunt melioris æui auctores, qui fidem iam ab Apostolis in Galliis acceptam consentiunt: Lucam Euangelistam Euangelium promulgasse in Gallia, Crescentem à Paulo missum in
aduers. Hæres. Hæres. 51. Gallias, testes Epiphanius & Eusebius; nempe à Paulo Crescentem Viennæ, Trophimum Arelate, Paulum
Lib. 3. hist. cap. 4. Narbonæ institutos Episcopos addit Ado Viennensis.
In Chron. A. C. 59. Ecclesiarum in Celtis meminit Irenæus; Marcianum
Lib. 1. c. 2. & 3. fuisse Arelatensem Episcopum sub annum CCLVIII. & plurimos Episcopos per Galliam scimus ex epistola
Ep. 67. Cypriani ad Stephanum Pap. quâ submonet Pontificem de deponendo Marciano ob labem sectæ Nouatiani, & de Coëpiscopis Galliarum ab eius communione abstinendis, quæ omnia planè demonstrant Eccle-

sias

ſias Galliarum iam olim fundatas non ante aliquot annos, in hanc ſententiam Zozimus P. in epiſtola ad Epiſcopos Galliæ, Trophimum qui fuit auditor Pauli primum fuiſſe Arelatenſis Sedis Antiſtitem, & ab eo fonte omnes Gallias fidei riuulos hauſiſſe prædicat, & Innocentius I. in epiſtola ad Decentium, Eccleſiæ Romanæ Ep. 1. traditiones ſeruandas docet, & Romani Patriarchatus iura per Italiam, Gallias, Hiſpanias, Africam, Siciliam, inſuláſque adiacentes confirmat, quòd eæ Prouinciæ à Petro, eiúſque ſucceſſoribus ſacerdotes accepiſſent, quod nonniſi de proximis ſucceſſoribus interpretandum; nam & Prouinciarum Eccleſiaſticarum diuiſionem ab Apoſtolis, & B. Clemente repetit Gregorius VII. III. Si Galliarum ſitum ſpectemus quis ſibi ſuadeat Prouinciam Galliam Italiæ conterminam, pulcherrimam orbis Romani prouinciam atque adeò Italiam veriùs, quàm Prouinciam, Romanis ciuibus paſſim habitatam, ita inofficiosè pro derelicto habitam à Petro, & Paulo, vt Doctoris inopiâ ſola Gallia Chriſtum neſciret, cuius nomen iam ab ipſis Apoſtolis peruenit ad Barbaros? Creditur Paulus per Galliam tranſijſſe in Hiſpaniam: dicéſne Paulum neglectâ Galliâ totum ſe conuertiſſe ad Hiſpanos, & Chriſtianam fidē quæ igneo ſpiritu ferebatur, pedeſtri & teſtudineo gradu in Galliam acceſſiſſe? IV. Non ſatis ſibi conſtat ipſe Gregorius: alio enim loco Saturninum ab Apoſtolorum diſcipulis Epiſcopum ordinatum, & Toloſam miſſum auctor eſt: *Saturninus verò Martyr, vt fertur ab Apoſtolorum diſcipulis ordinatus in vrbem Toloſatium eſt directus.* Idémque ait Martialem à Romanis miſſum Lemouices, nullâ mentione factâ de tempore miſſionis: *Igitur San-*

Lib. 6. ep. 34.

Lib. 1. de mirac. c. 48.

Lib. de Glo. confeſſ. c. 27.

ctus Martialis Episcopus à Romanis missus Episcopus, in vrbe Lemouicina prædicare exorsus est. Tum falli potuit Gregorius, qui actorum Saturnini fidem secutus est, falli potuit & Seuerus, qui iunior historiam scripsit. V. Iam à Nerone desæuijt persecutio in Christianos per omnes
Lib. 7. c. 5. orbis Romani Prouincias, teste Orosio; cur igitur credamus mitiùs actum cum Gallia, quæ Italiæ finitima, facile Romanorum furori exposita fuit? Vt vt sit Franci & Aquitani Martialem summâ semper religione coluerunt, huiúsque gratiâ Reges nostri Lemouicensis Ecclesiæ prædia vectigalium onere soluerunt; quam ob rem Leo Pictauiensis impiè iactabat apud Turonensem,
Lib. 4. hist. cap. 16. Martinum & Martialem nihil fisci viribus vtile reliquisse. Et Eligius Nouiomensis Lutetiæ Basilicam S. Martialis à fundamentis instaurauit, ibíque c c c. virginum cœtum locauit ante M. annos, vt legitur in vita Eligij,
Tom. 6. 1. Decemb. apud Surium.

Cap. X.

Statius Surculus Rhetor Tolosanus. Vibius Auitus Præses Aquitaniæ. Statua Mercurij apud Aruernos fabrefacta à Zenodoro. Galliarum defectio. Vasconum lectæ à Galba cohortes. Iulius Cordus Aquitaniæ Præses, Aquitaniæ defectio ab Othone ad Vitellium.

SVB Neronis tempus Statius Surculus Rhetor Tolosanus in Gallia claruit. Eusebius: *Statius*
In Chron. A. C. 58. *Surculus Tholosanus in Gallia celeberrimè Rhetoricam docens*; quod ab eo repetijt Robertus Altissiodo-

rensis. Is alius à Statio Papinio Poëta, quem malè Dantes Florentinus facit Tolosanum.

Nerone Imperante Præses Aquitaniæ fuit Vibius Auitus Gallus, idem nî fallor, qui Didius Auitus Tacito; eo Præside statuam Mercurij insignis operis, & insanæ molis Aruernis Aquitaniæ oppido x. annis perfecit Zenodorus: is artis famâ Romam euocatus à Nerone. Plinius: *Verùm omnem amplitudinem statuarum eius generis vicit ætate nostra Zenodorus, Mercurio facto in ciuitate Galliæ Aruernis per annos* X. H. S. CCCC. *manipretio. Postquàm satis ibi artem approbauerat, Romam accitus est à Nerone*, & mox. *Statuam Aruernorum cùm faceret Prouinciæ Vibio Auito Præsidente.* Aquitaniæ Præsidem fuisse censeo, non Aruernorum dumtaxat; nam Aruernorum pagus nõ fuit Prouincia, sed pars Prouinciæ Aquitaniæ. Lib 12 & 13 Annal. & in Agricol. Lib. 34. c 7.

Sub annum Christi LXIX. Galliæ à Nerone defecerunt, auctore Iulio Vindice Gallo. Cognitâ defectione Legatus, idest Præses Aquitaniæ, cùm suis viribus diffideret suppetias quæsijt à Galba, qui Hispanijs præerat: sed Galba mox acceptis litteris Vindicis, qui ei deferebat imperium, cõditionem recepit, & ab exercitu Imperator consalutatus. Tranquillus; *Legato Aquitaniæ auxilia implorante supervenerunt Vindicis litteræ hortantis vt humano generi assertorem, Ducémque se accommodaret.* In Galba. cap. 9.

Galba in Hispania Imperator designatus, Vasconum, qui Pyrenæi iugis habitabant cohortes legit, quæ postea singularem operam præstiterunt in tumultu Batauico. Tacitus: *Vasconum lectæ à Galba cohortes tum accitæ, dum castris propinquant audito præliantium clamore intentos hostes à tergo inuadunt, latiorémque quam pro numero terrorem faciunt.* Lib. 4 hist.

Anno Christi LXXII. Vitellio à Germanicis legionibus Imperatore designato, Othone à Romanis, Prouinciæ in partes distractæ. Aquitania primùm à Iulio Cordo, eius præside in Othonis nomen sacramento adacta: sed statim ad Vitellium defecit, vt & Gallia Narbonensis. Tacitus: *Nec Aquitania quidem, quamquam à Iulio Cordo in verba Othonis obstricta, diu mansit, nusquam fides, aut amor, metu ac necessitate huc illuc mutabantur: eadem formido Prouinciam Narbonensem ad Vitellium vertit, facili transitu ad proximos & validiores.*

Lib. 1. hist.

CAP. XI.

Obitus D. Martialis. Agricola Aquitaniæ Præses. Clarus, Gerontius, & Seuerus Martyres Aquitaniæ. Iustinus Confessor. Saluius Iulianus Præses Aquitaniæ. An Aquitania ab Adriano diuisa. Marciana hæresis inuadit Aquitaniam. Martyres Lugdunenses. Fronto Orator Aquitanus. Iul. Iulianus Præses Aquitaniæ.



ANNO Christi LXXIV. sub annum III. Vespasiani principatûs, Martialis primus Lemouicensis Episcopus & Aquitaniæ Apostolus cùm Aquitanos Christianâ fide initiasset, suâ morte decessit, vt eius vitæ gesta testantur.

Agricola iam inter Patricios prouectus à Vespasiano, triennio fere Aquitaniam prouinciam rexit, quæ erat nobilissima prouincia, & inde ad consulatum peruenit.

Tacitus: *Reuertentem ab legatione legionis D. Vespasianus inter Patricios asciuit, ac deinde Prouinciæ Aquitaniæ præposuit splendidæ imprimis dignitatis administratione, ac spe consulatus, cui destinarat.* & mox: *Minus triennium in ea legatione detentus, ac statim ad spem consulatus reuocatus est.* In Agricola

Anno Christi CIV. tempore Traiani, Clarus ab Anacleto Papa ordinatus Episcopus, cum socijs Iustino, Seuero, Gerontio, Polycarpo, Iona, Babilio, missus in Gallias, Christianæ fidei propagandæ causâ. Primùm ad Colonienses iter conuertisse dicitur, eósque fidei mysterijs auctoraße; inde longo itinere Albiam Aquitaniæ oppidum perueniße, quò vt pedem intulit, mulierem energumenam curauit, per biennium quo ibi stetit, multos ad fidem conuertit, quo elapso Anthimium reliquit successorem, & vnà cum Babilio perpetuo laborum socio, migrauit Lactoram, vrbem Nouempopulaniæ, salutari aduentu eam liberauit sæuissimâ peste, quâ affligebatur, & quamplurimos Christo fideles comparauit; sed plebe tumultuante velut in hostem deorum, raptus in templum, & vt idolis sacrificaret in cassum solicitatus, cum Babilio socio, capite cæsus est. Corpus eius quiescit apud Auscium, in Basilica S. Orientij. Gesta eius M S. Afrum natione dictitant, sed faciliùs mihi suaserim fuisse Romanum, quòd Româ missus sit, ac eâ ætate Romæ fuerit illustris Clarorum gens, nempe A. Gellius, qui Romæ floruit, proximâ Adriani ætate memorat L. Clarum Præfectum vrbi, & Erutium Clarum itidem Præfectum vrbi, & bis Consulem, vt in libris nostris D. Antoninum Erycio Claro rescripsisse inuenio. Quem vitæ finem sortiti sint alij Clari comites, scire si studes, Gerontius adhuc Claro Lib. 6. c. 6. & lib. 13. cap. 16. l. 3 §. effracturæ ff. de off. præf. vigil.

ſuperſtite, martyrij palmam tulit in Nouempo pulonia: eius corpus conditum ad Gertanum amnem haud procul Auſcio, vnde poſteà tranſlatum in locum qui dicebatur Sonuicus in Diœceſi Conſerannenſi, & ab hoſpite, Gerontij nomen accepit, vulgò *S. Girons*. Seuerus etiam martyrio affectus in Nouempopulonia in Diœceſi Adurenſi. Quis fuerit exitus Iuſtini ſatis non liquet; inter Confeſſores Iuſtinum Presbyterum numerat, & eum in agro vrbis Beorretanæ in vico Sexciacenſi locat Gregorius Turonenſis: *Infra terminum autem Beorretanæ vrbis, in vico Sexciacenſi ſanctus Iuſtinus Presbyter quieſcit.* & Ado Treuirenſis: *Depoſitio S. Iuſtini Begorra ciuitate*; an is ſit comes Clari martyris, nihil habeo affirmare.

Lib. de Glo. confeſſ. c. 49

In Martyro. Maij. 1.

Adriano Auguſto Legatus, ſeu Præſes Aquitaniæ fuit Saluius, ad quem reſcriptum emiſit D. Adrianus, de cuſtodia reorum. Calliſtratus: *Saluio quoque Legato Aquitaniæ idem princeps ſcripſit, in eum qui cuſtodiam dimiſit, aut ita ſciens habuit, vt poſſit cuſtodia euadere animaduertendum*: is eſt Saluius Iulianus IC. celeberrimus ſub Adriano, Auctor edicti perpetui, qui Prætor fuit & conſul vt ipſe de ſe teſtis eſt.

l. milites ff. de cuſtod. reor.

l. 5. ff. de manum. vindict.

Adrianum Aquitaniam diuiſiſſe in primam, ſecundam & tertiam nonnulli exiſtimarunt: alij huius ſectionis Aquitaniæ auctorem faciunt Conſtantinum, qua de re ſuperiùs ſatis diximus.

Sub annum Chriſti CXL. imperante Antonino Pio, Marcus Hæreticus, Baſilidis ſectator, Galliarum partes, quà Rhodanus & Garumna labuntur, quod de Gallia Narbonenſi, & Hiſpania interpretandum, & Hiſpaniam hæreſis labe fœdauit, præſtigijs magicis mulieribus po-

tissimùm illudens. Hieronymus ad Theodorum, de morte Licinij Boëtici. *Refert Irenæus vir Apostolicorum temporum, & Papiæ auditoris, Euangelistæ Iohannis discipulus Episcopus Ecclesiæ Lugdunensis, quòd Marcus quidam de Basilidis Gnostici stirpe descendens, primùm ad Gallias venerit, & eas partes per quas Rhodanus & Garumna fluunt suâ doctrinâ maculauerit, maximéque nobiles feminas, quædam in occulto mysteria repromittens, hoc errore seduxerit, magicis artibus, & secretâ corporum voluptate amorem sui concilians, inde Pyrenæum transiens Hispanias occuparit, & hoc studio habuerit, vt diuitum domus, & in ipsis feminas maximè appeteret, quæ ducuntur varijs desiderijs, semper discentes, & numquam ad scientiam veritatis peruenientes.* Hæc Hieronymus ex Irenæo: tamen apud Irenæum istud tantùm inuenio quosdam Marci discipulos venenum sparsisse, ἐν τοῖς καθ' ἡμᾶς κλίμασι τῆς ῥοδανουσίας: *Per hos nostros Rhodanusiæ, id est Lugduni tractus.* Lib. 1. c. 9. Epiphan Hæref. 34.

Anno Christi CLXIX. sub Antonino Philosopho, sæuissima persecutio in Christianos surrexit, maximè in Gallijs. Tum Lugdunum & Vienna vrbes, Photini Lugdunensis Episcopi, Vettij, Epagati, & aliorum quāplurium Martyrum sanguine illustratæ, vt legitur in epistola Lugdunensis Ecclesiæ ad Ecclesias Asiæ, apud Eusebium, Orosium, Augustinum, Gregorium Turonensem, & Baronium, vnde Lugdunum, nobilissima nuncupata, teste eodem Turonensi, & Araris fluuius, qui Lugdunum adluit nomen mutauit in Sagonam, quòd Martyrum sanguine cruentatus fuerit; Saucōnam primus vocitauit Ammianus: *Ararim, quem Sauconnam appellāt.* Lugdunēses Martyres Athanacēses vocarunt ab Athanaco, id nomē loco, in quo passi sūt; vt tradūt Turo- Lib. 5. c. 1. Lib. 7. c. 15. Lib. de Cur. pro Mort. agend. c. 6. Lib. 1. hist. Fr. & de Glor. Martyr. c. 49 Tom. 1. Annal. A.C. 179 Paradin lib. 1. hist. Burgund. Lib. 15. De Glor. Mart. c. 49.

tum ab ea manumissum, quæ Aquitana fuisse proponitur, ipsam de Frontonum gente Aquitanica censeri par est. Hic Fronto celeberrimus fuit suæ ætatis orator, & in forensibus iudicijs sollertissimus. Xiphilinus: *ἀμέλει καὶ Κορνήλιος Φρόντων ὁ τὰ πρῶτα τῶν τότε Ῥωμαίων ἐν δίκαις φερόμενος*: *Fuit & Cornelius Fronto magnæ auctoritatis, qui primas in agendis causis Romæ obtinebat.* Sicco dicendi genere vsus est. *Quatuor sunt*, inquit Eusebius apud Macrobium, *genera dicendi, copiosum in quo Cicero dominatur, breue in quo Sallustius regnat; siccũ quod Frontoni adscribitur, pingue & floridum, in quo Plinius secundus quondam, & nunc nullo veterum minor noster Symmachus luxuriatur.* Hoc dicendi genere ita placuit Fronto, vt innumeros suâ ætate sectatores habuerit, & Oratorum familiam duxerit, qui Frontoniani dicti sunt, teste Sidonio: eum frequentasse & audiuisse se scribit A. Gellius, homo Gallus. Hunc artis Rhetoricæ magistrum habuit Antoninus Philosophus, Autores sunt Capitolinus, Eusebius & Xiphilinus, ipsúmque in tantùm coluit auditor, vt ei statuam in Senatu petierit, inquit Capitolinus, & Consulem fecerit, de quo Ausonius: *Vnica mihi amplectenda est Frontonis imitatio, quem tamen Augusti magistrum sic Consulatus ornauit, vt præfectura non cingeret, sed Consulatus ille cuiusmodi ordinario suffectus bimestri spatio interpositus, vt sextâ anni parte consumptus, quærendum vt reliquerit tantus orator, quibus Consulibus gesserit Consulatum, &c.*

In Adriano. Lib. 5. c. 1. Lib. 1. ep. 1. Lib. 13. c. 1. In Chron. A.C. 165. In Panegyr. Gratian.

Imperante Antonino Philosopho Præses Aquitaniæ, & Consul fuit L. Iulius Iulianus. Vetus inscriptio apud Gruterum. L. IVLIO L. F. PAL. IVLIANO PRÆTORI CVRATORI CIVITATIS INTERAMNATIVM, NAR-


pag. 412. inscr. 7.

TIVM PRÆF. MINICIA PROCONSVLI PROVINCIÆ ACHAIÆ, LEG. LEGIONIS SECVND. AVGVST. LEGAT. AVGVST. PRO. PR. PROVINCIÆ AQVITANIÆ CONSVLI OFFICIALES EIVS PROVINCIÆ AQVITANIÆ OPTIMO PRÆSIDI HOMINI BONO. Hic eſt nî fallor Iulianus, qui Piſonem collegam habuit in Conſulatu circa annum Chriſti CLXVIII. cuius conſulatûs meminit Lampridius.

In commod

CAP. XII.

Sub Seuero Christiana religio effuſa per vniuerſum orbem terrarum. Sterilitas in Aquitania. Sacrificium Lactoratenſium pro ſalute Gordiani.



SEVERI tempore iam ab anno Chriſti CCI. Chriſtiana religio latè audiebatur per vniuerſum orbem terrarum. Nõ ſolùm Iudæis, ſed etiam Græcis, & Barbaris eam innotuiſſe locuples teſtis Clemens Alexandrinus, auctor huius æui: ὁ δ' γὲ τοῦ διδασκάλου τοῦ ἡμετέρου λόγος οὐκ ἔμεινεν ἐν Ἰουδαίᾳ μόνῃ, καθάπερ ἐν τῇ Ἑλλάδι ἡ φιλοσοφία, ἐχύθη δ' ἀνὰ πᾶσαν τὴν οἰκουμένην πείθων Ἑλλήνων ὁμοῦ καὶ βαρβάρων κατ' ἔθνος καὶ κώμην, καὶ πόλιν πᾶσαν οἴκους ὅλους, καὶ ἰδίᾳ ἕκαστον τῶν ἐπακηκοότων: *Magiſtri autem noſtri verbum non manſit in ſola Iudæa, ſicut Philoſophia in Græcia, ſed diffuſum eſt per totum orbem terræ, Græcorum ſimul & Barbarorum gentibus, & vicis, & totis vrbibus perſuadens totas domos, & ſeorſum vnumquemque ex iis qui audierunt.* Chriſtianam religionem

Lib. 6. ſtromat. in fin.

iam tum in Hiſpania, Gallia, Aquitania, Britannia, Germania celebrem, teſtes ſynchroni fere Tertullianus: *Hiſpaniarum omnes termini, & Galliarum diuerſæ nationes, & Britanniæ inacceſſa Romanis loca Chriſto ſubdita.* & Arnobius vbi vanam opinionem, quæ Gentilium animis incubuerat, bella, clades, ſterilitates, & alia mala quæcumque accidebant, odio Chriſtianorum à Dijs iratis immitti, refellit: *Si Alamannos, Perſas, Scythas, idcircò voluerunt deuinci, quòd habitarent & degerent in eorum gentibus Chriſtiani, quemadmodum Romanis tribuere victoriam, cùm habitarent & degerent in eorum quoque gentibus Chriſtiani: ſi in Aſia, Syria, idcircò mures & locuſtas efferueſcere prodigialiter voluerunt, quòd ratione conſimili habitarent in eorum gentibus Chriſtiani; in Hiſpania, Gallia cur eodem tempore horum nihil natum eſt, cùm innumeri viuerent in his quoque prouincijs Chriſtiani? Si apud Getulos, tum Aquitanos huius rei cauſâ ſiccitatem ſatis, ariditatémque miſerunt, eo anno, cur meſſes ampliſſimas Mauris, Nomadibúſque tribuerunt, cùm religio ſimilis his quoque in regionibus verteretur?* Ex quo datur intelligi Aquitaniam annonæ inopiâ, & ſterilitati ſoli valde laboraſſe.

Lib. aduerſ. Iudæos.


Lib. 1. adu. gentes.

Gordiani Imperatoris ſtudioſiſſimi fuere Aquitani, argumẽto eſt quòd pro ſalute Gordiani Tauropolium, id eſt ſacrificium Taurorum fecit Senatus municipalis Lactoratenſium in Nouempopulonia, ex veteri inſcriptione apud Gruterum. *Pro ſalute Imp. Antonini Gordiani Pij. Fel. Aug. totiúſque Domus diuinæ, próque ſtatu ciuit. Lactor. Tauropolium fecit ordo Lact. D. N. Gordiano II. & Pompeiano Coſ.* VI. ID. *Dec. curantibus M. Erotio, & Feſto Caninio Sacerdos.* Hoc ſacrificium factum Gordiano iterùm, & Pompeiano Coſſ. quod incidit in annum Chriſti CCXLIV.

Pag. 29. inſcr. 14.

Cap. XIII.

Bituricensis Basilica Stephano Protomartyri dedicata ex priuatis ædibus Leocadij Senatoris. Donationes piæ per imaginariam venditionem. B. Lusor Leocadij Senatoris filius.



Decii temporibus sub annum Christi ccliv. Martialem, Dionysium, Saturninum, Austremonium, & alios primos Euangelij præcones in Galliam venisse tradidit Gregorius Turonensis, gestorum Saturnini fidem secutus: sed iam satis in superioribus explosus error, & suo tempori restituta origo fidei Christianæ in Gallia & Aquitania.

Lib. 1. hist. cap. 28.

Eodem tempore Christiani apud Bituriges, teste Gregorio Turonensi, ædes à Leocadio nobilissimo Senatore de stirpe Vettij Epagati Martyris Lugdunensis vltrò donatas, in Ecclesiam commutarunt, Stephano Protomartyri sacram: *Hæc est,* inquit Autor, *nunc Ecclesia apud Bituriges vrbem prima, miro opere composita, & primi Martyris Stephani reliquijs illustrata.* Nec prætermittendum huiusmodi donationem à Leocadio factam specie venditionis, quòd oblatis pro pretio ccc. aureis *tribus acceptis pro benedictione*, inquit Gregorius, *reliquum remiserit.* Nempe iure Ciuili, quod erat commune omnium prouinciarum orbis Romani, donationes fiebant per imaginariam venditionem sestertio, nummo vno, assibus quatuor, quod demum sublatum constitutione Iustiniani. Et hæc venditionis adumbratæ ratio posteà vsu recepta in donationibus pijs. Ordericus Vitalis de

Lib. 1. hist. cap. 29.

l. vlt. C. de donat.

Lib. 5. hist.

donationibus factis Monasterio Vticensi: *Guillielmus autem Fulconis filius hæc in Capitulo palàm concessit, & cum patre suo heres ipse donationem super altare sancti Petri posuit, & inde pro recognitione tunc vnciam auri ex charitate monachorum recepit.* & infra: *Hanc itaque concessionem per textum Euangeliorum super altare portauit, ac postmodùm ex charitate Monachorum quinque Marcas argenti, & optimum cornipedem recepit.* & iterum: *Ipse* (Guillelmus Pantel) *postmodùm totum feudum Guillelmi de Malci in quo fere* XXX. *Acræ terræ sunt, concessit, & inde ad ineundum iter sancti Ægidij* XVI. *Libras Rodomensium ex caritate Monachorum habuit.* Et Robertus Montensis: *Vvillelmus de Vado miles vendidit, vel potiùs acceptâ charitate* XIII. *librarum & vnius equi albi in perpetuam eleemosynam dedit Deo & Alexandro Abbati, & Monachis Gemet tertiam partem terræ quam habebat apud Duclarum &c.* & post: *Eodem quoque anno Rogerius Torel miles illustris Vulcatiensis territorij, dedit Ecclesiæ Gemet in perpetuam eleemosynam apud* Gisenneas XVI *& dimidiam acras terræ arabilis, & septem acras nemoris in manu Vvaltheri Archiepiscopi reddidit; pro hac autem donatione Rogerius Torel, accepit ab Abbate Alexandro, nomine charitatis* XXX. *libras Andegauenses & equum vnum album à Vvillelmo de Lunda tunc Cellario, duorum militum vestimenta de Estanfort, sui videlicet & alterius militis.* Ædes Senatorias à Christianis in Ecclesiam conuersas scripsit Turonensis; vix tamen adducor vt Decianis temporibus, furente persecutione, maior Ecclesia exstructa fuerit; nam demum à Constantino Christianis Basilicas, id est maiores Ecclesias ædificandi facultas data fuit, teste Eusebio, antè in cœmiterijs & cryptis conueniebant fideles.

Lib. 5. Hist.

In supple. Sigib. A.C. 1101.

Lib. 10. c. 3

Leocadio Senatori filius fuit, Lusor nomine, inter Confessores ascitus miraculis clarus, cœlo natus, in albis è vita migrasse fertur. Eius corpus conditum in Dolensi vico pagi Biturici. Gregorius Turonensis : *In Dolensi autem Biturigi termini vico B. Lusor Leucadij quondam Senatoris filius requiescit, qui fertur in albis migrasse à seculo.*

Lib. de Glo. Conf. c. 92.

Cap. XIV.

Genulfus Cadurcensis Episcopus eius miracula, Amphiteatrum Burdegalense, vulgò Gallieni Palatium. Aquitania ab Alemannis vastata. Templum Aruernorum, cui Vasso nomen, exustum, Priuatus Gabalorum Episcopus martyrio affectus. Cassius & Victorinus martyres. Orientius Ausciorum Episcopus.



IMPERANTIBVS Valeriano, & Gallieno sub annum Christi CCLXI. Genulfus ciuis Romanus à Sixto II. Episcopus ordinatus, cum Genito patre propagandæ fidei causâ in Gallias destinatus, emenso longo itinere Cadurcum Aquitaniæ oppidum peruenit; viduæ à qua benignè hospitio exceptus filium à dæmone arreptum curauit, Agilberti municipis filiam suscitauit. Dioscorus princeps, seu rector ciuitatis miraculi famâ percitus aduenas ad tribunal suum euocat, verberibus cæsos in clibanum ardentem mittit, flammis incolumes lambentibus, vt olim Assyrios pueros, plebs conclamat, viros inson-

tes, fidem quam prædicant veram & salutarem esse, interim subitâ morte consumptó filio Dioscori, Tyrannus casu perculsus rogat eos, vt filium vitâ functum restituânt, eiurato Deorum cultu se fidem Christi amplexurum obtestatus. Genulfus Dioscorum monet, vt ipse cadauer dextrâ prehensum in pedes sistere iubeat: iubet Dioscorus, & illicò filium stantem & spirantem cernit: ad pedes Sancti cum vxore & vniuersa familia prouolutus Dioscorus erroris veniam deprecatur, & cum multis sacro baptismatis fonte lustratur, ex quo Cadurcensis Ecclesia primum hunc veneratur Episcopum: nec tamen primùm ab illo auditam fidem crediderim, cuius semina iam olim ab Apostolicis temporibus à Martiale per Aquitaniam vniuersam sparsa, veteres Ecclesiarum tabulæ contestantur: sed atrocitate potestatum sepultam fidei memoriam, longo pòst tempore à Genulfo excitatam, & Christi nomen in hoc tractu velut postliminio restitutum. His gestis Genulfus cum patre transijt ad Bituriges, institutum prædicationis officium defunctus, Dianæ fanum spectris infestum expiauit, & Petri memoriâ insignitum Deo consecrauit, Genitum parentem ibi mortuum sepelijt, ipse tandem Christi imperio feliciter aucto, migrauit ad superos, septimo & decimo mensis Ianuarij, & iuxta patrem sepultus: vnde factum vt locus, cella sancti Genulfi dictus sit, vulgò *S. Genou.* Cùm autem sacrum corpus multis seculis ibi quieuisset miraculis memorabile, à Bituribus Parisios translatum, & in Basilica SS Virginis Mariæ depositum, vbi memoria eius pijssimè colitur. Vitam eius descripsit Auctor perantiquus, qui editus est in Bibliotheca Floriacensi, ex quo ista collegimus.

Gallieni tempore, Amphitheatrum, cuius reliquiæ visuntur, Burdegalæ conditum, vt existimarunt Elias Vinetus in Ausonium, & Gabriel Lurbeus; hoc argumento, quòd vulgus rerum antiquarum memoriæ tenacissimum Gallieni Palatium vocitat. Ridendi hoc loco Hispani scriptores rerum nostrarum imperitissimi, qui somniarunt Carolum M. adhuc adolescentem à patre secessisse in Hispaniam ad Sarracenos, ibíque Gallienæ regiæ puellæ amore captum eam duxisse vxorem, tum in Galliam cum ipsa reducem, augustas ædes ei exædificasse apud Burdegalam, quæ de vxoris nomine Gallienæ nomen acceperunt; de quo Rodericus Toletanus: *Fertur enim in iuuentute sua, à Rege Pipino Gallijs propulsatus, eò quòd contra paternam iustitiam insolescebat, & vt patri dolorem inferret, Toletum adijt indignatus, & cùm inter Regem Galafrium Toleti, & Marsilium Cæsaraugustanæ dissensio prouenisset, ipse sub Rege Toleti functus militia bella aliqua exercebat. Post quæ auditâ morte patris Pipini in Gallias est reuersus, ducens secum Galianam filiam Regis Galafrij, quam ad fidem Christi commissam duxisse dicitur in vxorem, fama est & apud Burdegalam ei Palatia construxisse.*

In Burdegalum. 210. In Chron. Burdeg.

Lib. 4. c. 11.

Gallieno ob libidinem & desidiam in Reipublicæ ludibrium lapso, Alemanni Duce Chroco nouarum sedium quærendarum causâ in Gallias irruperunt, sub annum Christi CCLXII. Aquitaniam & cùm primis Aruernensem pagum ferro, igníque vastarunt, templis non pepercerunt; Fanum celeberrimum Aruernorum, cui Vasso nomen erat linguâ Celticâ solo æquarunt. Gregorius Turonensis: *Veniens verò Aruernos delubrum illud quod Gallicâ linguâ Vasso Galatæ vocant, incendit, diruit, atque subuertit &c. exin infestis armis Gabalos petiere Alemãni.*

Lib. 1. hist. cap. 32.

Priuatus

Priuatus id temporis Gabalorum Episcopus in crypta Memmatensis montis quâ latebat, vt plebis saluti se incolumem seruaret, spreto idolorum, cultu verberibus & fustibus ad necem cæsus, paucis pòst diebus spiritum Deo efflauit. Idem Turonensis: *Irruentibus autem Alamannis in Gallias, Sanctus Priuatus Gabalitanæ vrbis Episcopus in crypta Memmatensis montis, vbi ieiunijs, orationibúsque vacabat, reperitur, populi Credonensis castri munitione conclusus: sed dum oues suas bonus Pastor lupis tradere non consentit, dæmonijs immolare compellitur, quod spurcum ille tam execrans quàm refutans, tamdiu fustibus cæditur, quoad vsque putaretur exanimis, sed ex ipsa quassatione interpositis paucis diebus spiritũ exhalauit.* Huius meminit Fortunatus, Lib. 1. c. 34. Sur. tom. 4. August. 21. Lib. 8. Car. 4.

Priuatum Gabalus, Iulianum Aruernus abundans,
Ferreolum pariter pulchra Vienna gerit.

In hac Galliarum clade Gabalorum ciuitas ab Alamannis excisa, & inde sedes Episcopalis translata Mimaten, quæ tunc temporis erat tantùm vicus Gabalorum, vt docent nos vetera Gesta Priuati, & Ado Treuirensis; vicus inquam à contiguo monte Memmatensi nomen nactus. In Martyro. 11. Kal. Sep. Sauaro in Sidon. Car. 24.

Anno Christi CCLXVI. sub persecutione Valeriani & Gallieni Cassius & Victorinus in Aruernis martyrium fecerunt, quorum agonem descriptum à Præiecto Aruernorum Episcopo, autor est Gregorius Turonensis. Lib. 1. hist. cap. 33.

Eodem tempore Ecclesiam Auscienſem illustrauit Orientius Episcopus, patriâ Oscensis, frater Laurentij Martyris: is primùm intrà Hispaniam melioris vitæ studio in eremum secessit, sed cùm latere non posset virtutis fama, hostis insidias veritus ne elationis spiritu tentaretur, clam transijt in Nouempopuloniam, & in

pago Beorretano in valle quæ Capraria dicitur, oratorium posuit, vbi oratione, ieiunijs, & vigilijs ferè attrito corpore, mortuo Vrsiniano Ausciensi Præsule, diuinâ voce euocatus, eíque in successorem suffectus, vt legitur in eius vita MS. Fœdè aberrauit Ado Treuirensis, qui eum Tolosanum Episcopum credidit: Nec cautiùs Bernardus Guidonis Orientium reuocat ad tempora Theodorici Gothorum Regis, eúmque à Theodorico ad Littorium Ducem Romanum missum narrat, vt de pace ageret; nam ipse Iulius Dexter Orientium Confessorem, & Auxitanum Episcopum, & Vincẽtium Martyrem & Archileuitam fratres profitetur, natos Orientio & Patientiâ, ex quo Orientius peruenire non potuit ad tempora quibus Gothi rerum potiti sunt in Aquitania.

Vita MS. Orient. Epi. Ausc

In vit. eiusd.

In Chro ad A. C. 246.

Cap. XV.

Galliæ receptæ ab Alemannis. Tetricus ex Præside Aquitaniæ Imperator electus Burdegalæ purpuram suscipit. Arborius auus maternus Ausonij, eius secessus apud Aquas Tarbellicas. Galliæ iterum vastatæ à Germanis, & restitutæ à Probo. Gallis vites colere permissum à Probo.



GALLIENI principatûs Gallis pertæsis ob eius libidinem & socordiam in tuendis Gallijs aduersùs Alamannos, Posthumianus ab exercitu & Gallis Imperator electus: is per annos septem

rem ſtrenuè geſſit, Gallias reſtituit ſubmotis Germanis. Poſt Poſthumianum Gallias occupauit Victorinus, quo biennio pòſt interfecto, Tetricus Senator, & Præſes Aquitaniæ ab exercitu Imperator deſignatus, Burdegalæ purpuram ſuſcepit, circiter annum à Chriſto nato CCLXX. Eutropius: *Huic ſucceſſit Tetricus Senator, qui Aquitaniam honore Præſidis adminiſtrans, abſens à militibus Imperator electus eſt, & apud Burdegalā purpurā ſumpſit*; Sed is Imperij pertęſus ob militū proteruiā, Aureliano vltrò ſe dedit anno Chriſti CCLXIV. Gallijs incubante Tetrico Arborius Heduus vir domi nobiliſſimus, auus maternus Auſonij Poëtæ, proſcriptus patriâ & omnibus bonis, ſeceſſit Aquas Tarbellicas oppidum Nouempopuloniæ, ibíque Æmiliam tenuis fortunæ duxit vxorem, de quo ipſe Auſonius. Lib. 10. Parental. 4.

Arborium Æduico ductum de ſtemmate nomen
Complexum multas nobilitate domos.
Quà Lugdunenſis Prouincia, quáque potentes
Ædues Alpino, quáque Vienna iugo.
Inuida ſed nimiùm generíque, opibúſque ſuperbis
Ærumna incubuit, namque auus & genitor
Proſcripti regnum quum Victorinus haberet
Victor, & in Tetricos recidit imperium.
Tum profugum in terris per quas erumpit Aturrus,
Tarbellique furor perſtrepit Oceani
Graſſantis dudum fortunæ tela pauentem
Pauperis Æmiliæ conditio implicuit.

Aurelianus ſublatis Tyrannis Gallias magna ex parte recepit à Germanis. Galliarum vindicem agnouit Tacitus, eius proximus ſucceſſor apud Vopiſcum, *Ille nobis Gallias dedit.* In Aureliano.

Extincto Aureliano Transrhenani rursus irrupere in Gallias, animo ibi considendi iam olim infixo. Ce-
Lib. 4. hist. rialis ad Treuiros & Lingones apud Tacitum : *Semper causa Germanis transcendendi in Gallias libido atque auaritia, & mutandæ sedis amor, vt relictis paludibus & solitudinibus suis fecundissimum hoc solum, vósque ipsos possiderent.* Probus sub annum Christi CCLXXX. Gallias à Barbaris armis euindicauit, sexaginta nobilissimas ciuitates recepit.
In Probo. Vopiscus : *His gestis cum ingenti exercitu Gallias petit quæ omnes occiso Posthumio turbatæ fuerant, interfecto Aureliano, à Germanis possessæ, tanta autem illic prælia feliciter gessit, vt à Barbaris sexaginta per Gallias nobilissimas reciperet Ciuitates.* In sexaginta gentes Gallias diuisas significare videtur Vopiscus hoc loco, quam in sententiam Strabo
Lib. 4. Lugduni aram communi Gallorum sententiâ Augusto decretam ait, cum inscriptione LX. gentium numero & imagine singularum: ampliore numero quatuor & sexaginta ciuitates in Gallijs ponit Tacitus : *At Romæ,*
Lib. 3. Ann. *non Treueros modò & Heduos, sed quatuor & sexaginta Galliarum ciuitates desciuisse.* Trecentas Galliarum nationes,
In Celtic. vrbes supra quadringentas statuit Appianus : ἔθνη δὲ τετρακόσια, καὶ πόλεις ὑπὲρ ὀκτακοσίας: Gallos trecẽtis &
Lib. 2. de bell. Iudaic. quindecim gentibus numerosos censet Agrippa apud Iosephum : πέντε δὲ καὶ τριακοσίοις πληθύνοντες ἔθνεσι.

Anno CCLXXXII. Gallijs pacatis, Probus Gallis & alijs prouincialibus vites colere permisit, vt referunt
In Probo. Vopiscus, Eusebius, & alij Hoc pacto remissa lex Do-
In Domitia. cap. 7. In vit. Scopelia. Soph. mitiani, vt in prouinciis vineta succiderentur, de qua Suetonius & Philostratus.

Cap. XVI.

Tumultus Bagaudarum in Gallijs. Saxones piratæ infesti Oceano Aquitanico, vnde classis à Diocletiano aduersùs eos instituta. Vrbicus ex vxorato Aruernorum Episcopus, eiúsque lapsus.

DIOCLETIANI tempore sub annum partæ salutis CCLXXXVI. Bagaudæ, id nomen agrestium, & latronum factioni, latrocinijs Gallias vastarunt, Æliano & Amando ducibus: aduersùs quos Diocletianus misit Maximianum Cæsarem à quo In Dioclet.
facilè fusi & debellati sunt, vt scripsere Aurelius Victor, Lib. 7. c. 25. Lib. 10.
Eutropius, Ado Viennensis, & alij. Hi Fossatense castrum In Chron. A. C. 290.
præsidij causâ vallis & propugnaculis munierunt, A. C. 288.
quod dictum est, Castrum Bagaudarum.

Temporibus Diocletiani & Maximiani cùm Franci & Saxones mare Gallicum quà patet ab ostio Rheni vsque ad Pyrenes promontorium myoparonibus infestum haberent, Imperatores classem instituerunt, præfecto Carausio homine obscuri generis, sed consilio & manu strenuo, vt oram illam Oceani obseruaret; nempe Romanis singulari semper studio fuit, vt à prædonibus tuta essent maria, & liberum commercium sine quo Respublica stare non potest. Felicitatem principatûs Augusti hoc inprimis argumento commendat Strabo, Lib. 3.
quòd maria latrocinijs purgasset, pace terrâ, marique partâ: προσέσεσι δὲ καὶ ἡ νῦν εἰρήνη τῶν λῃστηρίων καθα-

λυθέντων ὥστε ἡ σύμπασα ὑπάρχει ῥαςώνη τοῖς πλοϊζομένοις. *Accedit etiam quòd nunc pax est, abolitis latrocinijs, itaque summa est nauigantibus securitas.* Sed quòd Carausius res Prouincialium à piratis receptas non restitueret, eósque conniuentibus oculis prædas agere pateretur, vt onustos prædâ exciperet proscriptus capite Britanniam occupauit, & purpuram sumpsit. Autores sunt Orosius, & Eutropius. Post Carausium diu impacatus fuit tractus ille maritimus, ob crebros Saxonum excursus. Testes ipse Sidonius,

Lib. 7. c. 25. Lib. 10. In Panegyr. Auit. Car. 7.

Quin & Aremoricus piratam Saxona tractus
Sperabat cui pelle salum sulcare Britannum
Ludus, & assuto glaucum mare findere lembo,

Lib. 27. Et ante Marcellinus: *Gallicanos verò tractus Franci & Saxones ijsdem confines, quo quisque erumpere potuit, terra, vel mari prædis acerbis, incendijsque, & captiuorum funeribus hominum violabant.* Ob id institutus præfectus oræ maritimæ ab ostio Rheni vsque ad Santones, vel Garumnæ ostium, qui dictus est Comes littoris Saxonici, vt in Notitia Imperij legitur: tractus maritimi Comitem appellat Marcellinus: *Præter Comitem littoris Saxonici impositus & Dux tractus Armoricani & Ebruicani*: (Sic enim legendum pro Neruicani docuit Iosephus Scaliger in Ausonium) tractúsque Armorici & Ebruicani limitis protendebatur per prouincias quinque, per Aquitanicam primam & secundam, & per Lugdunenses secundam, tertiam, & quartam, vt proditum est in Notitia Imperij, & sub dispositione Ducis tractus Armorici fuit Castrum Blauia, quod situm est in Aquitania secunda, ad Garumnę ostia, vbi excubabat præsidium militum, vt est in eadem No-

Lib. 27. Lib. 2. c. 6.

titia Imperij. Præfectum littoris Saxonici Namatium agnoſcere videtur Sidonius, vbi per epiſtolam cum eo ludit, quòd inſidias poneret lepuſculis Olarionenſibus, & mox nuncium è Santonis ad ſe perueniſſe ait de felici excurſu per eum facto in Saxones piratas huic oræ infeſtos: *Subitus à Santonis nuncius nuper vos claſſicum in claſſe cecinisſe, atque inter officia nunc nautæ, modò militis littoribus Oceani curuis inerrare contra Saxonum pandos myoparones, &c.* Lib. 3. ep 6.

Anno Chriſti CCLXXXVIII. ſub Diocletiano poſt Stremonium ex calculo Gregorij Turonenſis, Vrbicus ex Senatore & vxorato, deſignatus Aruernorum Epiſcopus, ab vxore diuertit (id enim moris erat, vt qui ad Epiſcopatum, Presbyteratum, Diaconatum promotus eſſet, vxorem dimitteret, & vt ſororem haberet, eáque Epiſcopa, Presbytera, vel Diacona vocitaretur) ſed is aliquando vxoris blanditijs, & ſolicitamentis corruptus de nocte eam admiſit in cubiculum, & cum ea rem habuit, ex quo coïtu nata eſt puella. Epiſcopus delicti penitentiâ adductus, in monaſterium ſeceſſit graues à ſe pœnas exegit, ac demum expiato ſcelere ad vrbem redijt, & mortuus ſepultus cum vxore, & nata, in crypta Cantobennenſi, iuxta aggerem publicum, nomen retinet *Chantoin*.

Lib. 1. hiſt. cap. 35. Greg. Nyſſ. epiſt. 95. in add. Conc. Tur. 2. c. 12. Altiſsiod. can. 20. 21.

Cap. XVII.

Vincentius Diaconus Fides virgo, Caprasius Martyres Aginnenses. Iulianus & Fereolus martyrium passi in Aruernis. Victorinus Pictauiensis Episcopus & Martyr. Lupercus, Antoninus, Domninus, Martyres. Pax Ecclesiæ data à Constantio in Gallia & Aquitania.



NNO Christi CCLXXXXII. sub Diocletiano Vincentius Diaconus Aginnensis capite truncatus pro Christo in loco cui Pompeiacus nomen, iuxta Aginnum vrbem. De quo Iun. 9. Martyrologium Romanum, Ado Treuirensis, & Gregorius Turonensis: ei extructa basilica in loco martyrij ad Garumnam, quam à militibus Gundobaldi Lib. 7. c. 35. non impunè direptam referunt Gregorius Turonen- Lib. 3. c. 69. & 70. sis, & Aymoïnus. Huiusce Vincentij Basilicam orna- Lib. 1. c. 18. uit, & stanno contexit Leontius Episcopus Burdega- Tom. 7. Annal. A. C. 561. num. 14 lensis sub annum Christi DLXI. teste Fortunato, quam malè Baronius attribuit Vincentio Hispano.

Anno salutis CCCIII. sæuiente Diocletiano in Christianos, multi Martyres pro Christo decertarunt in Aquitania, Daciano Præside Galliæ & Hispaniæ: quem ob hanc causam extra ordinem in has prouincias destinatum oportet, vt sæpe fiebat: alioquin vnum & eundem duas, maximásque Prouincias obtinuisse dubitandum esset. Certè inclinante Imperio valde perturbata fuit

fuit ratio administrandarum prouinciarum. In Hispaniam, quæ erat Proconsularis prouincia, Tribunos à Maximo missos cum iure gladij ad compescendos Priscillianistas hæreticos, testis est Seuerus Sulpitius. Inter Aquitanos martyres, prior eluxit Aginni Nitiobrigum Fides virgo nomine dignissima, quæ frustra à Daciano blanditijs minísque tentata, vt Christi nomen eiuraret, obtruncato capite feliciter agonem impleuit, vt legitur in eius vita apud Surium, & in Romano Martyrologio. Patriâ Aginnensem vindicant indigenæ, sed Hispanam affirmat Iulius Dexter: de martyrij loco à nostris non dissentiens. *Agenni, in Gallia sanctæ Virgines & Martyres Fides & Sabina, domo, gentéque Hispanæ, ex vrbe Ciuitatensi sub Daciano passæ Galliarum & Hispaniarum crudelissimo Præside*: & quidem vt hoc obiter perstringam, martyrij locum, statim cuiusque Martyris patriam haberi par non est; nam vt martyrij diem, natalem Martyrum vocitabant, ita & locum martyrij, pro patria martyrum sumebant: eleganter Gregorius Nyssenus: πατρὶς γὰρ μάρτυρος, τοῦ πάθους ἡ χώρα: *Patria Martyris est locus passionis.* Vt vt sit sacrum Fidei virginis & martyris corpus translatum Conchâs vicum Rutenorum, in Monasterio eius cultu & memoriâ insigni. Huius translationis meminit Ado Viennensis. *Passio quoque Beatæ Fidis, & sociorum eius apud Agennum quæ posteà Conchis translata est.*

Dialog. 3. de vit. S. Martin.

Tom. 5. 6. Octob.

A.C. 300.

in Orato. S. Theod. M.

In Chron. A.C. 288.

Eodem anno, & Præside, Caprasius nobilis adolescens Aginnensis, qui in specu non procul Aginno vrbe latebat declinandæ persecutionis causâ, cognitis præclaris Fidei trophæis, his accensus alacris ad vrbem redijt, martyrij desiderio æstuans, illico prehensus, & ad

Præsidis tribunal perductus Christianum se fatetur, honorum spem & pœnarum minas contemnit, denique inuictus cæso capite martyrij lauream adeptus est, ex
Tom. 7. 16. Octobr. gestis eius apud Surium, & Martyrologio Romano: Vincent. Beluac. lib. 12. cap. 133. Hunc Nitiobriges primum sibi Episcopum asciscunt de quo valdè dubitarim; nam gesta eius adolescentem agnoscunt, & ita blandè à Daciano compellatum ferũt: *Video te decoratissimum iuuenem.* Quis igitur credat Episcopatus molem adolescenti creditam iniquissimis temporibus, persecutionis æstu laborante Ecclesia: scio iuniores aliquando ad Episcopatus culmen prouectos Timotheum, Remigium, & alios: sed, quo Autore dicant Caprasium fuisse Episcopum non habent. Caprasium martyrem concelebrant gesta eius; nec non in ijsdem Dulcidius Episcopus, & proximus successor Phœbadij SS. Fidei, & Caprasij martyrum corpora eleuasse, & eorum memoriæ basilicam consecrasse narratur. Sed Episcopum nescijt Dulcidius, quem res Ecclesiæ suæ, & census decessorum suorum vix latere potuerunt. Basilicæ S. Caprasij Martyris meminere Gregorius Tu-
Lib. 6. c. 12. Lib. 3. c. 69. & 70. ronensis, & Aymoïnus, sed omnes silent de Episcopatu, quem haud dubiè taciturí non fuissent, si de eo quicquam audijssent.

Eodem anno Iulianus Viennensis, Ferreoli tribuni militum Comes, flagrante persecutione in Viennensi vrbe, Briuate apud Aruernos secessit, cúmque sese à militibus ad necem quærj sensisset, apud viduam benignè susceptus delituit, donec proprio suasu à vidua detectus in manus persequentium venit, & gladio præciso capite, martyrio laureatus occubuit; vt docent gesta eius
Lib. 2. de Glor. M. c. 1. apud Surium, Gregorius Turonensis qui se Iuliani

alumnum gloriatur, & Martyrologium Romanum, Iuliani truncum corpus Briuate conditum vbi quiescit. Sidonius.

Hinc te suscipiet benigna Briuas In propẽpt. Carm. vlt.
Sancti quæ fouet ossa Iuliani.

& idem Turonensis: *Ecce adest Iulianus à Briuate*, & Lib 10. hist. cap. 29. Fortunatus, loco suprà laudato, Lib. 7. Car. 4

Priuatum Cabalus, Iulianum Aruernus abundans.

Iuliani caput à percussore Viennam delatum, vbi Ferreolo consepultum, quod insinuat ipse Sidonius Mamerco Viennensi per epistolam gratulatus de translatis vtriusque Martyris reliquijs: *Tibi soli concessa est in parte orbis occidui martyris Ferreoli solida translatio, adiecto nostri capite Iuliani, quod istinc turbulento quondam persecutori manus retulit cruenta carnificis.* Lib 7 ep. 1.

Eodem anno Victorinus Pictauiensis Episcopus (perperam enim cusum Pitabionensis apud Hieronymum) martyrio coronatus est: is scripsit commentarios in sacras scripturas, & aduersùs hæreses: Græcarum quàm Latinarum litterarum peritiorem fuisse ait Hieronymus in censu sacrorum Scriptorum: & alio loco de styli penuria eundem notat: *Inclyto Victorinus martyrio coronatus quod intelligit eloqui non potest.* Inter disertiores tamen Ecclesiæ patres, & Gentilium litteris velut Israëlitas Ægyptiorum spoliis & supellectile locupletes eum connumerat Augustinus: *Nónne aspicimus quanto auro & argento, & veste suffarcinatus exierit de Ægypto Cyprianus doctor suauissimus, & Martyr beatissimus, quanto Lactantius, quanto Victorinus, Optatus, Hilarius, vt de viuis taceam.* Is alius à Victorino Aquitanico qui calculum Cycli Paschalis composuit mandato Vigilij Papæ, anno

De script. Eccl. c. 74. Martyro. R. 2. Nouemb. d. cap. 74. Ep. ad Paulinum. Lib. 2. de doctr. Christian. c. 40.

De illustr. script. c. 88. Domini CCCCLX. teste Gennadio.

Eodem etiam anno Lupercus martyrium passus Elusæ in Nouempopulonia, teste Baronio; tamen Iosephus Scaliger in Ausonium, ex veteribus quibusdam vitis Martyrum Aquitanorum, sub Decio passum refert. Hunc conciuem & martyrem suum prædicant Cæsaraugustani, & inter Martyres Cæsaraugustanos numerat ipse Prudentius.

Tom. 2. Annal. A. C. 303.
Lib. 2. c. 7.
Lib. Periste. Hymn. 4.
Vid. zurit. in indic. rer. Arrag. ad A. C. 1489.

Ergo ter senis sacra candidatis
Diues optato simul & Luperco
Perge conscriptum tibimet senatum
Pangere psalmis.

Populares vocitant, *S. Louberc.*

Anno Christi CCCVIII. sub Maximiano Apamiæ, ad Aurigeram amnem, in pago Tolosano, martyrium subijt Antoninus, de quo in Martyrologio Romano & alijs: non Apamiæ in Syria, vt sibi persuasit Vincentius Beluacensis, vel Pamiæ, quam Iulius Dexter locat in Hispania Tarraconensi. Huius Martyris caput diuinitus in nauiculam missum adstantibus duabus Aquilis albis per Aurigeram amnem, secundo flumine subuectum in Garumnam, & inde in Tarnem, ac è Tarne per Auarionem aduerso amne peruenisse in locum, qui tunc dicebatur vallis nobilis, & posteà S. Antonini nomen accepit, in finibus Cadurcorum & Rutenorum, quem locum olim Antoninus dum superstes erat prædicando verbum Dei adierat, vnde notus erat Festo principi, & Domino illius loci, & caput littoro expositum, Festum cuius esset cœlitùs admonitum cum magno cultu, & veneratione collegisse proprias ædes in Ec-

Lib. 13. spec. hist. c. 35.
In Chron. A. C. 308.

clesiam commutasse, in eáque caput martyris collocasse legitur in actis MS. huiusce martyris, quæ apud me sunt.

Eâdem persecutione Diocletiani & Maximiani Rictiouaro Præside, Domninus puer x. annorum martyrium passus Apriliaci, id nomen vico Aquitaniæ; cuius corpus Apriliaco à Normanis euerso, primùm ad Nobiliacense cœnobium, Pictauiensis Diœcesis, deinde Anicium in Velaunis translatum per Godolenum Nobiliaci Abbatem.

Anno Christi cccx. postquàm Diocletianus & Maximianus imperium dimisissent, Constantius vnà cum Galerio Maximino Augustus factus est, diuisúsque est inter eos ita Romanus orbis, vt Italiam, Africam, Gallias, Britanniam Constantius: Illyricum, Asiam, Orientem, Maximinus obtineret. Ceterùm simul vt Constantius ad Imperium accessit, Christianis integra fuit Christianæ religionis professio in Gallia, & in illo tractu qui à Pyrenæo vergit ad Oceanum Occidentalem, quod de Aquitania apertè interpretandum, & in alijs prouincijs quæ eius sorti obtigerant. Theodoritus: διωκομένων γὰρ τῶν ἀνὰ τὴν ἄλλην οἰκουμένην ἐκκλησιῶν, μόνος Κωνστάντιος ὁ Κωνσταντίνου πατὴρ ἀδεῶς θρησκεύειν συνεχώρησε τοῖς Χριστιανοῖς. & mox: ἐντεῦθεν εἰκότως ἔτι Κωνσταντίου περιόντος, οὐκ ἐδόκει παράνομον Χριστιανίζειν τοῖς Ἰταλῶν ἐπέκεινα, Γαλάταις τε καὶ Βρεττανοῖς, καὶ ὅσοι περὶ τὸ Πυρηναῖον ὄρος οἰκοῦσι, μέχρι τοῦ πρὸς ἑσπέραν ὠκεανοῦ. *Nam Ecclesijs quæ erant in alijs orbis partibus persecutionem patientibus, solus Constantius Constantini Pater Christianis permisit liberè suam religionem* Lib. 1. hist. cap. 6.

colere. Hinc verisimiliter Constantio superstite, non videbatur illegitimum Christianam religionem profiteri, neque Gallis; neque Britannis, qui longè à finibus Italiæ habitant, neque his qui circa Pyrenæum ad Oceanum occidentalem vsque habitant.





RERVM AQVITANICARVM, LIBER QVINTVS.



Cap. I.

Græcorum error Christianam fidem primùm susceptam in Gallia sub Constantino. Præfectus Prætorio Galliarum. Diuisio Prouinciarum an Constantino tribuenda. Illidius & Iustus Aruernorum Episcopi. Exuperius Rhetor Burdegalensis. Tiberianus Præf. Præt. Galliarum.



ANNO Christi cccx. mortuo Constantio, Constantinus eius filius natu maior imperium cepit in Gallia & Britannia, conspirantibus militum & Prouincialium votis; tum sublato Maxentio tyranno rerum summo potitus, memor beneficij à Deo accepti, & victoriæ in signo Crucis partæ, verum Dei cultum amplexus, pacem Ecclesiæ reddidit, templa paganorum claudi iussit, & sacrificia vetuit solenni edicto. Sunt scriptores Græci, qui Celtas, & Gallos oc- l. 1. C. de Pagan.

ciduos sub eo primùm Christi fidem suscepisse scripserunt. Sozomenus: ἤδη γὰρ τά τε ἀμφὶ τὸν ῥῆνον φῦλα ἐχριστιάνιζον, Κελτῶν τε καὶ ὁ γαλατῶν ἔνδον τελευταῖον τὸν ὠκεανὸν προσοικοῦσι. *Nam gentes quæ circa Rhenum habitant, Christianæ factæ sunt, Celtæ item & Galliæ vltimi, qui proximè Oceanum accolunt.* & Cedrenus: ἐπὶ τούτου τοῦ βασιλέως πολλὰ τῶν ἐθνῶν τὸν χριστιανισμὸν προσεδέξαντο ἀπότε Κελτῶν, καὶ γαλατῶν τῶν ἑσπερίων. *Hoc Imperatore multi populi Christianismum amplexi sunt, Celtarum & Gallorum occidentalium.* Sed quàm hoc falsum sit, testes etiam Tertullianus & Arnobius vterque Africanus, qui post alterum à Christo seculum Christi religionem in Gallia celebrem, & innumeros in ea Christianos fuisse contestantur: & vt aduersùs Græcos Græcorum fidem implorem, testis ipse Eusebius, qui Lugdunenses martyres sub tempus Aurelij Antonini prædicat, ac epistolam Lugdunensis Ecclesiæ hac de re scriptam ad Orientis Ecclesiam suæ Historiæ intexuit: & ante Constantinum ex eo satis testatus Christianismus in Gallia, quòd Constantio patre Constantini imperante, Gallis impunè fuit Christianam fidem profiteri, teste Theodorito. Et Lactantius in libris Diuinarum institutionum, quos Constantino inscripsit, Christi fidem in Gallia, & vniuerso orbe antiquiorem agnoscit, cùm Christi legem etiam in ipsa persecutione à solis ortu ad occasum propagatam ait: *Cùm verò,* hæc sunt verba Autoris, *Ab ortu solis vsque ad occasum lex diuina suscepta sit, & omnis sexus, omnis ætas, & gens, & regio vnitis ac paribus animis Deo seruiat, eadémque sit vbique patientia, idem contemptus mortis, intelligere debuerant aliquid in ea re esse rationis, quòd non sinè causa vsque ad mortem defendatur,*

Lib. 1. hist. cap. 5. Id. Nicephor. lib. 8. c. 33.

In Constantin.

Lib. 5. c. 13

datur, aliquid fundamenti ac soliditatis, quod eam religionem non tantùm iniurijs & vexatione non soluat, sed augeat semper, & faciat firmiorem. Certè fieri potuit, vt Constantinus Dei cultum in nonnullis Galliarum partibus, tot persecutionum clade, & Barbarorum irruptione & colluuie, intermortuum aut sopitum excitarit; atque ita Paulinus Victricium Rothomagensem Episcopum laudat, quòd Christi fidem excoluerit in Neruici littoris tractu. *Quem,* inquit, *tenui antehac spiritu fides veritatis afflauerat*, & hâc interpretatione lenire possis quod Græci scripsere de fidei incrementis in Gallia, aliàs omnino falsum & commentitium est, fidem in Gallia primùm susceptam sub Constantino. Epist. 18.

Constantinus Præfectos Prætorio quatuor instituit, nempe Galliarum, Illyrici, Italiæ, & Orientis. Præfectum Prætorio Italiæ in Vrbe; Præfectum Prætorio Galliarum Treuiris collocauit, autore Zozimo; Præfecto Prætorij Galliarum dati Vicarij tres: Primo sedes designata Treueris, secundo Lugduni, tertio Viennæ Allobrogum. Treuirensi Vicario parebant vtraque Germania, & Belgica & Britannia insula; Lugdunensi quatuor Lugdunenses cum Maxima Sequanorum, Viennensi prima, & secunda Narbonensis, & Aquitania prima & secunda, Alpes Graiæ & Penninæ, Alpes Maritimæ, Nouempopulonia, vt legitur in Notitia Imperij Romani. Lib. 2.

Constantinum Gallias diuisisse ferunt in decem & septem prouincias, in quarum censu fuere Aquitania prima & secunda, & Nouempopulonia; & eumdem Aquitaniam scidisse in primam, & secundam & tertiam, quæ dicta est Nouempopulonia. Primus à Constantino

Sextus Rufus, qui Breuiarium historiæ Valentiniano scripsit, huius diuisionis meminit his verbis: *Sunt Galliæ, cum Aquitania, & Britanniis decem & octo Prouinciæ, Alpes Maritimæ, Prouincia quæ & Massiliensis dicitur, Ambianensis, Viennensis, Narbonensis, Nouempopulonia, Aquitaniæ duæ, Cottiæ Alpes, Maxima Sequanorum, Germaniæ duæ, Belgicæ duæ, Lugdunenses duæ, in Britannia maxima Cæsariensis, Britannia prima, Britannia secunda*: sed huius diuisionis Galliarum, & singularum Prouinciarum Rufus non laudat auctorem.

Fatis functo Vrbico Aruernorum Episcopo, Illidius in eius successorem lectus, vir sanctitate, & miraculis clarus Treuerici Imperatoris (is est Maximus tyrannus, qui Treueris Imperij sedem constituit) filiam à Dæmone arreptam purgauit, & curationis præmium tulit, vt Aruernorum Ciuitas, quæ vectigalis præstatione in speciebus vini & tritici valde grauabatur, ob vecturæ difficultatem in nummarium vectigal id commutaret. Is longæ ætatis senio confectus decessit circiter annum CCCLXXXV. Habuit Archidiaconum nomine & re Iustum, qui magistro consepultus, vt refert Gregorius Turonensis, tamen ipse Iustus Episcopi nomine insignitur in Epitaphio quod ei positum refert Ioannes Sauaro in Sidonium: nempe Archidiaconi ob Episcopalem jurisdictionem, in cuius partem vocantur, secundi ordinis antistites, necnon Episcopi vocati. Sic Claudianus Mammerci Viennensis Episcopi frater, qui Sidonio antistes ordine in secundo dicitur, quòd esset Archidiaconus, à Gennadio Episcopus vocatur. Archidiaconos & Chorepiscopos promiscuè accepit Sigebertus quasi certarum regionum & villarum Episco-

Lib. 1. hist. c. 40. & lib. de glor. Cō-fess. c. 35. 36.
Lib. 4. ep. 11

Lib 4. ep. 11
Lib de scri. Eccle. c. 76

pos, ob id quòd suam diœcesim haberent. *Damasus* A. C. 384.
Papa decreuit, ne quid contra Episcopos præsumant Archidiaconi, qui dicuntur Chorepiscopi, id est regionum vel villarum Episcopi.

Temporibus Constantini Exuperius Rhetor Burdegalensis primùm Tolosæ docuit, tum Narbonæ, vbi Dalmatij Cæsaris Constantini ex fratre nepotis filios grandi mercede instituit, & per eos præses Hispaniæ factus, opibúsque auctus; tandem post reditum in Galliam Cadurci in Aquitania consenuit, de quo Ausonius, In Profess. cap. 18.

Decedens placidos mores, tranquilláque vitæ
Tempora præ diues finisti sede Cadurcâ.

Perperam Baronius, & Autor Episcoporum Cadurcensium, Exuperium Rhetorem Episcopum comminiscuntur, hic Cadurcensem, ille Tolosanum; is enim A. C. 405. adeò non fuit Episcopus Tolosanus, vt Tolosâ vbi docebat iniuriâ pulsus Narbonam secesserit, teste Ausonio; nec temporum ratio patitur vt Exuperius Rhetor Tolosanus idem credatur cum Exuperio Episcopo Tolosano; nam Exuperius Rhetor claruit temporibus Constantini, Dalmatij filios docuit antequàm Cæsares crearentur, quod incidit sub annum CCCXXXVI. Exuperius verò Episcopus Tolosanus LXX. pòst annis floruit circa annum CCCCV. quapropter Iosephus Scaliger in Lib. 1. c. 11. Ausonium, Exuperium Rhetorem Tolosanum alium agnoscit ab Exuperio Episcopo Tolosano; Nec rectè tentatur Exuperium Rhetorem, Cadurcensem Episcopum fuisse, ex eo quòd Ausonius scripserit, eum vitam finijsse sede Cadurcâ: nam etsi sedis nomen sæpiùs ponatur pro Cathedra Episcopali, tamen hæc significatio multùm abest ab Ausonio, cuius verba planè innuunt

Exuperium Rhetorem laboribus & honoribus defunctum Cadurcum ſedem expetijſſe otij & quietis ſtudio, non ob dignitatem ſacrā vel profanam. Accedit quòd Auſonius Exuperium in ſeceſſu laudat de opibus, quæ laus parum congruit Epiſcopo, & maximè huius æui. Gratiani præceptor fuit Auſonius à quo ad conſulatum euectus, de eo ſolennes huic gratias egit panegyricâ oratione, quâ præceptoribus liberorum, vel nepotum Conſtantini, quos docendi officio Collegas vocat, gratiâ & dignitate ſe præfert. *Nolo*, inquit, *Conſtantini temporum taxare collegas*, *Cæſares docebantur*, *&c.* Quibus verbis,amabo,nónne notaſſe videtur Exuperium præceptorem liberorum Dalmatij Cæſaris, quòd intrà prouincialis magiſtratus modum ſtetiſſet,& priuatus vitam finijſſet?

In Chron. A. C. 339. Lib. 3. c. 21. Anno Chriſti cccxxxix. ſub Conſtantino Tiberianus vir diſertus,fuit Præfectus prætorio Galliarum: Autores ſunt Euſebius,& Freculphus.

Cap. II.

Maximinus Treuirenſis Epiſcopus. Maxentius Pictauienſis Epiſcopus Aquitani fratres. Titianus, Honoratus vterque Præfectus Galliarum. Paulinus Aquitanus Treuirenſis Epiſcopus. Hilarius Pictauienſis Epiſcopus. Martinus Diſcipulus Hilarij fundator Locociagenſis Monaſterij. Phœbadius Aginnenſis Epiſcopus.

SVb Conſtantio claruit Maximinus Aquitanus, Pictauis ortus, parentibus Senatorij ordinis; fratrem habuit Maxentium nomine,cum quo

ſacris litteris eruditus, vterque Epiſcopatus apice inſignitus. Maxentius fuit Pontifex Pictauienſis: Maximinus autem relicto patrio ſolo Treuiros Galliarum Metropolim migrauit, Agroëtio præſuli in diſciplinam ſe dedit, à quo Presbyter ordinatus, defuncto ſub annum CCCXLV. ſucceſſit in Epiſcopatu, quem magna cum laude geſſit, fidem Nicænam acerrimè propugnauit aduersùs Arrianos, Conſtantij gratiâ ferocientes, eius monumenta aduersùs Arrianos commendat Athanaſius, Athanaſium ipſum à Conſtantio proſcriptum toto orbe exulem benignè ſuſcepit, & clam apud ſe biennio integro & menſibus quatuor fouit. Auctores ſunt Lupus ſcriptor eius vitæ apud Surium, Theodoritus & alij. Monaſterium Aſcetarum in ſuburbio Treuirenſi exſtruxit, cuius meminit Auguſtinus Concilio Sardicenſi interfuit anno Chriſti CCCXLVII. & Concilio Agrippinenſi anno CCCLI. Haud diu pòſt cùm in Aquitaniam emigraſſet ibi vita deceſſit.

Diſput. 1. contra Arrianos.
Tom. 3. 19. Maij.
Lib. 2. c. 1.
Lib. 8. Confeſſ. cap. 6.

Anno Chriſti CCCXXXXIX. Titianus vir eloquens Præfecturam Prætorij Galliarum geſſit. Autores ſunt Hieronymus & Freculphus. Is alius à Iulio Titiano oratore, præceptore Maximini Iunioris, de quo Capitolinus, Auſonius, & Sidonius. Sub Conſtantio Honoratus fuit Præfectus Prætorio Galliarum, deinde primus Præfectus Vrbi Conſtantinopoli ſub annum CCCLXIII. vt ſcribunt Hieronymus & Sozomenus.

In Chron. A. C. 349.
Tom. 2. lib. 4. cap 8.
In Maxim. Iun. in Paneg. & ep. 16
Lib. 1. ep. 1.
in Chron. Anno C. 363. lib. 4. cap. 22.

Paulinus etiam Aquitanus haud dubiè è Paulinorum gente clariſſimâ in Aquitania, & diſcipulus Maximini, defuncto ſucceſſit in Epiſcopatu ſub annum Chriſti CCCLIII. in Aquitaniam profectus cum lecta Treuirorum manu, ſacrum corpus deceſſoris repetijt ex Aqui-

tania, ídque Treuiros extulit, Aquitani cum armis repellere moliti sunt, sed fulgurum & tonitruum fragore deterriti, à vi se continuerunt, auctore eodem Lupo.

Anno circiter CCCLIII. Hilarius ciuis Pictauiensis è coniugato electus Pictauiensis Episcopus, acerrimus Ecclesiæ Catholicæ defensor aduersùs Arrianos.

Eodem anno Martinus iam Christianus factus, abiecto militiæ cingulo, accessit ad Hilarium Pictauorum Episcopum, séque ipsi in discipulum tradidit, humilitatis studio Diaconatus ordinem ab eo accipere renuit, Exorcistæ admisit. Testes Seuerus & Paulinus. Anno CCCLV. monasterium Locociagense haud procul Pictauis exstruxit, & cœtum monachorum illic locauit vt Gregorius Turonensis Auctor est.

Lib. 1. c. 4. Lib. 1. de vit. S. Mart. Lib. 4. de S. Martin. c 30

Edicto à Constantio emisso, vt Episcopi qui cum Arrianis non sentirent, & Athanasij damnationi non subscriberent in exilium truderentur, Hilarius, & alij Gallicani Episcopi Arelate, & Biterris concilia habuere pro tuenda fide Catholica, & à Saturnini Arelatensis Episcopi, & sociorum Arrij sectatorum communione se segregarunt. Hanc ob causam factione Arrianorum Hilarius Pictauiensis, Paulinus Treuirensis, Rodanius Tolosanus, à Constantio in Phrygiam relegati anno CCCLVI. Testes Seuerus, Socrates, Sozomenus, & alij. Hilarius in exilio elegantes libros scripsit aduersùs Arrianos, de quibus Hieronymus, & Gregorius Turonensis: vnde idem Hieronymus Hilarium Latinæ eloquentiæ Rhodanum vocitat. & alio loco: *Hilarius*, inquit, *Gallicano cothurno attollitur*. Anno CCCLIX. à Constantio coactum est Concilium Arimini in Italia, in quo Nicæna fides firmata. Huic Concilio interfuere

Lib. 2. sacr. hist. Lib. 2. c. 29. Lib. 4. c. 8. Lib. de scri. Ecclesiast. cap. 100. Lib. 1. hist. cap. 38. Lib. 2. epist. ad Galat. in Epist. ad Paulin.

Episcopi Galliæ & Aquitaniæ, patribus decretæ annonæ, & metata à fisco, sed nostri respuerunt, suisque sumptibus viuere maluerunt, vt libertatem fidei tuerentur. Seuerus: *Quadringenti & aliquantò ampliùs occidentales Episcopi Ariminum conuenere, quibus omnibus annonas & cellaria dare Imperator præceperat; sed id nostris, id est Aquitanis, Gallis, ac Britannis indecens visum: repudiatis fiscalibus, proprijs sumptibus viuere maluerunt, tres ex Britannia inopiâ proprij publico vsi sunt, cum oblatam à ceteris collationem respuissent, sanctiùs putantes fiscum grauare, quàm singulos.* Ariminensi Synodo celebratâ Episcopi per vim detenti, vt nouæ fidei professioni fallacibus verbis conceptæ subscriberent impulsi; fortiter restitere Phœbadius Aginnensis Episcopus, quem Seuerus suum vocitat, & Seruatius Tungrensis Episcopus; sed tandem exilij & cruciatuum metu, & tædio diutinæ detentionis lapsi sunt vt fusè narrat Seuerus: Phœbadius is est, qui malè apud Hieronymum Sœbadius dicitur, & libri in Arrianos scriptione commendatur, vulgò *S. Fiary*, ad quem simul, & ad Delphinium Burdegalensem Episcopum Ambrosij extat Epistola. Eodem anno CCCLIX. in Oriente celebrata est Synodus Seleuciensis, cui Hilarius exul interfuit, solenni priùs de fide contestatione facta, ob id quòd dolo ab Arrianis iniquiores de Gallorum fide rumores spargebantur. Cum Arriani perspexissent Hilarium vbique occurrere, & in Oriente nouas turbas ciere, apud Constantium effecere, vt domum reuocarêtur. *Postremò*, hæc sunt verba Seueri, *quasi discordiæ seminarium & perturbator Orientis redire ad Gallias iubetur, absque exilij indulgentia.* Paulinus, & Rodanius in exilio defuncti sunt. Paulinus libros edidit

Lib. 2. hist. sacr.

Lib. de Illustr. Eccl. script. c. 108

Epist. 55.

cōtra Arrianos, quos celebrat Athanasius, adeoq; in veneratione fuit, ob sanctitatē, & doctrinæ integritatem,

In apolog. ad Constan. & in Epist. ad Solitar.

vt Athanasio magnus vocetur : ὁ μέγας παυλῖν@ τε ὁ τῶν γαλλίων. Hilario ab exilio redeunti Martinus Romam vsque occurrit, & Pictauos eum reduxit. Hilario reduce in Galliam quartum post exilij annum, plura

Epist. ad Epictetum Corinth. Episc.

Concilia congregata in Gallia, auctore Hilario, de quibus meminit Athanasius. Ariminense conciliabulum damnatum, Nicæna fides suscepta, Arrius damnatus. Saturninus Arelatensis Episcopus Ecclesia pulsus: Paternus Episcopus Petrocoriensis ob Arrianæ hæresis labem sacerdotio depositus: denique Hilarij operâ Galliæ ab infandæ hæresis lue saluæ, & incolumes euaserunt.

Lib. 2. hist. sacr.

Seuerus: *Illud apud omnes constitit, vnius Hilarij beneficio Gallias nostras piaculo hæresis liberatas.* Idem testatur Sozomenus, non vno loco, vnde & Hilarius Hieronymo magnus sustentator Ecclesię prædicatur. Hilarius coniugem habuit, & ex ea vnicâ filiam nomine Abram, ad quam in exilio positus epistolam scripsisse dicitur, de colenda virginitate: de eius pudore adeò solicitus fuit, auctore Fortunato ipsius vitæ scriptore, vt cùm sentiret illam de nuptijs cogitare, precibus mortem ei à Deo impetrarit. Hilarius præter libros de fide, primus sacros hymnos in Ecclesia concinendos edidit

Lib. 3. c. 14. & lib. 5. cap. 11. Psal. 58. & in Chron. A. C. 364.

Lib. 2. epist. ad Galat.

Hieronymus: *Cùm & Hilarius Latinæ eloquentiæ Rhodanus Gallus ipse, & Pictauis genitus in hymnorum carmine Gallos indociles vocet.* Hilarium in sacro epode æmulatus Ambrosius. Sigebertus: *Ambrosius post Hilarium Pictauiensem hymnos in Ecclesia primus canendos composuit.*

A. C. 391.

Cap. III.

Aquitanis frumentum imperatur in expeditionem Germanicam. Aquitania vastata à Germanis. Clades Germanorum in Argentoratensibus campis. Florentius Præfectus prætorio Galliarum. Mineruius Rhetor Burdegalensis. Galliæ tributis leuantur à Iuliano. Alcimus & Delphidius Rhetores Aquitani. Rursus Aquitania annonam subministrat in expeditionem Germanicam. Delphidij Rhetoris libertas dicendi. Nebridius Præfectus Prætor. Galliarum. Germanianus inde Præfectus Prat. Galliarum. Iulianus quo consilio fauit Hilario exulanti. Gaudentius Præfectus Aquitanici & Gallici littoris.



VM res diuinæ rite hoc pacto disponuntur in Gallia & Aquitania, Constantius, anno Christi CCCLVII. arma moturus in Alamannos Galliarum limiti infestos, Aquitaniæ frumentum imperauit in hanc expeditionem, & interim Valentiæ Cauarum substitit, quo ad annona ex Aquitania subueheretur. Ammianus: *Constantius consulatu suo septies & Cæsaris iterum egressus, Arelate Valentiam petit in Gundomadum & Vadomarium fratres Alamannorum reges arma moturus, quorum crebris excursibus vastabantur confines limitibus terræ Gallorum, dúmque ibi diu moratur,* Lib. 14.

Rr

commeatus operiens, quorum translationem ex Aquitania verni imbres solito crebriores prohibebant, auctique torrentes, Herculius aduenit, &c. Nihil memorabile gestum hoc bello, Germanis pacem per legatos petentibus statim pacto fœdere.

Anno Christi CCCLVIII. Rursus Germani superato Rheno, Gallias latè vastarunt vsque ad oram Oceani, quibus finibus comprehenduntur Armorica & Aquitania, quæ Oceanum attingunt. Zozimus: Ἰουλιανὸς δὲ τὰ μὲν ἐν Κελτοῖς στρατιωτικὰ διεφθαρμένα, κατὰ τὸ πλέον εὑρὼν τοὺς δὲ βαρβάρους ἀκώλυτον ἔχοντας τὴν τοῦ Ῥήνου διάβασιν, καὶ μέχρι σχεδὸν τῶν πρὸς θαλάττῃ πόλεων διελθόντας: *Iulianus autem quum totam apud Celtas rem militarem maiori ex parte labefactatam, & perditam reperisset à barbaris, liberum arcente nemine Rheni transitum habentes, & propemodum ad vrbes vsque mari proximas grassantes.* Ad propulsandos Germanos Iulianus à Constantio Cæsar declaratus, & in Galliam missus cum validissimis copijs, qui eos in campis Argentoratensibus graui prælio fudit, Agrippinam Coloniam, & quāplura oppida à barbaris direpta recepit & instaurauit, & partâ victoriâ apud Parisios hyemauit. Anno CCCLIX. improbus delator in Aquitania cùm ad solenne epulum vocatus vidisset lectos accubitorios toralibus purpureis, clauis distinctis stratos, & pariter mensam mantilibus purpureis clauis consitis instratam, clauos purpureos è medio rapuit, anteriorem chlamydis imperatoriæ partem esse fingens, totámque domū perscrutatus, causatus domi integrum paludamentum regium cælari, quod fortè subiecerat, re delatâ ad Præsidem, opulentam domum bonis euertit, & hæc est sententia Am-

Lib 3.

miani, qui rem paulò obſcuriùs narrat his verbis: *Tunc illud per Aquitanos euenit, quod latior fama vulgarat, veterator quidam ad lautum conuiuium rogatus & mundum, qualia ſunt in ijs regionibus plurima, cum vidiſſet linteorum toralium par, duos clauos ita latiſſimos, vt ſibi viciſſim arte miniſtrantium cohærerent, menſámque operimentis paribus tectam anteriorem chlamydis partem vtraque manu vehens, intrinſecus ſtructuram omnem vt amictus adornauerat principales quærens, patrimonium diues euertit.* Lib. 16.

Sub Iuliano Florentius fuit præfectus Prætorio Galliarum, adfuítque in pugna Argentoratenſi, Autore Ammiano: *Acceſſit huic alacritati plenus celſarum poteſtatum aſſenſus, maximéque Florentij Præfecti Prætorio, periculosè quidem, ſed ratione ſecundâ pugnandum eſſe cenſentis.* Eiuſdem meminit Zozimus: φλωρεντίῳ τῆς αὐλῆς ἐν τοῖς ὑπὲρ τὰς Ἄλπεις ἔθνεσιν ὑπάρχῳ γενομένῳ, καθ' οὓς χρόνους ἐν οἷς Ιυλιανὸς ὁ μέγας τὴν τοῦ Καίσαρος εἶχε τιμὴν λυκιανὸς ἦν υἱός: *Florentio qui apud Tranſalpinas gentes Præfectus Prætorij fuerat id temporis, quo Magnus ille Iulianus dignitatem Cæſaris obtinebat filius fuit Lucianus.* Florentium ſub Iuliani principatu Galliarum Prætorem furti perſtringit Libanius: φλωρέντιος δ' ὁ μὲν ὕπαρχος ἐδίκαζεν, ὡς κλέπτειν δ' εἰδὼς καὶ τότε εἰληφώς. *Florentius autem prætor quidam ius dicebat, ſed vt furandi peritus & tunc conuictus.* Lib. 16. Zozimus lib. 5. init. orat. funeb. Iulian. to. 2.

Anno Chriſti CCCLIX. Romæ cum laude docuit Mineruius Rhetor Burdegalenſis, de quo Hieronymus: *Mineruius Burdegalenſis Rhetor, Romæ florentiſſimè docet,* hunc præceptorem ſuum agnouit, primúmque inter Rhetores Burdegalenſes laudauit Auſonius, In Chron. A. C. 359.

Primus Burdigalæ columen dicere Minerui. In Prof. Burdig. ep. 1.

Anno CCCLX. Iulianus dum per hyemem à bello vacaret, Galliarum ſolatio proſpexit, eáſque tributo leuauit, fruſtra intercedente Florentio Præfecto Prætorio Galliarum. Ammianus: *Dúmque per inducias licèt negotioſas & breues ærumnoſis poſſeſſorum damnis mederi poſſe credebat, tributi ratiocinia diſpenſauit; cúmque Florentius Præfectus prætorio cuncta permenſus vt contendebat, quicquid in capitatione deeſſet, ex conquiſitis ſe ſupplere firmaret, talium gnarus animam priùs amittere, quàm hoc ſinere fieri memorabat: Ob quæ Præfecto Prætorio ferri non poſſe clamante, ſe repentè factum infidum, cui Auguſtus ſummam commiſerit rerum, Iulianus eum ſedatiùs leniens ſcrupuloſè computando, & verè, docuit non ſufficere, verùm etiam exuberare capitationis calculum ad commeatuum neceſſarios apparatus; nihilominùs tamen diu poſteà indictionale augmentum oblatum ſibi, nec recitare, nec ſubnotare perpeſſus humi proiecit.* & idem alio loco de Iuliano: *Quod profuerit anhelantibus extremâ penuriâ Gallis, hinc maximè claret, quòd primitus partes eas ingreſſus pro capitibus ſingulis tributi nomine vicenos quinos aureos reperit flagitari, diſcedens verò ſeptenos tantùm munera vniuerſa complentes, ob quæ tamquam ſolem ſibi ſerenum poſt ſqualentes tenebras affulſiſſe cum alacritate & tripudijs lætabantur.*

Lib. 17.

Lib. 16.

Per id tempus Alcimus & Delphidius oratores in Aquitania claruerunt. Hieronymus: *Alcimus & Delphidius Rhetores in Aquitania florentiſſimè docent:* Vtrũque inter profeſſores Burdegalenſes celebrat Auſonius. Abundantiam Delphidij, fortitudinem Alcimi laudat Sidonius. Proſâ, verſúque Gallias illuſtraſſe Delphidium teſtis Hieronymus in epiſtola ad Hedibiam. *Maiores tui Paterius atque Delphidius, quorum alter antequã ego naſcerer Rhetoricam Romæ docuit, alter me iam adoleſcen-*

In Chron. 360.

Carm. 2. & 5

Lib. 5. ep. 10

tulo, omnes Gallias prosâ, verſuque ſuo illuſtrauit ingenio.

Anno Chriſti CCCLXI. Iulianus dum ſecundam expeditionem inſtruit in Germanos, annonam ex more petijt ex Aquitania, ſed moræ impatiens non expectato annonæ Aquitanicæ ſubſidio, Francorum, quos Salios vocant, fines ingreſſus, eos debellauit. Ammianus: *At Cæſar hiemem apud Pariſios agens, Alamannos preuenire ſtudio maturabat ingenti, nondum in vnum coactos, ſed in inſaniam poſt Argentoratum audaces omnes, & ſæuos, operienſque Iulium menſem, vnde ſumunt Gallicani procinctus exordia, diutiùs angebatur; nec enim egredi poterat, antequàm ex Aquitania æſtatis remiſſione ſolutis frigoribus & pruinis veheretur annona, &c.* Lib 17.

Anno Chriſti CCCLXII. Numerio Rectore Narbonenſis prouinciæ peculatus reo poſtulato apud Iulianum (is enim pro tribunali ius dicere ſolebat) cùm reus inficiatione ſe tueretur, & Delphidius ſupra laudatus, quem oratorem acerrimum vocat Ammianus, vehementiùs dixiſſet; *Ecquis nocens erit, ſi negare ſufficiet?* Iulianus ex tempore; *Ecquis*, ait, *innocens erit ſi accuſare ſufficiet?* Lib. 18.

Anno CCCLXIII. Iulianus Pariſijs agens à militibus Auguſtus acclamatus imperij inſignia ſuſcepit, ob id Florentius Præfectus Prætorio Galliarum à Conſtantio conſtitutus fugâ elapſus eſt ad Conſtantium: re cognitâ Conſtantius in Florentij locum Nebridium Præfectum prætorio Galliarum ſubmiſit, ſemiuirum appellitat Libanius, νεβρείδιος τις ἀνὴρ, μᾶλλον ἢ ἀνδρόγυνος ὕπαρχος ὤν. *Nebridius quidam vir potiùs ſemiuir qui Prætor erat*, quem Iulianus adhuc fluctuans & conſilij impos admiſit. Florentius à Conſtantio exceptus & In orat. funeb. Iulian.

factus Præfectus Prætorio Illyrici; tum Iulianus submoto Nebridio è Gallijs digressurus, vt in Constantium arma conuerteret Germanianum Præfectum Prætorio Galliarum instituit, vt scribit Ammianus.

Lib. 20. 21. & 26.

Iulianus dum Gallijs præfuit Cæsaris potestate impietatem animo cælauit, & Christianum palàm se finxit, vt Gallorum gratiam sibi conciliaret, quos nouerat Christianæ religionis valdè studiosos. Ammianus: *Vtque omnes nullo impediente, ad sui fauorem illiceret, adhærere cultui Christiano fingebat, à quo iampridem occultè desciuerat, &c.* Hoc consilio Iulianus fauit Catholicis aduersùs Arrianos, & ipsi Hilario exulanti, quod apertè ipse significat in libello ad Constantium: *Nec leuem habeo querelæ meæ testem, Dominum dominum meum religiosum Cæsarem Iulianum, qui plus in exilio meo à malis contumeliæ, quàm ego iniuriæ pertulit.*

Lib. 21.

v. Theodor. lib. 3. c. 4.

Iuliano à militibus Augusto acclamato in Gallia, Gaudentius missus à Cōstantio in Galliam cum copijs, vt Aquitanicum & Gallicum littus tueretur. Ammianus: *Qui cùm eò venisset, mandatorum principis memor, per litteras Cretione Comite, quid ageretur edocto, reliquísque Rectoribus, lecto vndique milite fortiore, translatísque ab vtraque Mauritania discursatoribus expeditis Aquitaniæ & Galliæ obiecta littora tuebatur arctissimè.*

Lib. 21.

Cap. IV.

Germanianus, Viuentius, Florentius secundùm Præfecti Prætor. Galliarum. Hilarij Pictauiensis obitus. Martinus in Turonensem Episcopum lectus. Iulius Ausonius medicus. Pontius Paulinus Aquitanus. Nolanus Episcopus. Saturninus Secundus Præses Aquitaniæ.



Ermanianvs Prætorij Galliarum præfecturam gessit vsque ad initia Imperij Valentiniani & Valētis ammianus: *Et Orientem quidem regebat potestate Præfecti Sallustius: Italiam verò cum Africa & Illyrico Mamertinus, & Gallias Prouincias Germanianus.* Mox anno ccclxviii. qui fuit primus annus Imperij & consulatus eorundem Augustorum, Viuentius factus est Præfectus Prætorio Galliarum, vt elicitur ex Codice Theodosiano. Is idem est, qui Iuuentius de quo ammianus. anno Christi ccclxix. iterum Florentius fuit Præfectus Prætorio Galliarum, vt obseruatur etiam ex Codice Theodosiano, cuius secundæ præfecturæ meminit ammianus.

Lib. 16. l. 5. C. de Tyronib. l. 4. & l. 7. C. de cens. sine adscrip. lib. 30. l. 5. C. de cens. sine adscript. lib. 27.

Eodem anno ccclxxix. Hilarius Pictauiensis Episcopus Pictauis vitâ migrauit, ex Hieronymo. De tempore ipsius obitus non consentiunt Seuerus Sulpitius, & Gregorius Turonensis: hic enim ait quarto Valentiniani & Valentis anno Hilarium mortuum esse; ille verò sexto post reditum ab exilio anno obijsse tradit.

In Chrón. A. C. 369. Lib. 2. hist. sacr. Lib. 3. hist. cap. 36.

Anno CCCLXXV. Martinus è Locociagensi Monasterio raptus ad Episcopatum Turonensem, testes Seuerus, & Gregorius Turonensis. Hic reliquias ethnicismi destruxit in Gallia, fana & simulachra dæmonum euertit, quorum cultores ea ætas vocitabat paganos, quòd agrestes seriùs Christianam religionem susceperint.

Lib. 1. de vit. S. Marti. Lib. 4. de mirac. S. Martin. c. 30

Sub Valentiniano Iulius Ausonius, origine Vasatensis, domicilio Burdegalensis, professione Medicus claruit in Aquitania. De quo Ausonius filius.

Parental. 1.

Præditus & vitas hominum ratione medendi
Porrigere, & fatis amplificare moras.

& Marcellus Medicus: *Nec solùm veteres medicinæ artis Autores Latino dumtaxat sermone perscriptos, cui rei operam vterque Plinius & Apuleius & Celsus, & Apollinaris, ac Designatianus, alijque nonnulli etiam proximo tempore inlustres honoribus viri, ciues ac maiores nostri, Siburius, Eutropius, atque Ausonius commodarunt lectione scrutatus.* Hic à Valentiniano artis famâ in Palatium accitus, & ab eo Præfectus prætorio Illyrici factus, de quo Ausonius F. vbi patrem inducit,

In epistola præfixa lib. de Medica. & cap. 25. eiusd. libr.

In Epiced. in Patr.

Præfectus magni nuncupor Illyrici.

Ex Æmilia Aeonia coniuge suscepit D. Ausonium, qui primùm Rhetor Burdegalensis, deinde à Valentiniano in Comitatum euocatus, præceptor fuit Gratiani & Valentiniani Iunioris, vt ipse de se testis est, in epistola ad Theonem,

Ep. 4.

Ausonius cuius ferulam nunc sceptra verentur.

Anno CCCLXXV. Anicius Pontius Paulinus factus est Consul, vt legitur apud Baronium: eius Consulatum celebrat Ausonius,

Tom. 4. Annal. A. C. 375.

Ep. 24.

Paulinum, Ausoniúmque viros quos sacra Quirini

Purpura

Purpura & auratae trabeae velauit amictus.

Is fuit Aquitanus ex clarissima Aniciorum familia. Paulinum splendore generis in partibus Aquitaniæ nulli secundum dixit Ambrosius, Burdegalæ natum prodit Epist. 36. Vranius Presbyter, qui eius vitæ summam, vel potiùs mortem litteris commendauit. *Sanctus Paulinus Episcopus Burdegala oppido Galliarum oriundus fuit.* Apud Sur. tom. 3. Iun. 22. Alijs videtur natus Hebromagi, quod est oppidum ad confluentes Durani & Garumnæ, patriam ipse Paulinus appellat in Epistola ad Seuerum: *Ebromagum enim, non hortuli causa, vt scribis, reliquimus, sed paradisi illum hortum prætulimus & patrimonio, & patriæ, quia illic magis domus vera, vbi æterna, ibi veriùs patria, vbi originalis terra & principalis habitatio.* Ep. 5. Præceptorem habuit D. Ausonium, vt testatur Ausonius in epistola ad Paulinum, Ep. 23.

------ *Ego sum tuus altor & ille*
Præceptor primus, veterum largitor honorum
Primus in Aonidum qui te collegia duxi.

In Poëtica adeò profecit vt in agone coronam lemniscatã meruerit, de qua Ausonius in Epistola ad eundem, Epist. 20.


Et quæ iam dudum tibi palma Poëtica pollet
Lemnisco ornata est, quo mea palma caret.

In oratoria quantùm potuerit idoneus arbiter Hieronymus in epistola ad eundem: Ep. ad Paulin. *Magnum habes ingenium, & infinitam sermonis supellectilem, & facilè loqueris, & purè, facilitásque ipsa & puritas mixta prudentiæ est; capite quippe sano omnes sensus vigent, huic prudentiæ & eloquentiæ si accederet vel studium, vel intelligentia scripturarum, viderem te breui arcem tenere nostrorum.* Vxorem duxit Therasiam nomine ex qua filium suscepit, octauo ab ortu die raptum, vt ipse testis, In Paneg de Cels. puer. tum ad Consulatum ordinarium

prouectus anno CCCLXXV. vt dixi.

Sub Valentiniano, Saturninus Secundus fuit Præses Aquitaniæ, vt docemur ex inscriptione veteri apud Gruterum. *Saturnino Secundo V. C. Præsidi Prouinciæ Aquitanicæ.*

p. 465. inscr. 8.



Cap. V.

Antonius Præfectus Prætor. Galliarum. Ausonius ex præceptore Gratiani Præfectus. Dulcidius Aginnensis Episcopus. Delphinius Burdegalensis Episcopus. Aquitania Priscilliani hæresi labefactata. Faustinianus Præfectus Prætor. Galliarum. Synodus Burdegalensis, Euchrocia vxor Delphidij damnata Romanus Presbyter Blauiensis.



Anno salutis CCCLXXIX. Antonius fuit Præfectus prætorio Galliarum: ad eum à Gratiano & Valentiniano iuniore emissum rescriptum, quo in singulis metropolibus Galliarum instituti professores, & annonæ eis è fisco decretæ, vt legitur in Codice Theodosiano. Inde studia litterarum valde claruere in Gallia. Hieronymus in epistola ad Rusticum Gallum: *Post studia Galliarum quæ vel florentissima sunt.*

l. 11. C. de Medic. & Professs.

Ausonius Consulatum Ordinarium gessit anno salutis CCCLXXX. de quo gratias egit Gratiano solenni oratione panegyricâ, quæ inter veteris eloquentiæ apices celebratur: antè idem fuerat Præfectus Prætorio Italiæ, Africæ, & Galliarum. Ausonius ipse vbi patrem

Edyll. 2.

inducit loquentem,

Maximus ad summum culmen peruenit honorum
Præfectus Gallis, & Lybiæ, & Latio.

Ipse tamen non nisi duplicem præfecturam numerat, quòd id temporis Africa esset sub dispositione Præfecti Prætorio Italiæ. Edyll. 4.

Sub idem tempus adhuc superstes fuit Fegadius, siue Phebadius Aginnensis Episcopus, de eo Hieronymus: *Viuit vsque hodie decrepita senectute.* Is interfuit Concilio Valentino Galliæ, anno CCCLXXIII. Is Dulcidium habuit successorem, qui SS. Fidei & Caprasij Martyrum cineres transtulit, & vtriusque memoriæ basilicam consecrauit, vt legitur in vita Martyrum apud Surium, & in Breuiario manu exarato Aginnensi. Lib. de scri. Eccl. c. 108. Tom. 7. Octobr. 10.

Anno CCCLXXXI. Cæsaraugustæ in Hispania Tarraconensi celebratum Concilium, quò conuenere Delphinius Burdegalensis Episcopus, & alij Aquitaniæ Episcopi, in quo hæresis damnati Priscillianus, & Delphidius Rhetor Aquitanus, de quo supra memini, & alij nefandæ hæresis sectatores. Hi cùm à sententia Synodi prouocassent, ad Damasum Romanum Pontificem, ex Hispania Romam iter instituere per Aquitaniam, quam hæresis labe fœdarunt, maximè Elusanam plebem, tentatâ Burdegalâ, à Delphinio huiusce vrbis Episcopo repulsi, nonnihil temporis subsederunt in prædio Euchrociæ, ea erat vxor Delphidij Rhetoris Burdegalensis, & inde nonnullos erroris lue infecerunt: tum cœptum iter expedierunt cum turpi mulierccularum stipatu, quas inter erant Euchrocia, & Procula eius filia, non sine suspicione stupri cum Priscilliano, & veneno abacti partus: rem narrat Seuerus, cuius Lib. 2. hist. sacr.

verba addere iuuat: *Sed iter eis præter interiorem Aquitaniam fuit, vbi tum ab imperitis magnificè suscepti, sparsere perfidiæ semina, maximéque Elusanam plebem, sanè tum bonam & religioni studentem prauis prædicationibus peruertêre. A Burdegala per Delphinum repulsi, tamen in agro Euchrociæ aliquantisper morati, infecere nonnullos suis erroribus, inde iter cœptum ingressi, turpi sanè, pudibundóque comitatu, cum vxoribus, atque alienis etiam fœminis, in queis erat Euchrocia ac filia eius Procula, de qua fuit in sermone hominum Priscilliani stupro grauidam partum sibi graminibus abegisse, Priscillianus autem, & socij à Damaso reiecti inaudita causa migrarunt.*

Anno CCCLXXXII. Faustinianus fuit Præfectus Prætorio Galliarum, de quo Sigebertus: *Eo tempore præfecturam Gallicam ministrabat, vir illustris Faustinianus, qui genuit filium, quem ob amorem & memoriam beati Firmini Martyris, Firminum vocauit, Ambianensium tempore posteriori Episcopum.*

A. C. 382.

Cæso Gratiano à Maximo Tyranno repetita Priscilliani & sociorum causæ cognitio iussu Maximi, in Synodo Burdegalensi habita anno CCCLXXXV. Priscillianus vbi se damnandum intellexit ad Maximum prouocauit. Iudicio mandato Euodio Præfecto Prætorio Galliarum, Priscillianus, & alij erroris consortes Treueris capite damnati, quos inter fuit Euchrocia vxor Delphidij Rhetoris; vt scribunt Seuerus, Prosper Aquitanus, & Sigebertus; hoc Delphidium felicem prædicat Ausonius, quòd vxoris & filiæ casum fato præuerterit.

Lib. 2. sacr. Hist.
A. C. 385.
A. C. 386.
In profess. Carm. 5.

Minus malorum munere expertus Dei
Medio quod æui raptus es
Errore quòd non deuiantis filiæ,
Pœnáque læsus coniugis.

Etiam Maximo exprobrauit Latinus Pacatus, in Panegyrico, quem paulò pòst Theodosio Augusto Romæ dixit, quòd ob errorem in mulierculam ad sanguinem vsque sæuitum esset: *De virorum mortibus loquor, cum descensum recorder ad sanguinem feminarum, & in sexum cui bella parcunt, non parcè sæuitum; sed nimirum graues suberant inuidiosæque causæ, vt vncô ad pœnam clari vatis matrona raperetur; obijciebatur enim, atque etiam exprobrabatur mulieri viduæ nimia religio, & diligentiùs culta diuinitas.* Hæreticis infensior fuit Maximus, vt tyrannidis inuidiam amoliretur sibíque conciliaret studia Gallorum & Aquitanorum, quos sciebat rectæ fidei tenacissimos, vt ipse agnouit in epistola ad Valentinianum Iuniorem, quæ extat inter Syricij P. epistolas: *Italia omnis atque Africa hoc sacramento credunt, hâc fide gloriantur Gallia Aquitania, omnis Hispania, Roma ipsa venerabilis.* Agnoscit idem Ambrosius in epistola ad Valentinianum. *Hanc fidem Galliæ tenent: hanc Hispaniæ, & cum pia diuini Spiritus confessione custodiunt.* Nec prætermittam quod addit Prosper Aquitanus, Burdigalæ quandam Priscilliani discipulam nomine Vrbicam ob impietatis pertinaciam per seditionem vulgi lapidibus necatam.

Sozom. lib. 7. cap. 13. Theodont. lib. 5. c. 14.

Epist. 32.


A. C. 385.

Anno CCCLXXXV. obijt S. Romanus Presbyter Blauiensis. Sigebertus: *In Gallia sanctus Romanus Blauiensis obijt.* Ipsum corpus à D. Martino Turonensi Episcopo Blauiæ conditum refert Gregorius Turonensis: *Habetur in hoc territorio & sanctus Romanus Presbyter, quem vt scripta vitæ eius edocent Martinus noster sepultura locauit. Est autem sepulchrum eius contiguum Blauiensi castello, super littus amnis Garumnæ.* Hìc extructa Basilica memoriæ S. Romani sacra, in qua sepultus Charibertus

A. C. 385.

De Glor. confes. c. 46 in vit. S. Greg. Tur. apud Sur. tom. 6. Nou. 7.

Lib. 3. hist. cap. 2. Rex, autore Aymoino. Blauiæ demum Carolus M. posuit Monasterium, Rolandi Comitis Blauiensis & Præfecti littoris Armorici sepulturâ insigne, de quo Turpinus. In Chron. c. 11. & 29.



Cap. VI.

Latinus Pacatus Orator Aquitanus. Constantinus, & Arborius Præfecti Prætor. Galliarum. Sulpitius Seuerus. Clarus, Martinus, Macarius Aquitani, Martini Turonensis Episcopi discipuli. Ruffinus Elusas.



ANNO salutis CCCLXXXIX. Latinus Pacatus Drepanius Orator Aquitanus, Theodosio A. Panegyricum Romæ dixit, cùm ille Maximo Tyranno Aquileiæ interfecto, Romam triumphans redijsset. Burdegalensem fuisse suspicatur Elias Vinetus in Ausonium, quòd in Panegyrico is se Gallum Transalpinum dicit, & ex vltimo Galliarum recessu, *quà littus Oceani cadentem excipit solem, ac deficientibus terris sociale miscetur elementum*: tum ex eo, quòd valde familiaris esset Ausonio Burdegalensi, qui nonnulla ei opuscula inscripsit, nempè Epigrammata, Ludum Sapientum, & Technopægnion. Nitiobrigem, seu Aginnensem agnoscit Sidonius, cùm aït Nitiobriges & Vesunnicos certare de Lupo qui erat origine Aginnensis, & domicilio Petrocorius, additque ipsum Drepanium illis, id est Aginnensibus, Anthediū istis, id est Petrocorijs suscitare: *Quid agunt Nitiobriges, quid Vesunnici tui,*

infit ille in epistola ad Lupum : *Tu verò vtrisque præsentiam tuam dispositè vicißimque partitus, nunc Drepanium illis, modò istis restituis Anthedium.* Pacatus honoribus functus, Proconsulem eum vocitat Ausonius non vno loco. Lib. 8. ep. 11

Cimasio & Promoto Coss. id est anno Christi CCCLXXI. Constantianus fuit Præfectus Prætorio Galliarum, vt colligitur ex Codice Theodosiano. Circa hæc tempora Arborius fuit etiam Præfectus Prætorio Galliarum, de quo in vita sancti Martini apud Seuerum, & Paulinum. Idem præfecturam vrbis gessit ab anno CCCLXXXII. vt elicitur ex Codice Theodosiano. l. 5. l. 8. C. Th. de infir. his quæ sub tyranno gest. sunt. cap. 20. Lib. 1. l. 8. C. de priuil. eor. qui in sacr. Palat.

His temporibus claruit Sulpitius Seuerus, Presbyter Aquitanus. Huic nomen Seuerus, cognomen Sulpitius, Gennadio & Gregorio Turonensi: alijs Sulpitius Seuerus dictus, atque ita inscribitur in epistolis ad Aurelium Diaconum, & ad Bassulam socrum. Etsi Paulino & Augustino simpliciter Seuerus vocitetur; hic tamen seipsum in Dialogis Sulpitij nomine inducit. Aquitanum agnoscit Gennadius : *Seuerus Presbyter cognomento Sulpitius Aquitanicæ Prouinciæ.* Aquitanum & ipse se fatetur, in dialogo Posthumiani & Galli, cui se immiscet, vbi Gallum inducit loquentem : *Sed dum cogito me hominem Gallum inter Aquitanos verba facturum, vereor ne offendat vestras nimium vrbanas aures sermo rusticior.* Et quidem se Aginnensem intelligi voluit, cùm Phœbadium qui Aginnensis Episcopus fuit, suum Episcopum vocet. Nobilissimâ stirpe ortum memorant Paulinus. De illustr. Eccles. scri. cap. 19. In epist. Ep. 205. d. cap. 19. De vit. S. Martin. l. 3. Lib. 2. hist. Sacr. Lib. 5. de vit. S. Marti.

Testis adest docto mirabilis ore Seuerus,
Et totâ Christum cordis virtute secutus
Insignis mundi titulis, sed clarior illâ
Quâ mundum tempsit sanctæ virtute fidei,

Nobilitate potens, sed multò exterius idem
Nobilior Christi cultu, quàm sanguinis ortu.

d. cap. 19. & Gennadius de eodem: *Vir genere & litteris nobilis & paupertatis atque humilitatis amore conspicuus.* Primùm in foro versatus summa cum eloquentiæ laude. Paulinus

Ep. 7. in Epistola ad eundem: *Tu frater dilectissime, ad Dominum miraculo maiore conuersus es, quia ætate florentior, laudibus abundantior, oneribus patrimonij leuior, substantia facultatum non egentior, & in ipso adhuc mundi theatro, id est fori celebritate diuersans, & facundi nominis palmam tenens, repentino impetu discussisti seruile peccati iugum, & lethalia carnis & sanguinis vincula rupisti.* Vxorem duxit ex consulari familia, & Bassulam socrum habuit, eâque præmaturâ morte ereptâ, viduitatis solatium in Deo quærens Presbyter factus. Paulinus in eadem Epistola: *Neque te diuitiæ de matrimonio familiæ consularis adgestæ, neque post coniugium peccandi licentia, & cælebs iuuentus ab augusto salutis introitu, & arduo itinere virtutis, in mollem illam & spaciosam multorum viam reuocare potuerunt.* Ante Presbyteratum Tolosæ claruit. Seuerus ipse in Epistola ad Bassulam socrum: *Ego,* inquit, *Tolosæ positus, tu Treueris constituta.* Hinc studio districtioris vitæ asceticum vitæ institutum arripuit, discipulum Sancti Martini Turonensis Episcopi professus, vt passim significat in vita eiusdem, quam scripsit, Paulino litterarum & pietatis commilitio carus, & valde familiaris, eumdem Martini Turonensis Episcopi discipulum, & de doctrina sapien-

Ep. 205. tiaque cõmendat Augustinus. *Cupiens inde ex hac materia breuem componere tractatum precibus compulsus nostri Seueri, quondam venerabilis Martini Turonensis Episcopi discipuli.* & paulò pòst. *Censui quid supradictus noster Seuerus vir doctrina*

doctrina & sapientia pollens, cum tribus aliis in ipso die & hora obitus Hieronymi in Turonensi ciuitate viderit.

Sub idem tempus, Martino Turonensi Episcopo; fuerunt & alij discipuli Aquitani sanctitate inter se certantes, nempe Clarus, Martinus, Macarius. Clarus nobilissimus adolescens, abiectis omnibus fortunis Martino in disciplinam se tradidit, à quo Presbyter ordinatus, & perfectioris vitæ institutis probatus cellam posuit seorsim à D. Martini Monasterio. Seuerus: De vit. S. Martin. c. 25 idem Pauli. lib. 3. de vit. S. Martin. *Clarus quidam nomine, adolescens nobilissimus, mox Presbyter, nunc felici beatus excessu, cùm relictis omnibus se ad Martinum contulisset, breui tempore ad summum fidei, virtutúmque omnium culmen enituit. Itaque cùm haud longè sibi ab Episcopi monasterio tabernaculum constituisset, multique apud eum fratres commorarentur.* Sanctum Presbyterum appellat idem Seuerus in epistola ad Aurelium: Martinus etiam discipulus Martini Turonensis Episcopi, postquàm magistri disciplinam altiùs hausisset, Monasterium posuit apud Sanctonum vrbem, vbi sacros eius cineres locat Gregorius Turonensis, in libello de cap. 57. Gestis Confessorum: *Martinus Sanctonicæ vrbis Abbas, Martini, vt ferunt, nostri discipulus, apud vicum vrbis ipsius in Monasterio, quod ipse post Magistri dogmata ædificauit, in pace quiescit.* & Ado Treuirensis: *Apud Santonas Beati* In Martyro. 7. Id. Dec. in Martyro Bedæ. *Martini Abbatis discipuli Sancti Martini Turonicæ vrbis Episcopi, qui in Monasterio quod ipse ædificauit, in pace quiescit, ad cuius tumulum creberrima diuinitus fiunt miracula.* Tamen alio loco Gregorius Turonensis eundem Martinum discipulum Martini Turonensis Episcopi, apud Briuam Curretiam vicum in Lemouicibus quiescere Lib. 7. hist. cap. 10. prodidit: *Apud Briuam Curretiam vicum, in quo Sanctus*

Martinus, nostri, vt aiunt, Martini discipulus, requiescit. Macarius à Martino Turonensi in Aquitaniam directus, cum socijs, Cassiano, & Castore, post emeritos labores apud Ligenos oppidum ad oram Garumnæ in agro Burdegalensi, quod nunc ob eius memoriam Sancti Macarij nomine notum est, à socijs sepultus, ac demum cùm miraculorum gratia crebrescente eius nomen celebrius esset à Guillelmo Aquitaniæ Duce Burdegalam translatus, & in matrice Ecclesia collocatus.

Sub idem tempus claruit Ruffinus patriâ Aquitanus in Comitatu Theodosij, Elusæ in Aquitania humili loco natus creditur, quò refertur illud Claudiani aduersùs eum,

Lib. 1. Aduers. Ruff. *Inuadit muros Elisæ.*

Lib. 4. Eum Zozimus Celtam appellat Ρουφῖνος Κελτὸς τὸ γένος. is ad summos honores euectus consulatum ordinarium, tandémque præfecturam prætorij gessit. Verùm quum ægrè ferret Stiliconem Magistrum militum sibi prælatum in cura liberorum Augusti, Gothos euocauit in exitium Imperij, quo scelere cognito, impetu facto ab exercitu confossus.

CAP. VII.

Marcellus Burdegalensis Medicus. Paulini secessus. Amandus Burdegalensis, & alij illustres Episcopi Aquitaniæ.


ISDEM temporibus, Marcellus Medicus Burdegalensis claruit in comitatu Theodosij Senioris, & librum scripsit de Medicamentis; se

in officio Theodosij meruisse testatur ipse in epistola ad filios Operi præfixa. *Marcellus vir inluster ex magno officio Theodosij senioris filijs suis salutem dicit.* Filium habuit cognominem, quem inter Burdegalenses Rhetores celebrat Ausonius. In Profess. Carm. 19.

Eodem temporis tractu Paulinus à Delphinio Burdegalæ baptizatus. Paulinus ipse in Epistola ad Alipium: *Nam ego etsi à Delphino Burdegalæ baptizatus.* Quā ob causam illum patrem & Petrum appellat, & idem alio loco eundem tanquam Aquitaniæ Pontificem commendat, Ep. 41. Epist. 16. Ad Delphi. In Natal. S. Felic. 11.

Gallia Martinum, Delphinum Aquitania sumpsit.

Exin Paulinus perfectioris vitæ studio accensus secessit in Hispaniam, cum Therasia coniuge, & consilij socia, à secessu eum reuocare omni arte nisus est Ausonius, Ep. 25. Bellerophontei morbi id est insaniæ accusare non dubitat, læsæ amicitiæ crimen obiectat, nec parcit Therasiæ, quam hoc maximè fugæ ream facit, quòd eam latere voluit hæc quæ scribebat, Ep. 23.

Si prodi Pauline times, nostræque vereris
Crimen amicitiæ, Tanaquil tua nesciat istud,

In hoc secessu Paulinus, anno CCCXCVI. à Lampadio, seu Lampio Barcinonensi Episcopo inuitus Presbyter ordinatus. Iulius Dexter: *A Sancto viro Lampadio, Episcopo Barcinonensi, qui successit sancto parenti meo Paciano fit Paulinus Presbyter.* In Chronic. Inuitum postulante plebe se ordinatum testatur Paulinus in Epistola ad Seuerum: *Nos modo in Barcinonensi, vt antè scripseram, ciuitate consistimus, post illas litteras quibus rescripsisti die Domini, quo nasci carne dignatus est, repentina vt ipse testis est vi multitudinis, sed credo ipsius ordinatione correptus, & Presbyteratu initiatus sum* Ep. 6.

fateor inuitus, non fastidio loci, nam testor ipsum, quia & ab æditui nomine, & officio optaui sacram incipere seruitutem, sed vt aliò destinatus alibi, vt scis, mēte compositus & fixus, nouum insperatúmque placitum diuinæ voluntatis expaui. Ordinationi demum assensit Paulinus eâ lege, vt ipsi Ecclesiæ non adscriberetur, vt addit in eadem Epistola ad Seuerum: *Scito tamen voti communis, eodem Domino præstante, saluam esse rationem, nam eâ conditione in Barcinonensi Ecclesia consecrari adductus sum, vt ipsi Ecclesiæ non alligarer, in sacerdotium tantùm Domini, non etiam in locum Ecclesiæ dedicatus.*

Illâ ætate claruerunt in Aquitania illustres tum sapientiâ, cum sanctitate Episcopi, Burdegalæ Amandus is successit Delphino; ad eum extant Paulini Epistolæ, Albigæ Diogenianus, Engolismæ Dynamius, Aruernis Venerandus, Cadurci Alithius, Petrocorijs Pegasius, Aginni Nitiobrigum Phœbadius, vt constat ex fragmento Epistolæ Paulini, quæ inter eius opera edita non est, & feliciter consignata apud Gregorium Turonensem: *Qualis autem fuerit hic Pontifex*, de Venerando loquitur, *testatur Presbyter Paulinus dicens: si enim hos videas dignos Domino Sacerdotes, vel Exuperium Tolosæ, vel Simplicium Viennæ, vel Amandum Burdegalæ, vel Diogenianum Albigæ, vel Dynamium Engolismæ, vel Venerandum Aruernis, vel Alithium Cadurcis, vel nunc Pegasium Petrogorijs, vtcumque se habent seculi mala, videbis profectò dignissimos totius fidei religionisque custodes.*

Lib. 2. hist. cap. 13.

Paulinus non multò post Presbyteratum, ad Euangelicæ perfectionis culmen enitens, omnia bona distraxit, & interea ingentia latifundia, quæ in Aquitania possidebat, & pretium erogauit in pauperes: *Non multò*

pòſt, addit Dexter loco ſupralaudato, *multâ paupertate ſpiritus prœditus, omnia vendidit :* Sigebertus tamen id actum refert ſub annum CCCCIII. Rebus venditis S. Ambroſium adijt, ab eóque in Clerum Mediolanenſem cooptatus, etſi loco non obſtringeretur. Teſtis Paulinus ipſe in Epiſtola ad Alipium : *Nam ego etſi à Delphino Burdegalæ baptizatus, à Lampio apud Barcilonam in Hiſpania per vim inflammatæ ſubitò plebis ſacratus ſim, tamen Ambroſij ſemper & dilectione ad fidem nutritus ſum, & nunc in ſacerdotij ordine confoueor, denique ſuo me clero vendicare voluit, vt etſi diuerſis locis degam, ipſius Presbyter cenſear.* Epiſt. 41.
Inde Paulinus, cum Theraſia ex coniuge ſorore factâ ſeceſſit in agrum Nolanum : vtrumque, & cenſus piam proſcriptionẽ, & ſeceſsũ Paulini celebrat Ambroſius in Epiſtola ad Sabinũ : *Paulinum ſplendore generis in partibus Aquitaniæ nulli ſecundum, venditis facultatibus tam ſuis, quàm etiam coniugalibus in hos ſe induiſſe cultus ad fidem comperi, vt ea in pauperes conferat, quæ redegit in pecuniam, & ipſe pauper ex diuite factus, tamquam deoneratus graui ſarcina, domui, patriæ, cognationi quoque valedicat, quo impenſiùs Deo ſeruiat, elegiſſe ſecretum affirmatur Nolanæ vrbis, vbi tumultum fugitans æuum exigat. Matrona quoque virtuti, & ſtudio eius proximè accedit, neque à propoſito viri diſcrepat. Denique tranſcriptis in aliorum iura ſuis prædijs virum ſequitur, & exiguo illic coniugis contenta ceſpite ſolabitur ſe religionis & charitatis diuitijs. Soboles eis nulla & ideò meritorum poſteritas deſiderata : hæc vbi audierint proceres viri quæ loquentur ex illa familia, illa proſapia, illa indole, tanta præditum eloquentia migraſſe à Senatu, interceptam familiæ nobilis ſucceſſionem, ferri hoc non poſſe.* Idem factum laudat Gregorius Turonenſis : Statio Paulino fuit in agro Nolano ad beati Epiſt. 36. Lib. de Glo. conf. c. 107.

Epist. 9. ad Seuerum. Felicis Martyris, quẽ hac de causa Dominędiũ appellat, id est Dominũ & Patronũ suũ, & multo carmine celebrat. Quo tempore factus sit Episcopus penè est incompertum, mirórque rem adeò memorandam sileri ab Vranio. Inter alia opera ante Episcopatum Panegyricam orationem ad Theodosium, super victoria tyrannorum Maximi & Eugenij edidit, *vt demonstraret*, ait

Lib. de scri. Eccl c. 48 Gennadius, *eum fide & oratione plusquàm armis vicisse.* Hoc animo se hunc librum pro Theodosio scripsisse Endelechij amicissimi viri suasu testatur ipse Paulinus, in Epistola ad Seuerum: *Fateor autem idcircò me libenter*

Epist. 9. *hunc ab amico laborem recepisse, vt in Theodosio non tam Imperatorem quàm Christi seruum, non dominandi superbiâ, sed humilitatẽ famulandi potentem, nec regno, sed fide principem prædicarem.* Quàm dolenda sit operis iactura, intelligere satis possumus ex Hieronymi de eo iudicio, in epistola ad Paulinum, quod elegantibus his verbis concluditur: *Felix Theodosius, qui à tali Christi oratore defenditur, illustrasti purpuras eius, & vtilitatem legum futuris seculis consecrasti.*



CAP. VIII.

Martini Turonensis transitus. Certamen de eius corpore inter Turones & Pictones, Clari obitus. Seueri reditus in Aquitaniam. Seuerinus Aquitanus primùm Coloniensis, tum Burdegalensis Episcopus. Vincentius Præfectus Prætor. Galliarum. Sepulchrum duorum amantum in Aruernis. Vigilantius Hæreticus venenum spargit per Aquitaniam. Vandali Aquitaniam vastant. Ausonius Engolismensis Episcopus.



TTICO, & Cæsario Coss. hoc est anno salutis CCCXCVII. Martinus Turonensis Episcopus, cùm diœcesim lustraret apud Condate vicum decessit: de sacro eius corpore grauis suborta est controuersia inter Turones & Pictones, vtrisque ad piam prædam aduolantibus: his Monachum & Abbatem suum; illis Episcopum vindicantibus: sed noctis interuentu lite in crastinum suspensâ, interim corpore in medio deposito, noctu Pictonibus fortè somno sopitis, corpus à Turonibus nauigio impositum per Vigennam amnem, & inde per Ligerim Turones subuectum. Pictones expergefacti elusos se sentientes, ad sua non sinè pudore redierunt, vt narrant Seuerus Sulpitius, & Gregorius Turonensis. Lib. de vit. S. Martin.

Non multò post Martinum obijt Clarus sanctissimus Lib. 1. hist. cap. vlt. eius discipulus, de quo Seuerus in Epistola ad Aurelium:

Nec multùm post sanctum Presbyterum Clarum ipsius discipulum, qui nuper excesserat, video eandem quàm magistrum viam scandere: eius Epitaphium carmine scripsit Paulinus, quod inter eius epistolas extat.

Epist. 12. ad Seuer. Martyrol. Rom. 8. Nouemb.

Post transitum Martini, Seuerus rediit in Aquitaniam, & Primuliaci, id fuit oppido nomen, in finibus Nitiobrigum vnde ortus fertur, Basilicam exstruxit, in qua Clari reliquias collocauit, teste Paulino, in epistola ad eundem. Per tempora etiam Elusone, quod est Galliæ Narbonensis oppidũ, eum degisse nobis indicat Paulinus: stultè Guibertus Abbas Gemblacensis putauit Sulpitium nostrum post obitum Martini inuitum & renitentem electum fuisse in Episcopum Bituricensem; nam hic Presbyteratus ordinem non excessit, & longè alium esse à Sulpitio Episcopo Bituricensi, euincit ratio temporum, quum inter transitum Martini, cuius hic noster Sulpitius discipulus fuit, & ordinationem Sulpitij Episcopi Bituricensis quæ contigit sub Guntrano Rege, intercedant anni circiter centum nonaginta.

Ep. 6. 11. 12. ad Seuer. Epist. 6. ad Seuer.

Ioseph. Scaliger. in proleg. ad libr. de emend. temp. Sigebert. A. C. 399.

Anno CCCXCIX. Seuerinus patriâ Aquitanus, & Burdegalensis vt fertur, Coloniensis Episcopus, dimisso Episcopatu, non sine diuino nutu Burdegalam repetijt, vrbem accedenti Amandus huiusce Sedis episcopus diuino quoque aspirante numine, cum vniuerso clero & plebe obuius ei occurrit, & peregrinum prorsus ignotum proprio nomine salutauit, vt narrant Fortunatus eius vitæ Autor apud Surium, & Gregorius Turonensis: imò Amandus, quod addit Turonensis, hospitem in tantùm coluit & obseruauit, vt ei vltrò episcopali cathedrâ cesserit, quo non diu pòst fatis functo Amandus sedem suam velut

Tom. 5. Octobr. 23. De Glor. Conf. c. 45.

velut postliminio recepit. Burdegalenses salutare Seuerini præsidium in aduersis sæpiùs experti, hunc sibi in patronum & tutelam asciuerunt. Idem Turonensis: *Ex hoc incolæ cognitâ eius sanctitate patronum sibi adsciscunt, certi quòd si quandoque vrbem aut morbus obrepat, aut hostilitas obsideat, aut aliqua querela percellat, protinus concurrentes populi ad Basilicam Sancti, indictis ieiunijs vigilias celebrant deuotissimè orationem fundentes, & mox ab imminenti calamitate saluantur:* vnde olim Burdegala ab hospitis nomine S. Seuerini Castellum vocitari amauit, si fides auctori Anonymo libelli de Translatione eiusdem, apud Surium. De Glor. Conf. c. 45. Tom. 5. Octobr. 23.

Anno salutis cccc. Vincentius fuit Præfectus Prætorio Galliarum, vt constat ex Codice Theodosiano. Hunc magnoperè coluisse Martinum Turonensem episcopum, & ab eo sæpiùs poposcisse, vt ei cibum in suo Monasterio præberet, sed virum sanctum abnuisse, ne quis ex hoc inanis gloriæ sensus obreperet narrat Seuerus Sulpitius. A. C. Th. vtrum vi. De vit. S. Martin.

Sub hoc tempus Iniuriosus vnus è Senatoribus Aruernis cum coniuge vitam cœlibem duxit in eodem toro, & cùm seorsim sepulti essent, postero die eorum sepulchra continentia reperta sunt: vulgus duos AMANTES vocitauit, de quibus Gregorius Turonensis meminit duobus locis. Lib. 1. hist. cap. 47. & lib. de Glor. Conf. c. 32.

Anno ccccvi. Vigilantius Hæreticus patriâ Calagurritanus virus suum ex Hispania sparsit in Aquitaniã, de quo Hieronymus: *Sola Gallia monstra non habuit, sed viris semper fortissimis, & eloquentissimis abundauit; exortus est subitò Vigilantius, seu veriùs Dormitantius qui immundo Spiritu pugnet contra Christi Spiritum.* & paulò pòst: *Nimi-* Aduers. Vigilant. Baron. tom. 5. A. C. 406.

rum respondet generi suo, vt qui de latronum & Conuenarum natus est semine, quos Cneus Pompeius edomita Hispania, & ad triumphum redire festinans de Pyrenæi iugis deposuit, & in vnum oppidum congregauit, vnde & Conuenarum vrbs nomen accepit, huc vsque latrocinetur contra Ecclesiam Dei & de Vectonibus, Arbacis, Celtiberisque descendens, portet nequaquam vexillum Christi, sed insigne diaboli.

Beda lib 1. Hist. Angl. cap. 11. Sigebertus, A. C. 411. Greg. Tur. lib. 2. c. 2.

Anno Christi CCCCVII. Vandali à Stilicone euocati, quò Honorio genero insidias strueret, filióque imperium pararet, Galliam & Aquitaniam ferro, flammísque vastarunt, vrbes & Ecclesias passim solo æquarunt. Hanc Galliarum cladem luget Hieronymus in epistola ad Ageruchiam: *Innumerabiles & ferocissimæ nationes vniuersas Gallias occuparunt, quicquid inter Alpes & Pyrenæum est, quod Oceano & Rheno includitur, Quadus, Vvandalus, Sarmata, Halani, Gipedes, Heruli; Saxones, Burgundiones, Alemani, & ô lugenda Respublica hostes Pannonij vastarunt; etenim Assur venit cum illis, Maguntiacum nobilis quondam Ciuitas capta, atque subuersa est, & in Ecclesia multa hominum millia trucidata, Vangiones longâ obsidione deleti, Remorum vrbs præpotens, Ambiani, Attrebatæ, extremique hominum Morini, Tornacus, Nemetæ, Argentoratus translati in Germaniam, Aquitaniæ, Nouemque populorum, Lugdunensis & Narbonensis Prouinciæ, præter paucas vrbes populata sunt cuncta, quas & ipsas foris gladius, intus vastat fames: non possum absque lacbrymis Tolosæ facere mentionem, quæ vt huc vsque non rueret Sancti Exuperij Episcopi merita præstiterunt.* Vandalicam & Galliarum inundationem deplorat Saluianus: *Excitata est in perniciem, ac dedecus nostrum gens quæ de loco in locum pergens, de orbe in orbem transiens vniuersa vastaret, ac primum à solo patrio effusa est in Germaniam pri-*

Lib. 7. de Guber. Dei.

mam nomine barbaram, ditione Romanam, post cuius primum exitium arsit regio Belgarum, deinde opes Aquitanorum luxuriantium, & post hoc corpus omne Galliarum. Tum à Vandalis destructa Pictonum Ciuitas cuius rudera visuntur in hunc diem haud procul nouo Pictauio, quod ex huius busto surrexit, vetus Pictauium vocant Ado Viennensis & alij scriptores Gallici.

Ausonium Martialis discipulum, & Engolismensem Episcopum à Vandalis Gallias vastantibus martyrium passum, lego in Chronico M S. Engolismensi; sed ætatum ratio reclamat: nam si verum est eum fuisse Martialis discipulum minimè credibile est eum vitam produxisse ad initia quarti seculi, sub quæ Vandali in Gallias irruperunt: Centesimus quippe annus est longissimus vitæ terminus.

Cap. IX.

Constantinus Tyrannus incubat Galliæ & Aquitaniæ. Limenius Præfectus Prætorio Galliarum. Pietas Gallorum. S. Seuerini corpus Burdigalâ asportatum Coloniam. Seueri lapsus, penitentia, & obitus. Dardanus Præfectus Prætorio Galliarum.

SVB eundem annum CCCCVII. Constantinus tyrannus in Britannia surrexit aduersùs Honorium, inde Bononiam maritimam Galliæ ciuitatem traiecit, militem conduxit ex Gallia & Aquitania, & eas prouincias in ditionẽ redegit. Sozomenus; Lib. 9. cap.
περαιωθεὶς δὲ Κωνσταντῖνος ἀπὸ Βρεττανίας ἐπὶ Βονωνίαν

Lib. 14. c. 5. (rectiùs βονονίαν Nicephorus) *πόλιν τῆς γαλατίας παρὰ θάλασσαν κειμένην παρεσηγάγετο τοὺς παρὰ γαλάταις καὶ ἀκυϊτανοῖς στρατιώτας, καὶ τὰς τῆδε ὑπηκόους ἀφειεποίησεν ἑαυτῷ, μέχρι τῶν μεταξὺ ἰταλίας καὶ γαλατίας ὄρων ἃς κοττίας ἄλπεις ῥωμαῖοι καλοῦσι: Constantinus igitur vbi ex Britannia traiecisset in Galliæ, ciuitatem Bononiam ad mare sitam conduxit ex Gallia & Aquitania milites, qui ibi erant, & eas prouinctas sibi subiecit, vsque ad montes eos qui Galliam separant ab Italia, & à Romanis Cottiæ Alpes nominantur.* Is Arelate Regiam fixit, Constantem filium Cæsarem declarauit. Tum Limenius Præfectus Prætorio Galliarum à Constantino tyranno Galliâ exactus ad Honorium Ticinum confugit, vbi militari tumultu oppressus, vt refert Zozimus.

Lib. 5. Hist. Tandem Constantinus Arelate obsessus à Constantio Comite, Honorij Sororio, captúsque & trucidatus. Eâ tempestate pietas Christiana maximè viguit in Gallia. Et Simeonis Ascetæ, qui primus in columna domicilium instituit, vnde Stylitæ nomen accepit, sanctitas, admirandúmque vitæ genus adeò decantatum, vt Galli, Hispani, & Britanni, ab extremis oris Occidentis in Syriam vsque penetrarent, vt eum stantem in columna spectarent, & veneratione prosequerentur. Theodoritus: *ἀφίκοντο δὲ πολλοὶ τὰς τῆς ἑσπέρας οἰκοῦντες ἐσχατίας σπάνοι, τε καὶ βρεττανοὶ, καὶ γαλάται οἱ τὸ μέσον τούτων κατέχοντες: Venere etiam multi Occidentis oras incolentes, & Hispani, & Britanni, & Galli qui horum media obtinent.*

In vit. Patr. cap. 26.

Postquàm Vandalorum furor in Gallijs desæuijsset, Agrippinẽses S. Seuerini sui Pontificis corpus à Burdigalensibus repetierunt, idque non sine numinis proui-

dentia, de illorum consensu domum extulerunt, vt scribit Autor Anonymus, in libello de Translatione S. Seuerini, apud Surium. Tom.5.Octobr.13.

Anno Christi ccccx. vita excessit Seuerus Sulpitius Discipulus S. Martini. Is prouectæ ætatis lapsus in Pelagij hæresim, verùm cognito errore, perpetuo eum silentio multauit. Gennadius & ex eo Ado Viennensis ijsdem verbis: *Seuerus Presbyter cognomento Sulpitius, vir genere, & litteris nobilis, & paupertatis & humilitatis amore conspicuus, hic in senectute sua à Pelagianis deceptus, & agnoscens loquacitatis culpam, silentium vsque ad mortem tenuit, vt peccatum quod loquendo contraxerat, tacendo penitus emendaret.* Præter Seuerum & alij Galliæ Presbyteri Pelagianæ hæreseos labe aspersi, quos vehementer insectatus est Celestinus I. in epistola ad Episcopos Galliæ. De scripto. Eccl. c. 19. In Chron. ann. 410.

Anno ccccxi. Dardanus fuit Præfectus Prætorio Galliarum, vt obseruatur ex Codice Theodosiano, & Olympiodoro apud Photium: ad eum epistolam scripsit Hieronymus in qua duplicem eius Præfecturam memorat; hunc inter tyrannos qui in Gallia aduersùs Honorium insurrexerunt recenset Sidonius. l 117. C. Th. de decur. in Biblioth. Lib.5. ep.9.



Cap. X.

Gallia Gothis tradita ab Honorio. Ataulphus Rex Gothorum, eius nuptiæ cum Placidia. Regia Gothorum apud fanum S. Ægidij. Hispaniæ Vandalis concessæ hâc lege ne præscribere liceret. Ataulphus Aquitaniam occupat. Tolosæ, & Burdegalæ, totiúsque fere Aquitaniæ clades, agrorum tertiâ Gothis & alijs Barbaris assignatâ. Ataulphi transitus in Hispaniam, & interitus.



OTHIS Alarico duce Italiam ingressis, & terras ad habitandum ab Honorio deposcentibus, Honorius vt Italiam graui hoste expediret, Gallias quas iam vix tueri poterat, crebris Barbarorum incursionibus laborantes, eis concessit.

A. C. 411. Idem Paul. Diacon. lib. 13.

Sigebertus: *Alaricus Rex Vvisigothorum per Italiam debacchatus mandat Honorio Imperatori, vt aut secum bello congrediatur, aut Gothis in regno suo locum ad habitandum largiatur: Honorius Gallias furori gentium vndique expositas eis concessit.* Donationi etiam Hispanias accessisse, &

de reb. Getic. c. 30.

donationem sacro oraculo sancitam, testis Iornandes: *Cui ad postremum sententia sedit, quatenus Prouincias longè positas, id est Gallias, Hispaniásque, quas tam penè perdidisset, & Gyserichi eas Vandalorum Regis vastaret irruptio, si valeret Alaricus sua cum gente sibi tamquam lares proprios vindicaret donatione sacro oraculo confirmatâ.*

Alaricus, pacto cum Honorio fœdere, cùm in Gallias

transiret, à Stilicone ex insidijs armis petitus ipso sacro die Paschæ, verùm eo fuso, fugatóque, Romanorum perfidiâ offensus, Italiam infestis armis repetijt, Romam ipsam vi cepit & incendio, sæuâque direptione vastauit, at triduo ab vrbe capta vltrò inde egressus, non multò pòst apud Consentiam oppidum repentinâ morte sublatus est autore Sigeberto. A. C. 412.

Alarico fatis functo, Ataulphus à Gothis in Regem electus, rursus Romam hostili prædatione attriuit, Placidiam Honorij sororem captiuam apud se habuit, eámque vxorem duxit, postquàm is Galliam attigit Massiliam dolo tentauit, sed à Bonifacio Comite vrbis præfecto, eruptione factâ vulneratus vix fugâ sibi consuluit: omissâ Massilia Narbonem vrbem à Iouino & Sebastiano tyrannis recepit: tum ibi solenne nuptiarum cum Placidia celebrauit, epithalamium accinentibus Attalo, Rustacio, & Phœbadio, vt narrat Olympiodorus apud Photium. Ataulphus regiam collocauit in oppido Narbonensis Prouinciæ, quod sequens ætas fanum sancti Ægidij vocauit, amœnitate loci vt opinor delectatus. Otho Frisingensis: *Sed Ataulphus amore vxoris suæ Placidiæ à finibus Romanorum cedit, ac in Gallijs iuxta Prouinciam Narbonensem, quàm postmodùm vir Dei Ægidius inhabitans, Metropoli ex nomine suo vt villa sancti Egidij dicatur dedit, in loco qui vsque hodie Palatium Gothorum vocatur consedit.* Inde vniuersæ Prouinciæ Narbonensi seu Gothiæ, nomen, Prouincia sancti Ægidij. Robertus Montensis. *Gothia quæ Prouincia sancti Ægidij dicitur.* lib. 6. Chro. c. 21. Ado Viennensis A. C. 410. In supplem. Sigebert. A. C. 118.

Gothorum aduentu territi Vandali è Galliæ finibus in Hispanias migrarunt, quas eis habitandas concessit Honorius, eo pacto ne triginta annorum præscriptione

Lib. 1. de Bell. Vanda. vti liceret, teste Procopio.

Ataulphus ex pacto Aquitaniam vnà cum Narbonensi prouincia nactus, testis mihi est Idacius ex editione Andreæ Scoti & Scaligeri: *Imperatoris Honorij Regnum Gothorum post captam Romam Gaysserici*, lege Alarici, *diuisione partitur, & qui in Italia consederunt ditioni Imperij se tradunt, reliqui Aquitaniam prouinciam cum ciuitate Tolosa eligentes sedem, Regem eligunt Ataulphum, postea à Gothis regnatum.* Idem perstringit Prosper ex editione Pithæi sub tempora Ataulphi his verbis: *Aquitania Gothis tradita*, in vtramque tamen prouinciam hostili feritate sæuijt Ataulphus, captam à Barbaris Tolosam, séque patriæ clade solum vertere, & in Italiam profugere coactum deplorat Rutilius Numatianus. Lib. 1. itine.

Victorinus enim nostræ pars maxima mentis
Congressu expleuit mutua vota suo.
Errantem Tuscis considere compulit agris
Excolere externos capta Tolosa lares.

Gothi adumbratâ pace Burdegalam ingressi, ferro & igni eam vastarunt. Paulinus: in Eucharis.

Namque profecturi Regis præcepto Ataulphi.
Nostra ex vrbe fuerant qui in pace recepti
Non aliter nobis quam belli iure subactis
Aspera quæque omni vrbe irrogauere crematâ.

Eandem cladem experta est vniuersa propè Aquitania. Prosper Aquitanus: Lib. de prouid. Dei, in prolog.

Quem non concutiat vicinâ strage ruina
Intrepidum flammas inter, & inter aquas?
Nos autem tanta sub tempestate malorum
Inualidi passim cædimur & cadimus,
Cúmque animum patriæ subijt fumantis imago

Et

Et ſtetit ante oculos quicquid vbique perit,
Frangimur, immodicis & fletibus ora rigamus,
Dúmque pios agimus, vertimur in querulos
Quo ſcelere admiſſo pariter periere tot vrbes,
Tot loca, tot populi quid meruere mali?
Si totus Gallos ſeſe effudiſſet in agros
Oceanus vaſtis plus ſupereſſet aquis.
Si toleranda mali labes heu cæde decenni
Vandalicis gladijs ſternimur & Geticis.

& poſt alia,

Tu quoque puluereus plauſtra inter & arma Getarum,
Carpebas duram non ſine faſce viam,
Cùm ſacer ille ſenex plebem vſta pulſus ab vrbe,
Ceu paſtor laceras duceret exul oues.

Non omittam tamen hoc loco quod narrat Fortunatus, cùm totius Aquitaniæ plebs religionis causâ ad ſolennem D. Seuerini diem Burdegalam confluxiſſet, & repentino Gothorum exercitus aduentu turbata, ad aram Diui confugiſſet, Gothos ſubito terrore conſternatos in fugam actos, & his quos prædaturi erant ipſos prædam factos, & ob id ſolenne feſtum Seuerino ab vniuerſa Aquitania inſtitutum. In vit. S. Seuerini apud Surium to. 5. Octo. 25.

Prouinciales noſtri quam legem à Gothis paſſi ſint in agrorum & poſſeſſionum modo inquirere hoc loco opportunum eſt. Vandalis in Africa agrorum partem aſſignari iuſſit Hunnericus Rex, qui dicti ſunt κλῆϱοι βανδίλων, *ſortes Vandalorum*, vt Autores ſunt Procopius & Victor Vticenſis. Burgundiones in Gallia tertiam mancipiorum, & duas agrorum partes tulerunt, vt ex eorum legibus notum eſt. Gothis in Italia, tertiam agrorum τὸ τϱιτημόϱιον τῶν ἀγϱῶν adſcripſit Odoacer Lib. 1. de Bell. Vand. lib. 2. de perſecut. Vandal. Leg Burgũ. tit. 54. §. 1.

Lib. 1. de bell. Goth. Rex,vt testis est Procopius. Quod & illustratur pluribus locis Cassiodori, & Ennodij Ticinensis: eâdem ratione vsi Vvisigothi in Hispania. Vnde in ipsorum lege Sortes Gothicas & Romanas quæ annis quinquaginta steterint nullo modo conuelli placuit. Eodem iure tertiâ agrorum Prouinciales nostros à Gothis multatos credere par est, nec mitiùs cum illis actum à barbaris, quàm cum Afris, Italis, & Hispanis:coniecturam & iuuat Sidonius Aruernorum Episcopus, in Epistola ad Lampridium Rhetorem Burdegalensem, cũ se à Gothis bonis proscriptum dolet: *Necdum enim quicquam de hereditate socruali, vel in vsum tertiæ sub pretio medietatis obtinuit*: locus obscurus est, & fortè corruptus, sed ita intelligi posse videtur,vt queratur Autor,se de bonis quæ ad eum peruenerant ex hereditate Auiti soceri securum non esse vel damno tertiæ,id est derelinquendo tertiam Gothis. Non alio iure Normannos Neustriâ occupatâ non solùm ciuilium sed etiam sacrorum prædiorum partem suis diuisisse colligo ex eo,quòd Carolus Simplex,Monasterium Rothomagense S. Audoëni cœnobio S. Germani præcepto regio vnijsse fertur apud Aymoini Continuatorem *exceptâ portione Normanorum*.

Lib.1.ep.14 lib.1.ep 16. lib.7.ep.20. lib.9.ep.13. leg. Vvisig. lib.10. tit.1. cap.1.

Lib. 8. ep.9.

Lib.5. c. 41.

Ataulphus rebus in Gallia compositis, seu *confirmato regno Gothis in Galliis*, vt scribit Iornandes in Hispanias transijt; eum verò à Constantio Romano Patricio coactum relictis Galliis in Hispaniam recedere Autores sunt Idacius & Isidorus, & congruenter Orosius narrat Gothos Narbonâ pulsos à Constantio Comite in Hispaniam abire compulsos,interdicto & secluso omni vsu commercij,quod refert ad tempora Ataulphi. Is multis præclarè gestis in Hispania aduersùs Vandalos à quodam è suis percussus occubuit.

De reb. Getic. c. 47.

Lib. 7. c. 9.

CAP. XI.

Sigericus, & post eum Vallia Reges Gothorum. Agricola P P. Galliarum. Constitutio Honorij de agendo Arelate annuo Conuentu VII. Prouinciarum Galliæ. Aquitania secunda ex pacto tradita, seu verius reddita Gothis Gothi Arriani Catholicorum Ecclesias occupant. Auiti legatio ad Honorium pro tributorum remissione. Apollinaris auus Sidonij P P. Galliarum. Tolosa Regia Gothorum. Valliæ interitus.

ANNO Christi CCCCXVIII. Ataulphus successorem habuit Sigericum, quo propediem de medio sublato, quòd de pacis cum Romanis, ineundæ studio suspectum se fecisset, Vallia à Gothis lectus in Regem eò maximè, quod Romanis infēsissimus videretur, sed Deo animum emolliente his amicissimus extitit. Constantius Comes, ab Honorio in Gallias missus cum validissimo exercitu, vt Placidiam sororem à Gothis pactione, aut armis repeteret, eam in vxorem victoriæ præmium assecuturus; huic Vallia non minoribus copijs, ad fauces Pyrenæi occurrit, sed legatis vtrinque pacis arbitris missis, à bello discessum, & fœdus instauratum eâ lege vt Romanis suppetias ferret si quando opus esset. Vallia Placidiam honorificè apud se semper habitam Honorio restituit, vt narrat Iornandes. De reb. Getic. cap. 32.

Eodem anno Agricola sub Honorio præfecturam

Prætorij Galliarum gessit, ad eum emissa est Constitutio de celebrando Arelate annuo conuentu septem Prouinciarũ Galliæ, inter quas fuere Aquitaniæ duæ, & Nouempopulana, ob sedem Præfectoriam quę Arelate translata fuerat è Ciuitate Treuerorum: hanc Constitutionem perperam tribuunt Constantino Magno Nicolaus Cusanus, Constantino tyranno Iosephus Scaliger vterque eo fortè decepti quòd in ea Arelate vrbs dicitur Constantina, rectiùs à Iacobo Sirmundo reddita est Honorio, ex fide veteris Codicis, quam inprimis iuuat autoritas Hincmari qui eiusdem meminit, & autorem commendauit Honorium.

Lib. 3 de Concord. cath. c. 35. In Auson. lect. lib. 1. cap. 24. In Sidon. in Epith. Polē & Araneol. Ep. 6. c. 17.

Vallia ex lege fœderis pro Romanis acerrimè pugnauit, Constantinus Tyrannus qui imperium affectauit aduersùs Honorium coniunctis Romanorum & Gothorum copijs Arelate obsessus, captus, & cæsus: tum Vallia varijs prælijs Vandalos debellauit in Hispania, & nonnullas prouincias ab eis receptas Romanis reddidit, victos in Africam migrare coëgit, ob hæc merita in Rempublicam Vallia ex pactione facta cum Constantio Comite reuocatus in Galliam, donatâ, aut potiùs redditâ secundâ Aquitaniâ, cùm nonnullis ciuitatibus affinium Prouinciarum. Prosper Aquitanus: *Constantius Patricius pacem firmat cum Vvallia, data eidem ad inhabitandum secunda Aquitania, & quibusdam ciuitatibus confinium Prouinciarum.* Plenius rem illustrat Isidorus: *Qui deinde* (loquitur de Vallia) *per Constantium Romanum Patritium ad Gallias reuocatur, data ab eo Gothis ob meritum victoriæ ad habitandum secunda Aquitania vsque ad Oceanum cum quibusdam ciuitatibus confinium Prouinciarum*, nempe Nouempopuloniæ, ita intelligendus Idacius ex editione

Sirmundi, cùm ſcribit Conſtantium Gothis ſedes poſuiſſe in Aquitania, à Toloſa vſque ad Oceanum, hi enim ſunt fines Aquitaniæ ſecundæ, & Nouempopuloniæ: *Gothi intermiſſo certamine quod agebant per Conſtantium ad Gallias reuocati ſedes in Aquitania à Toloſa vſque ad Oceanum acceperunt.* Aquitaniam Gothis ab ipſo Honorio traditam refert Paulus Diaconus: *Hoc in tempore fœdus firmiſſimum cum Rege Gothorum Vallia pepigit Honorius, tribuens ei ad habitandum Aquitaniam Prouinciam, eiuſdémque Prouinciæ etiam quaſdam ciuitates vicinas.* Idem Sigebertus: *Honorius pacto fœdere cum Gothis Aquitaniam tradit eis.* Ampliores longè fines incremento ditionis Gothicæ ponas, ſi qua fides Idacio edito à Scoto & Scaligero, nempè à mari Tyrrheno, & Rhodano, vſque ad Ligerim & Oceanum, quibus finibus continetur vtraque Aquitania prima & ſecunda: *Gothi ſedentes in Aquitania Toloſam ſedem ſibi elegerunt, à mari Thyrreno, & fluuio Rhodano per Ligerim fluuium vſque Oceanum poſſident.* Sed caue ne credas; nec enim Gothi Aquitaniam primam aſſecuti ante Euricum Regem, vt ſuo loco oſtendemus. Hoc pacto Gothi eâ parte Aquitaniæ potiti paſſim Catholicorum Eccleſias occuparunt, & ſuæ in partis vſus côuerterunt. Gregor. Turonenſis: *Haud ſecus & Reontia Villa eſt, in qua cùm eſſet Eccleſia Catholica, aduenientibus Gothis ad ſuam ſectæ immunditiam eam tranſtulerant.*

Lib. 14. hiſt. Miſcell.

Ad An. C. 418.

Lib. de Glo. Conf. c. 28.

Anno CCCCXXI. Auitus Aruernus Legatus Galliarum miſſus ad Honorium vt tributorum leuamen poſtularet, quod impetrauit ope & gratiâ Conſtantij Comitis. Sidonius.

In Panegyr. ad Auit.

Eligitur primus iuuenis ſolus mala fracta
Alliget vt patriæ, poſcátque informe recidi

Vectigal, procerum tum fortè potentior illic
Post etiam princeps Constantius omnia præstat.

Constantino tyrannidem in Gallia occupante aduersùs Honorium, Apollinaris Sidonij auus fuit Præfectus Prætorij, & Constanti, filio Constantini comes expe-
Lib. 6. Sido, lib. 3. ep. 12. ditionis Hispanicæ. Zozimus: ἐπὶ τούτοις ὁ Κώνστας εἰς τὴν ἰβηρείαν διέβη, στρατηγὸν μὲν τερέντιον ἔχων ἀπολλινάριον δὲ τῆς αὐλῆς ὕπαρχον: *Itaque Constans in Hispaniam transiit, quum Ducem Terentium, & Apollinarem Præfectum Prætorij haberet.* Inde suspectus Constantino Præfecturâ spoliatus, teste eodem Zozimo, qua fortè de
Lib. 5. ep. 9. causa Sidonius auum, Constantini inconstantiam execratum memorat.

Vallia anno duodecimo regni, alterâ expeditione Hispanicâ Vandalos attriuit, victor Tolosam reuersus
de reb. Getic. cap. 33. de quo Iornandes: *Incruenta victoria potitus Tolosam reuertitur*, nempe Tolosa fuit Regia Gothorum, vnde & Reges Tolosæ dici amarunt, vt in Commonitorio Alarici, præfixo Codici Theodosiano, *Datum sub Alarico Rege Tolosæ.* Tandem tot victorijs clarus diutino morbo consumptus vitam finiuit sub annum Christi CCCCXXVIII.

Cap. XII.

Theodericus Rex Gothorum. Arelate, & Narbona vrbes à Gothis obſeſſæ, ab Aëtio liberatæ. D. Germani Altiſsiodorenſis Epiſcopi peregrinatio ad D. Iuliani Martyris Briuate in Aruernis. Auxiliaris, PP. Galliarum. Bagaudarum recidiuus tumultus in Gallia. Littorius Dux Romanorum à Gothis victus & cæſus. Apollinaris Sidonij pater PP. Galliarum. Attila Gallias vaſtat, ab Aëtio, Francis & Gothis vincitur in campis Catalaunicis. Theoderici occaſus in prælio Catalaunico. Theoderici liberi.

DEFVNCTO Valliâ, in regno ſucceſſit Theodericus, in eius nomine variant Scriptores. Gregorio Turonenſi Theudo, Iſidoro Theudoridus, Idacio Theodores, meliùs Iornandi Theodoricus dicitur. Lib. 2. hiſt. Franc. c. 7. De reb. Getic. cap 34.

Is ſuis finibus non contentus rupto fœdere cum Romanis percuſſo, Arelaten nobiliſſimam Galliarum vrbem magnis viribus oppugnauit, ſed ab Aëtio Patricio non ſine ingenti ſuorum clade, ab obſidione vrbis ſubmotus. Conſentientes hac de re plures habemus ſcriptores. Proſper Aquitanus: *Arelas nobile oppidum Galliarum, à Gothis multâ vi oppugnatum eſt, donec imminente Aëtio, non impuniti abſcederent.* & Idacius: *Per Aëtium Comitem, non procul de Arelate quadam Gothorum manus* In Chron. A.C. 467.

extinguitur. & Isidorus: *Theudoridus post Valliam regnat annis* XXIII. *qui regno Aquitanico non contentus pacis Romanæ fœdus recusat, exercitum mouet, Arelatem nobilissimum oppidum Galliæ obsidet, à cuius obsidione imminente virtute Aëtij Romanæ militiæ ducis remotus abscedit.*

Inde Narbonam obsidione tentauit Theodoricus, sed ea per Ætium obsidione liberata. Idacius: *Narbona obsideri cœpta per Gothos, Narbonâ obsidione liberatur, Aëtio Duce & Magistro militum.*

His temporibus Germanus Altissiodorensis Episcopus vitæ sanctitate claruit, peregrinationem instituit ad D. Iuliani Martyris Briuate in Aruernis, oranti diuinitus reuelatur dies natalis Martyris ante hunc diem incognitus: cùm in Italiam contenderet Arelate ab Auxiliari tum Præfecto Prætorio Galliarum, & Hilario Arelatensi Episcopo benignè excipitur, vt narrat Constantius Presbyter in eius vita apud Surium. Auxiliarem fuisse P.P. Galliarum patet ex inscriptione veteri quam retulit Ios. Scaliger.

Tom. 4. Iul. 30. Auson. lect. lib. 2. c. 30.

Anno CCCCXXXVII. iterum Bagaudæ surrexere in Gallijs Attone Duce. Prosper Aquitanus: *Gallia vlterior Attonem*, sic lege, pro Tibutonem, *Principem rebellionis secuta à Romana societate discessit, à quo tracto initio omnia penè Galliarum seruitia in Bagaudam conspirauere.* Idem narrat Sigebertus Tumultus causâ importabile onus vectigalium, & sæuitia Præfectorum. Saluianus: *De Bagaudis nunc mihi sermo est, qui per malos iudices, & cruentos spoliati, afflicti, necati, postquàm ius Romanæ libertatis amiserant, etiam honorem Romani nominis perdiderunt, & imputatur his infelicitas sua, imputatur his nomen calamitatis suæ, imputamus nomen quod ipsi fecimus, & vocamus rebelles*

In Chron.

In Chron. A. C. 437.

Lib. 5. de Guber. Dei.

vocamus perditos, quos esse compulimus criminosos, quibus enim alijs rebus Bagaudæ facti sunt, nisi iniquitatibus nostris, nisi improbitatibus iudicum, nisi eorum proscriptionibus, & rapinis, qui exactionis publicæ nomen in quæstus proprij emolumenta verterant, & indictiones tributarias prædas suas esse fecerunt.

Anno CCCCXXXIX. Littorius Dux Romanus arma mouit in Gothos, iunctis Hunnorum auxiliaribus copijs; transeunti per Aruernorum fines infestâ manu hostilem in modum occurrit Auitus, eius copias in fugam dedit, & Hunnum equitem singulari certamine prostrauit, vt fusè narrat Sidonius. In Panegyr. Auit.

Littorius falsâ spe victoriæ elatus Aruspicum responsis, infelici prælio ad Tolosam cum Theodorico certauit, in quo victus & captus meritas superstitionis penas luit. Prosper Aquitanus: *Littorius dum Aëtij gloriam superare appetit, dúmque Aruspicum responsis & dæmonum significationibus fidit, pugnam cum Gothis imprudenter conseruit, fecitque intelligi quantùm illa quæ cum eodem perijt manus prodesse potuerit, si potioribus consiliis quàm suâ temeritate vti maluisset, quando tantam ipse hostibus cladem intulit, vt nisi inconsideranter prælians in captiuitatem incidisset, dubitandum foret cui potiùs parti victoria ascriberetur.* Idem narrant Idacius, Isidorus, Sigebertus, & Rodericus Toletanus. Vnus quod valdè miror Iornandes scripsit à Littorio æquo certamine pugnatum, & prælium pacto fœdere solutum, nullâ prorsus mentione factâ de casu Littorij: *Hunnis quoque auxiliariis Littorio ductante, contra Gothos Romanus exercitus mouit procinctum, diúque ex vtraque parte acie ordinatâ, quum vtrique fortes, & neuter firmior esset, datis dextris in pristinam concordiam redierunt, fœderéque firmato, ab alterutro fidâ pace peractâ recessit vterque.* In Chronic. A. C. 444. Lib. 2. c. 8. De reb. Getic. cap 34.

Ante pugnam Theodoricus etsi Arianâ hæresi laboraret, pacem à Littorio per Episcopos nostros petijt, nec impetrauit. Saluianus: *Denique probauit hoc bello proximo infelicitas nostra; cùm enim Gothi metuerent, præsumpsimus nos, nos in viribus spem ponere, illi in Deo, cùm pax ab illis postularetur, à nobis negaretur; illi Episcopos mitterent, nos repelleremus, illi etiam in alienis sacerdotibus Deum honorarent, nos etiam in nostris contemneremus, prout actus vtriusque partis, ita & rerum terminus fuit, illis data est in summo timore palma, nobis in summa elatione confusio, &c.* & paulò pòst. *Denique ipse Rex hostium quantùm res prodidit, ac probauit, vsque ad diem pugnæ stratus cilicio preces fudit, ante bellum in oratione iacuit, ad bellum de oratione surrexit, priusquàm pugnam manu capesseret, supplicatione pugnauit, & ideò fidens processit ad pugnam, quia iam meruerat in oratione victoriam.* Qui fuerint illi Episcopi pacis causâ legati liquidò non constat, vnum ex his fuisse Orientium Auxitanum Episcopum voluit Autor ipsius vitæ, sed non patitur ratio temporum, si qua fides Iulio Dextro, & alijs qui eum Vincentij Oscensis Martyris germanum asserunt.

Lib. 7. de Guber. Dei.

Partâ victoriâ Gothi periculi memores pacis conditiones non detrectarunt. Prosper Aquitanus: *Pax cum Gothis facta cum iam post ancipitis pugnæ lacrymabile experimentum humiliùs quam anteà poposcissent.* & Idacius: *Inter Romanos & Gothos pax efficitur.*

Anno CCCCXLII. Capto Attone & alijs sopita factio Bagaudarum in Gallia. Prosper Aquitanus, *capto Attone*, sic legendum iam monui pro, Tibutone, *& ceteris seditionis partim principibus vinctis, partim necatis Bagaudarum commotio conquiescit.* Idem Sigebertus.

In Chronic. A. C. 442.

A. C. CCCCXLVIII. Apollinaris Sidonij pater fuit

Præfectus Prætorij, eius præfecturæ epocha colligitur ex consulatu Asterij, quem in idem tempus refert Sidonius: *Cum pater meus Præfectus Prætorio Gallicanis tribunalibus præsideret, sub cuius videlicet magistratu Consul Asterius anni sui fores votiuum trabeatus aperuerat.* Hinc idem Sidonius patrem soliditati Galliarum præfuisse tradit alio loco. Lib. 8. ep. 6. Lib. 5. ep. 9.

A. Chr. CCCCLIII. Irruente in Gallias Attilâ cum innumeris Hunnorum copijs, Auitus tum Galliarum Præfectus à Valentiniano Tolosam ad Theodoricum legatus, eum in societatem belli adducit communis Galliarum hostis repellendi gratiâ teste Sidonio. Attila multas Galliarum ciuitates expugnat, diruit, incendit, Episcopos trucidat, Aurelianum celeberrimam vrbem diutinâ obsidione vrget, Anianus sanctissimus huiusce vrbis Episcopus de salute suorum solicitus, Aëtij & Gothorum auxilium expetijt, vt legitur in eius vita apud Surium. Theodoricus coniunctis cum Aëtio & Merouæo Rege Francorum copijs, domi relictis quatuor è liberis, nẽpe Friderico, & Turico, Rotemero, & Himmerit, expeditionis socijs secum assumptis Thorismundo & Theoderico natu maioribus, bellum instruit aduersùm Attilam, eo vrbis obsidione depulso, de summa rerum Galliæ pugnatum in campis Catalaunicis in Campania. Attila victus & fugatus, in hoc prælio Theodoricus telo vulneratus, equo deiectus, & equorum calcibus attritus cecidit, Thorismundus eius filius è medio hostium vulneratus vix euasit noctis beneficio. Ad internecionem deleri potuit Attila, sed victoriæ modum posuit Aëtius, cauens ne sublato Attilâ, Gothi, & Franci grauioris hostis metu soluti Romanis formi- In Panegyr. Auit. Tom. 6. No. 17. Frecul-phus lib. 5. cap. 14.

De reb. Ge-tic. cap. 41. dolosiores existerent: vt refert Iornandes. Non desunt qui suasum habent rem gestam in finibus Tolosatum in loco qui nomen retinet *Catalens*: sed quàm aberrent facilè intelliges ex Iornāde & Idacio, quorum hic prælium commissum narrat in campis Catalaunicis haud longè à ciuitate, quæ ab Hunnis capta erat, Metis. Et ille in campis quos patêre ait C. leucis in longum, & LXX. in latum, & post pugnam Thorismundum Aëtij consilio ad sua redijsse, ne fratribus occupandi regni occasionem per absentiam prǽberet; vix enim vlla periculi suspicio inijci poterat ad Tolosam vrbem posito, validisque copijs instructo.


Theodoricus rerum potitus annos XXIII. superstites reliquit sex filios masculos, Thorismundū, Theodericū, Fredericū, Turicū, Rotemerū, & Himmerit, siue Aymericū & filiā vnicā, quę Hūnerico Genzerici Regis Vandalorū filio nupta, à socero ob suspicionē veneni ab ea parati naribus trūcata, & hoc pacto turpiter deformata patri in Galliā remissa, vt memorię prodidit Iornandes.

De reb. Getic. cap. 36. Aquitaniam Hunnorum clade laborasse, & Vasatum oppidum ab his obsessum insinuant Gregorius Turonensis, & Sigebertus, cùm referunt Vasatensi oppido Hunnorū obsidione liberato, cùm Episcop⁹ in gratiam accepti à Deo beneficij solennem Missam celebraret, eum obseruasse tres aquæ guttas paris magnitudinis crystallo nitidiores de cœlo in aram defluere quę simul coniunctæ in pulcherrimam gemmam coaluerunt, quâ positâ in medio crucis, auro & gemmis distinctæ, aliæ statim suo loco lapsæ sunt, hoc miraculo damnata Arriana hæresis, quæ Gothorum & Burgundionum tabe Galliam nimiùm fœdauit.

Lib. 1. de mirac Mart. 23. A.C. 453.

Cap. XIII.

Thorismundus Rex Gothorum. Ferreolus PP. Galliarum. Arelate iterum obsessa à Gothis. Attila rursus Gallias vastat. Thorismundi exitus. Gothi Regicidæ.



HORISMVNDVS igitur cæso patre in campis Catalaunicis, & iustis ei persolutis, subdolo Aëtij consilio, belli Hunnici reliquias omisit, Tolosam quæ erat Regia Gothorum cum suis redijt, & vno omnium assensu regni possessionem nactus est. Iornandes: *Thorismund ergo patre mortuo in campis statim Catalaunicis vbi & pugnauerat, regiâ maiestate subuectus Tolosam ingreditur, &c.* De reb. Getic. cap. 41.

Per hæc tempora Tonantius Ferreolus, Syagrij Consulis ex filia nepos præfecturam Galliarum gessit. Sidonius in Epistola ad eumdē: *Prætermisit Gallias tibi administratas, tunc cùm maximè incolumes erant*, nempe depulso Attilâ per Aëtium: & belli socios is Papianillam habuit vxorem, ex qua suscepit filium cognominem, eius larem, & domicilium apud Treuidum in finibus Ruthenorum locat idem Sidonius, Lib. 7. ep. 12 In propēpt. ad libell.

Ibis Treuidon & calumniosis
Vicinum nimis heu iugum Rutenis
Hic docti inuenies patrem Tonanti
Rectorem, columénque Galliarum
Prisci Ferreolum parem Syagri,
Coniux Papianilla quem pudico
Curas participans iuuat labore.

Sunt qui credunt eum esse principem gentis Ansberti, & per eum Caroli M.

Thorismundus regnum adeptus pacis impatiens fœdus cum Romanis percussum fregit, Arelatum obsedit; verùm obsidionẽ dimisit suasu Ferreoli Præfecti, quem ait Sidonius plus epulis apud hostem effecisse, quàm armis præstiturus esset Aëtius si adfuisset : *Prætermisit Regem Gothiæ ferocissimum, inflexum affatu tuo melleo, graui, arguto, inusitato, & ab Arelatensium portis, quem Aëtius non potuisset prælio, te prandio remouisse.* Hâc ætate Gothorum ditio Rhodani littus attingebat, vnde & Sidonius Thorismodum Rhodani hospitem vocat.

Lib 7. ep. 12

d. ep. 12. li. 7.

Rursùs Attilâ infestis armis Galliam petente & in Alanos, qui trans Ligerim consederant permittente Aëtio, procinctum mouente, Thorismundus belli molem in se conuersam iri sentiens, Alanis suppetias profectus, Attilam prælio fudit, fugauítque, & Gallijs decedere coëgit, vt prodit Iornandes, & post eum Rodericus Toletanus: alij autores sunt inter quos Sigebertus Attilam Gothos bello agressum, victum à Thurismundo abijsse inglorium.

De reb. Getic. c. 44.

A. C. 355.

Thorismundus tertio regni sui anno cùm valetudinis causâ sanguinem è vena misisset, submissis sicarijs in cubiculo interemptus, non impune tamen; quosdam enim ex insidiatoribus scalpello, ita enim legendum apud Iordanem, non scabello, occidit. Isidorus narrat Thurismundum regnasse anno vno, & dum se insolẽtiùs haberet, à fratribus Theodorico & Frederico necatum. Hic fuit Gothorum furor, vt Regum vitę vix parcerent, Gregorius Turonensis: *Sumpserant Gothi hanc detestabilem consuetudinem, vt si quis eis de Regibus non placuisset, gla-*

De reb. Getic. c. 43.

Lib. 3. hist. cap. 28.

dio eum appeterent, & qui libuerit animo hunc sibi statuerent Regem: ideóque Patres Conc. Toletani IV. V. VI. XVI. multis canonibus securitati Gothorum Regum, quibus parebant, prospexerunt. Conc. Tole. 4. cap. 75. Tolet. 5. ca. 3 & 8. Tolet 6. ca. 14. 17. 18. Tolet. 16. can. 1.

Cap. XIV.

Theodoricus II. Rex Gothorum, eius vxor Ragnachildis. Auitus Aruernus à Gothis ad imperium pronectus. Sidonius Auiti filiam ducit vxorem. Theodoricus Aquitaniam primam armis vastat. Auiti exitus. Prosper Aquitanus. Narbona Theodorico prodita. Victorinus Aquitanus Cycli Paschalis conditor. Abraham Abbas sanctitate clarus in Aruernis. Theodorici mors.



MORTVO Thorismundo Theodoricus eius germanus in regnum successit, princeps animi & corporis dotibus præstans, cuius formam, studia & mores commendat Sidonius eleganti Epistola ad Agricolam, quam exscribere hîc otiosum esset. Lib. 1. ep. 2. Vxorem habuit Ragnachildem: conchā argenteā quâ illa vteretur balnei causâ fieri curauit Euodius; cui carmen incidendum concinnauit Sidonius quod ipse inter epistolas reliquit, vnde coniectura ducitur eam esse fortassis, quam vulgus Tolosanum vocitat, *la Reyne Pedauque*, quòd aquis & balneis inprimis delectaretur. Lib. 4. ep. 8.

Anno Christi CCCCLV. occiso Valentiniano Iuniore

Maximus doli artifex inuadit imperium, Auitum patriâ Aruernum Magistrum militum creat; is ad Theodoricum pacis sanciẽdæ causâ legatus, cum legationis causâ Tolosæ versaretur, auditâ Maximi tyranni nece, hortatu Theodorici Tolosæ purpuram sumpsit, & à Gothis vnà cum Romanis Augustus primùm salutatus tum apud Arelatum. Idacius: *Ipso anno in Gallijs Auitus Gallus ciuis, ab exercitu Gallicano, & ab Honoratis primùm Tolosæ, dehinc apud Arelatum Augustus appellatus Romam pergit, & suscipitur.* Apud Vgernum Arelatense castrum id actum
Carm. 7. narrat Sidonius,

----- Fragor atria complet
Vgerni quo fortè loco pia turba Senatus
Detulerat vim vota, preces, locus, hora, diésque
Dicitur Imperio felix.

Sidonius Apollinaris filius ex laïco posteà Aruerno-
Lib. 2. hist. cap. 21. rum Episcopus, vxorem duxit Papianillam Auiti Augusti filiam, vt legitur apud Gregorium Turonensem, dos dicta prædium Auitacum nomine ab Auito, testis
Lib. 2. ep. 2. v. eumd. car. 18. ipse Sidonius: *Auitaci sumus, nomen hoc prædio, quod quia vxorium patrio mihi dulcius.*

Theodoricus conniuente Auito Aquitaniam, primam intellige, præsidio destitutam nactus, armis vastauit. Isidorus: *Theodoricus post fraternam necem in regnum succedens imperauit annis XIII. qui pro eo quòd Imperatori Auito sumendi Imperialis fastigij, cùm Gallis auxilium præbuisset Aquitanias cum ingenti exercitu, & cum ingenti licentia eiusdem Auiti imperatoris ingreditur.*

Auitus licentiâ regni subitò mutatus, è pristina virtute in mollitiem, & luxuriam lapsus, ante annum impletum imperio submotus, & Placentiæ Episcopus ordinatus, sed

ſed comperto, quòd Senatus de eius nece cõſilium agitaret fuga ſalutem quæſiuit, & Briuatem ad D. Iuliani Martyris baſilicam, quæ eſt in finibus Aruernorum iter aggreſſus, ſed in itinere defunctus Briuatem elatus eſt, & ad Martyris pedes ſepultus. Gregorius Turonenſis: *Auitus enim vnus è x Senatoribus, & vt valdè manifeſtum eſt ciuis Aruernus, cùm Romanum ambiiſſet imperium luxurioſè agere volens à Senatoribus eiectus, apud Placentiam vrbem Epiſcopus ordinatur; comperto autem quòd adhuc indignans Senatus vitâ eum priuare vellet, baſilicam ſancti Iuliani Aruerni Martyris, cum multis muneribus expetiuit, ſed impleto in itinere vitæ curſu obijt, delatúſque ad Briuatenſem vicum, ad pedes antedicti Martyris eſt ſepultus.* Auitum tertio anno à Gothis deſtitutũ, imperio ſubmotum autor eſt Idacius: *Auitus tertio anno poſteaquàm à Gallis & à Gothis factus fuerat Imperator caret imperio, Gothorum promiſſo deſtitutus auxilio, caret & vitâ.* Lib. 2. c. 2. Vid. Aymoi. lib. 1. c. 3.

Hâc ætate ſanctitatis & ſcientiæ fąmâ celeberrimus extitit Proſper patriâ Aquitanus Regienſis Epiſcopus, olim Notarius Leonis Papæ: hic ſtudioſiſſimus, librorum Auguſtini in Pelagium defenſor fuit aduersùs Caſſianum, & alios oppugnatores, de quo Gennadius, Ado Viennenſis, & alij eos ſecuti. Lib. de ſcri. Eccl. c. 84. A. C. 465.

Theodoricus ſub initia regni, cum audijſſet Riciarium Sueuorum Regem, ſuis finibus non contentum, vniuerſæ Hiſpaniæ imperium ambire, inſanæ Reguli ambitioni occurrendum ratus, per legatos monuit, vt ſuis ſe finibus contineret; ille legatione offenſus Theodorico ſi obmurmuraret bellum in Regiã vſque ſe illaturũ interminatus, *Si hîc murmuras* inquit ille apud Iornandem, *& me venire cauſaris, Toloſam vbi tu ſedes veniam,* De reb. Getic. cap. 44.

ibi si vales resiste. His auditis Theodoricus adiunctis Burgundionum copijs Riciarium bello petit,& prælio hostem fundit,fugátque, ísque de fuga retractus, & in Theodorici potestatem deductus vitâ & regno priuatur.

Anno CCCCLXII. Narbona Theodorico prodita scelere Agrippini Comitis, vt Regis patrocinium sibi pararet, aduersùm Ægidium Comitem, cum quo grauis sibi simultas erat. Idacius: *Agrippinus Gallus & Comes & ciuis, Ægidio Comiti viro insigni inimicus, vt Gothorum mereretur auxilia Narbonam tradidit Theudorico*: tamen obsidione expugnatam satis apertè prodit Sidonius illo loco: *Dum apud Narbonem quondam Martium dictum, sed nuper factum moras necto*, vt vt sit vrbem in ditionem redactam,humaniter accepit,habuítque Theodoricus,de quo Narbonæ gratulatur Sidonius,

In epist præfixa car. 22.

Carmin. 23.

Hinc te Martius ille rector, atque.
Magno patre prior decus Getarum
Romanæ columen, salúsque gentis
Theodoricus amat, sibíque fidum
Aduersos probat ante per tumultus.

Hoc tempore Abraham Abbas,Persa natione,vitæ sanctitate claruit in Aruernis,Monasterium D. Cyricio,vel Cyriaco sacrum in suburbio Aruernæ vrbis ædificauit autore Gregorio Turonensi.

Lib. 2. hist. Fr. cap. 21 & de vit. patr. cap. 3. apud Sur. 25. Iun to. 2. De script. Ecclesc 58.

Anno CCCCLXIII. Victorinus natione Aquitanus Cyclum Paschalem composuit iussu Hilari Papæ, teste Gennadio.

Theodericus decimo & tertio regni anno ab Eurico fratre interemptus, iusto numinis iudicio vim passus quam fecerat.

Cap. XV.

Euricus Rex Gothorum, is primus Gothis leges scripto dedit. Aquitania vectigalibus exhausta. Seronatus perduellionis damnatus. Aruandus P P. Galliarum damnatus eiusdem criminis. Rogationes à Mamerco institutæ, in Gallia & Aquitania vsu receptæ Tolosæ sanguis è terra fluxit, præsagium casus Gothorum. Theodoricus Riothimum Britonum Regem bello vincit, & Biturigas occupat. Gothi fœdifragi.



VRICVS pari scelere quo frater in regnum successit, in eius nomine variant scriptores. Iornandi & Isidoro Euricus, Sigiberto & alijs Eoricus, Sidonio & Gregorio Turonensi Euarix nominatur.

Hic primus Gothis leges scripto dedit, nam ante eum moribus tantùm vtebantur. Isidorus: *Sub hoc rege Gothi legum instituta scriptis habere cœperunt, nam anteà tantùm moribus & consuetudine tenebantur*: hinc Euricum legum conditorem celebrat Sidonius in epistola ad Leonem: *Modò per promotæ limitem sortis, vt populos sub armis, sic frænat arma sub legibus*: ab eo tempore Theodosianæ id est Romanæ leges pessumdatæ, & Theodoricianæ id est Gothicæ Prouincialibus obtrusæ; Seronato Romano præfecto etiam doli participe, de quo Sidonius: *Exultans Gothis insultans Romanis, illudens præfectis, collu-*

Lib. 8. ep. 3.

Lib. 2. ep. 1.

densque numerarijs, leges Theodosianas calcans, Theodoricianásque proponens. Theodoricianæ dictæ à Theodoricis Regibus Gothorum, non quod harum legum autores fuerint, ab Eurico enim editas satis notum erat Sidonio, sed ob paronomasiam cum Theodosianis. Has leges posteà emendauit & ampliauit Leuuigildus. Isidorus: *In legibus quoque ea quæ ab Eurico inconditè constituta videbantur correxit, plurimas leges prætermissas adijciens, plerasque superfluas auferens.*

His temporibus Aruerni, Gabali, & alij Aquitaniæ primæ populi, qui adhuc sub Romana ditione erant, à Seronato vectigalium mole attriti, quæ causa graues in eum excitauit querelas. Sidonius in epistola ad Ecdiciũ: *Duo nunc pariter mala sustinent Aruerni tui, quænam, inquis præsentiam Seronati, & absentiam tuam, rediit ipse Catilina seculi nostri nuper Atturibus, vt sanguinem, fortunásque miserorum, quas ille ibi ex parte propinauerat, hic ex asse misceret: indicit vt Dominus, exigit vt tyrannus, addicit vt iudex, calumniatur vt barbarus.* & in epistola ad Pannychium de eodem: *Iam metu ex sanguibus Gabalitanis è proximo infertur, quos singulos sparsos inoppidatos, nunc inauditis indictionum generibus exhaurit, nunc flexuosâ calumniarum fraude circumuenit, ne tum quidem domum laboriosos redire permittens, cum tributum annuum datauere.* Certè præfectorum sæuitia & non ferendum vectigalium onus, adeò prouincialium animos exacerbauit, vt passim ad Gothos & alios Barbaros se conuerterent. Saluianus: *Itaque passim vel ad Gothos, vel ad Bagaudas, vel ad alios vbique dominantes barbaros migrant, & commigrasse non pœnitet, malunt enim sub specie captiuitatis viuere liberi, quàm sub specie libertatis esse captiui.* & infrà: *Tam longè enim est, vt hæc inter*

Lib. 2. ep. 1.
Lib. 5. ep. 13
Lib. 5. de Guber. Dei

Gothos barbari tolerent, vt ne Romani quidem, qui inter eos viuunt ista patiantur: itaque vnum illic Romanorum omnium votum est, ne vmquam eos necesse sit in ius transire Romanorum; vna consentiens illic Romanæ plebis oratio, vt liceat eis vitam quam agunt agere cum barbaris, & miramur si non vincantur à nostris partibus Gothi, cùm malint apud eos esse quàm apud nos Romani. & Paul. Orosius. *Quamquã & post hoc quoque* Lib.7.c.28. *continuò barbari execrati gladios suos, ad aratra conuersi sunt, residuósque Romanos, vt socios modò & amicos fouent, vt inueniantur iam inter eos quidam Romani, qui malint inter Barbaros pauperem libertatem, quàm inter Romanos tributariam solicitudinem sustinere.* idem etiam Isidorus: *Vnde & huc-* In Chronic. *usque Romani qui in regno Gothorum consistunt, adeòample-* Ær. 447. *ctuntur, vt melius sit illis cum Gothis pauperes viuere, quàm inter Romanos potentes esse, & graue iugum tributi portare.*

Seronatus Gothorum partes fouebat, vnde Catilinam seculi vocat Sidonius, ob id perduellionis insimu- Lib.3.ep.1. latus ab Aruernis, Románque raptus, capite deciso sceleris pœnas luit. Idem Sidonius: *Illi amore Reipublicæ Se-* Lib. 7.ep.7. *ronatum Barbaris prouincias propinantem non timuerunt legibus tradere, quem conuictum deinceps vix Respublica præsumpsit occidere.*

A. C. CCCCLXVIII. Aruandus Galliarum præfectus, interceptis litteris ad Euricum belli gerendi in Romanos & Britones Ligeris accolas, & Galliȩ cum Burgundionibus iure gentium diuidundæ autor deprehensus à Ferreolo & alijs Narbonensis prouinciæ legatis reus majestatis factus apud Anthemium, Romam traductus Senatus decreto morte damnatus, sed deprecante Sidonio supplicio exemptus, & pœna capitis in exilium commutata, rem fusè narrat Sidonius: affectati imperij Lib.1.ep.7.

extinguitur. & Iſidorus: *Theudoridus poſt Valliam regnat annis* XXIII. *qui regno Aquitanico non contentus pacis Romanæ fœdus recuſat, exercitum mouet, Arelatem nobiliſſimum oppidum Galliæ obſidet, à cuius obſidione imminente virtute Aëtij Romanæ militiæ ducis remotus abſcedit.*

Inde Narbonam obſidione tentauit Theodoricus, ſed ea per Ætium obſidione liberata. Idacius: *Narbona obſideri cœpta per Gothos, Narbonâ obſidione liberatur, Aëtio Duce & Magiſtro militum.*

His temporibus Germanus Altiſſiodorenſis Epiſcopus vitæ ſanctitate claruit, peregrinationem inſtituit ad D. Iuliani Martyris Briuate in Aruernis, oranti diuinitus reuelatur dies natalis Martyris ante hunc diem incognitus: cùm in Italiam contenderet Arelate ab Auxiliari tum Præfecto Prætorio Galliarum, & Hilario Arelatenſi Epiſcopo benignè excipitur, vt narrat Conſtantius Presbyter in eius vita apud Surium. Auxiliarem fuiſſe P.P. Galliarum patet ex inſcriptione veteri quam retulit Ioſ. Scaliger.

Tom. 4. Iul. 30. Auſon. lect. lib. 2. c. 30.

In Chron. Anno CCCCXXXVII. iterum Bagaudæ ſurrexere in Gallijs Attone Duce. Proſper Aquitanus: *Gallia vlterior Attonem,* ſic lege, pro Tibutonem, *Principem rebellionis ſecuta à Romana ſocietate diſceſſit, à quo tracto initio omnia penè Galliarum ſeruitia in Bagaudam conſpirauere.* Idem narrat Sigebertus Tumultus cauſâ importabile onus vectigalium, & ſæuitia Præfectorum. Saluianus: *De Bagaudis nunc mihi ſermo eſt, qui per malos iudices, & cruentos ſpoliati, afflicti, necati, poſtquàm ius Romanæ libertatis amiſerant, etiam honorem Romani nominis perdiderunt, & imputatur his infelicitas ſua, imputatur his nomen calamitatis ſuæ, imputamus nomen quod ipſi fecimus, & vocamus rebelles*

In Chron. A. C. 437.

Lib. 5. de Guber. Dei.

vocamus

vocamus perditos, quos esse compulimus criminosos, quibus enim alijs rebus Bagaudæ facti sunt, nisi iniquitatibus nostris, nisi improbitatibus iudicum, nisi eorum proscriptionibus, & rapinis, qui exactionis publicæ nomen in quæstus proprij emolumenta verterant, & indictiones tributarias prædas suas esse fecerunt.

Anno CCCCXXXIX. Littorius Dux Romanus arma mouit in Gothos, iunctis Hunnorum auxiliaribus copijs; transeunti per Aruernorum fines infestâ manu hostilem in modum occurrit Auitus, eius copias in fugam dedit, & Hunnum equitem singulari certamine prostrauit, vt fusè narrat Sidonius. In Panegyr. Auit.

Littorius falsâ spe victoriæ elatus Aruspicum responsis, infelici prælio ad Tolosam cum Theodorico certauit, in quo victus & captus meritas superstitionis pœnas luit. Prosper Aquitanus: *Littorius dum Aëtij gloriam superare appetit, dúmque Aruspicum responsis & dæmonum significationibus fidit, pugnam cum Gothis imprudenter conseruit, fecítque intelligi quantùm illa quæ cum eodem perijt manus prodesse potuerit, si potioribus consiliis quàm suâ temeritate vti maluisset, quando tantam ipse hostibus cladem intulit, vt nisi inconsideranter prælians in captiuitatem incidisset, dubitandum foret cui potiùs parti victoria asscriberetur.* Idem narrant Idacius, Isidorus, Sigebertus, & Rodericus Toletanus. Vnus quod valdè miror Iornandes scripsit à Littorio æquo certamine pugnatum, & prælium pacto fœdere solutum, nullâ prorsus mentione factâ de casu Littorij: *Hunnis quoque auxiliariis Littorio ductante, contra Gothos Romanus exercitus mouit procinctum, diúque ex vtraque parte acie ordinatâ, quum vtrique fortes, & neuter firmior esset, datis dextris in pristinam concordiam redierunt, fœderéque firmato, ab alterutro fidâ pace peractâ recessit vterque.* In Chronic. A. C. 444. Lib. 2. c. 8. De reb. Getic. cap 34.

Ante pugnam Theodoricus etsi Arianâ hæresi laboraret, pacem à Littorio per Episcopos nostros petijt, nec impetrauit. Saluianus: *Denique probauit hoc bello proximo infelicitas nostra; cùm enim Gothi metuerent, præsumpsimus nos, nos in viribus spem ponere, illi in Deo, cùm pax ab illis postularetur, à nobis negaretur; illi Episcopos mitterent, nos repelleremus, illi etiam in alienis sacerdotibus Deum honorarent, nos etiam in nostris contemneremus, prout actus vtriusque partis, ita & rerum terminus fuit, illis data est in summo timore palma, nobis in summa elatione confusio, &c.* & paulò pòst. *Denique ipse Rex hostium quantùm res prodidit, ac probauit, vsque ad diem pugnæ stratus cilicio preces fudit, ante bellum in oratione iacuit, ad bellum de oratione surrexit, priusquàm pugnam manu capesseret, supplicatione pugnauit, & ideò fidens processit ad pugnam, quia iam meruerat in oratione victoriam.* Qui fuerint illi Episcopi pacis causâ legati liquidò non constat, vnum ex his fuisse Orientium Auxitanum Episcopum voluit Autor ipsius vitæ, sed non patitur ratio temporum, si qua fides Iulio Dextro, & alijs qui eum Vincentij Oscensis Martyris germanum asserunt.

Lib. 7. de Guber. Dei.

Partâ victoriâ Gothi periculi memores pacis conditiones non detrectarunt. Prosper Aquitanus: *Pax cum Gothis facta cum iam post ancipitis pugnæ lacrymabile experimentum humiliùs quam anteà poposcissent.* & Idacius: *Inter Romanos & Gothos pax efficitur.*

Anno CCCCXLII. Capto Attone & alijs sopita factio Bagaudarum in Gallia. Prosper Aquitanus, *capto Attone*, sic legendum iam monui pro, Tibutone, *& ceteris seditionis partim principibus vinctis, partim necatis Bagaudarum commotio conquiescit.* Idem Sigebertus.

In Chronic. A. C. 442.

A. C. CCCCXLVIII. Apollinaris Sidonij pater fuit

Præfectus Prætorij, eius præfecturæ epocha colligitur ex consulatu Asterij, quem in idem tempus refert Sidonius: *Cum pater meus Præfectus Prætorio Gallicanis tribunalibus præsideret, sub cuius videlicet magistratu Consul Asterius anni sui fores votiuum trabeatus aperuerat.* Hinc idem Sidonius patrem soliditati Galliarum præfuisse tradit alio loco. Lib. 8. ep. 6. Lib. 5. ep. 9.

A. Chr. CCCCLIII. Irruente in Gallias Attilâ cum innumeris Hunnorum copijs, Auitus tum Galliarum Præfectus à Valentiniano Tolosam ad Theodoricum legatus, eum in societatem belli adducit communis Galliarum hostis repellendi gratiâ teste Sidonio. Attila multas Galliarum ciuitates expugnat, diruit, incendit, Episcopos trucidat, Aurelianum celeberrimam vrbem diutinâ obsidione vrget, Anianus sanctissimus huiusce vrbis Episcopus de salute suorum solicitus, Aëtij & Gothorum auxilium expetijt, vt legitur in eius vita apud Surium. Theodoricus coniunctis cum Aëtio & Merouco Rege Francorum copijs, domi relictis quatuor è liberis, nēpe Friderico, & Turico, Rotemero, & Himmerit, expeditionis socijs secum assumptis Thorismundo & Theoderico natu maioribus, bellum instruit aduersùm Attilam, eo vrbis obsidione depulso, de summa rerum Galliæ pugnatum in campis Catalaunicis in Campania. Attila victus & fugatus, in hoc prælio Theodoricus telo vulneratus, equo deiectus, & equorum calcibus attritus cecidit, Thorismundus eius filius è medio hostium vulneratus vix euasit noctis beneficio. Ad internecionem deleri potuit Attila, sed victoriæ modum posuit Aëtius, cauens ne sublato Attilâ, Gothi, & Franci grauioris hostis metu soluti Romanis formi- In Panegyr. Auit. Tom. 6. No. 17. Frecul-phus lib. 5. cap. 14.

De reb. Getic. cap. 41. dolosiores existerent: vt refert Iornandes. Non desunt qui suasum habent rem gestam in finibus Tolosatum in loco qui nomen retinet *Catalens*: sed quàm aberrent facilè intelliges ex Iornāde & Idacio, quorum hic prælium commissum narrat in campis Catalaunicis haud longè à ciuitate, quæ ab Hunnis capta erat, Metis. Et ille in campis quos patêre ait C. leucis in longum, & LXX. in latum, & post pugnam Thorismundum Aëtij consilio ad sua redijsse, ne fratribus occupandi regni occasionem per absentiam pręberet; vix enim vlla periculi suspicio inijci poterat ad Tolosam vrbem posito, validisque copijs instructo.

Theodoricus rerum potitus annos XXIII. superstites reliquit sex filios masculos, Thorismundū, Theodericū, Fredericū, Turicū, Rotemerū, & Himmerit, siue Aymericū & filiā vnicā, quę Hūnerico Genzerici Regis Vandalorū filio nupta, à socero ob suspicionē veneni ab ea parati naribus trūcata, & hoc pacto turpiter deformata patri in Galliā remissa, vt memorię prodidit Iornandes.

De reb. Getic. cap. 36. Aquitaniam Hunnorum clade laborasse, & Vasatum oppidum ab his obsessum insinuant Gregorius Turonensis, & Sigebertus, cùm referunt Vasatensi oppido Hunnorū obsidione liberato, cùm Episcop⁹ in gratiam accepti à Deo beneficij solennem Missam celebraret, eum obseruasse tres aquæ guttas paris magnitudinis crystallo nitidiores de cœlo in aram defluere quę simul coniunctæ in pulcherrimam gemmam coaluerunt, quâ positâ in medio crucis, auro & gemmis distinctæ, aliæ statim suo loco lapsæ sunt, hoc miraculo damnata Arriana hæresis, quæ Gothorum & Burgundionum tabe Galliam nimiùm fœdauit.

Lib. 1. de mirac Mart. 13. A.C. 453.

CAP. XIII.

Thorismundus Rex Gothorum. Ferreolus PP. Galliarum. Arelate iterum obsessa à Gothis. Attila rursus Gallias vastat. Thorismundi exitus. Gothi Regicidæ.



HORISMVNDVS igitur cæso patre in campis Catalaunicis, & iustis ei persolutis, subdolo Aëtij consilio, belli Hunnici reliquias omisit, Tolosam quæ erat Regia Gothorum cum suis redijt, & vno omnium assensu regni possessionem nactus est. Iornandes: *Thorismund ergo patre mortuo in campis statim Catalaunicis vbi & pugnauerat, regiâ maiestate subuectus Tolosam ingreditur, &c.* De reb. Getic. cap. 41.

Per hæc tempora Tonantius Ferreolus, Syagrij Consulis ex filia nepos præfecturam Galliarum gessit. Sidonius in Epistola ad eumdē: *Prætermisit Gallias tibi administratas, tunc cùm maximè incolumes erant*, nempe depulso Attilâ per Aëtium: & belli socios is Papianillam habuit vxorem, ex qua suscepit filium cognominem, eius larem, & domicilium apud Treuidum in finibus Ruthenorum locat idem Sidonius, Lib. 7. ep. 12 In propēpt. ad libell.

Ibis Treuidon & calumniosis
Vicinum nimis heu iugum Rutenis
Hîc docti inuenies patrem Tonanti
Rectorem, columénque Galliarum
Prisci Ferreolum parem Syagri,
Coniux Papianilla quem pudico
Curas participans iuuat labore.

dio eum appeterent, & qui libuerit animo hunc sibi statuerent Regem: ideóque Patres Conc. Toletani IV. V. VI. XVI. multis canonibus securitati Gothorum Regum, quibus parebant, prospexerunt. Conc. Tole. 4. cap. 75. Tolet. 5. ca. 3 & 8. Tolet 6. ca. 14. 17. 18. Tolet. 16. can. 1.

CAP. XIV.

Theodoricus II. Rex Gothorum, eius vxor Ragnachildis. Auitus Aruernus à Gothis ad imperium prouectus. Sidonius Auiti filiam ducit vxorem. Theodoricus Aquitaniam primam armis vastat. Auiti exitus. Prosper Aquitanus. Narbona Theodorico prodita. Victorinus Aquitanus Cycli Paschalis conditor. Abraham Abbas sanctitate clarus in Aruernis. Theodorici mors.

MORTVO Thorismundo Theodoricus eius germanus in regnum successit, princeps animi & corporis dotibus præstans, cuius formam, studia & mores commendat Sidonius eleganti Epistola ad Agricolam, quam exscribere hîc otiosum esset. Lib. 1. ep. 2. Vxorem habuit Ragnachildem: conchā argenteā quâ illa vteretur balnei causâ fieri curauit Euodius, cui carmen incidendum concinnauit Sidonius quod ipse inter epistolas reliquit, vnde coniectura ducitur eam esse fortassis, quam vulgus Tolosanum vocitat, *la Reyne Pedauque*, quòd aquis & balneis inprimis delectaretur. Lib. 4. ep. 8.

Anno Christi CCCCLV. occiso Valentiniano Iuniore

Maximus doli artifex inuadit imperium, Auitum patriâ Aruernum Magiſtrum militum creat; is ad Theodoricum pacis ſanciēdæ causâ legatus, cum legationis causâ Toloſæ verſaretur, auditâ Maximi tyranni nece, hortatu Theodorici Toloſæ purpuram ſumpſit, & à Gothis vnà cum Romanis Auguſtus primùm ſalutatus tum apud Arelatum. Idacius: *Ipſo anno in Gallijs Auitus Gallus ciuis, ab exercitu Gallicano, & ab Honoratis primùm Toloſæ, dehinc apud Arelatum Auguſtus appellatus Romam pergit, & ſuſcipitur.* Apud Vgernum Arelatenſe caſtrum id actum

Carm. 7. narrat Sidonius,

------ Fragor atria complet
Vgerni quo fortè loco pia turba Senatus
Detulerat vim vota, preces, locus, hora, diéſque
Dicitur Imperio felix.

Sidonius Apollinaris filius ex laïco poſteà Aruernorum Epiſcopus, vxorem duxit Papianillam Auiti Auguſti filiam, vt legitur apud Gregorium Turonenſem, dos dicta prædium Auitacum nomine ab Auito, teſtis ipſe Sidonius: *Auitaci ſumus, nomen hoc prædio, quod quia vxorium patrio mihi dulcius.*

Lib. 2. hiſt. cap. 21.

Lib. 2. ep. 2. v. eumd. car. 18.

Theodoricus conniuente Auito Aquitaniam, primam intellige, præſidio deſtitutam nactus, armis vaſtauit. Iſidorus: *Theodoricus poſt fraternam necem in regnum ſuccedens imperauit annis* XIII. *qui pro eo quòd Imperatori Auito ſumendi Imperialis faſtigij, cùm Gallis auxilium præbuiſſet Aquitanias cum ingenti exercitu, & cum ingenti licentia eiuſdem Auiti imperatoris ingreditur.*

Auitus licentiâ regni ſubitò mutatus, è priſtina virtute in mollitiem, & luxuriam lapſus, ante annum impletum imperio ſubmotus, & Placentiæ Epiſcopus ordinatus,

ſed comperto, quòd Senatus de eius nece cōſilium agitaret fuga ſalutem quæſiuit, & Briuatem ad D. Iuliani Martyris baſilicam, quæ eſt in finibus Aruernorum iter aggreſſus, ſed in itinere defunctus Briuatem elatus eſt, & ad Martyris pedes ſepultus. Gregorius Turonenſis: *Auitus enim vnus ex Senatoribus, & vt valdè manifeſtum eſt ciuis Aruernus, cùm Romanum ambiſſet imperium luxuriosè agere volens à Senatoribus eiectus, apud Placentiam vrbem Epiſcopus ordinatur; comperto autem quòd adhuc indignans Senatus vitâ eum priuare vellet, baſilicam ſancti Iuliani Aruerni Martyris, cum multis muneribus expetiuit, ſed impleto in itinere vitæ curſu obijt, delatúſque ad Briuatenſem vicum, ad pedes antedicti Martyris eſt ſepultus.* Auitum tertio anno à Gothis deſtitutū, imperio ſubmotum autor eſt Idacius: *Auitus tertio anno poſteaquàm à Gallis & à Gothis factus fuerat Imperator caret imperio, Gothorum promiſſo deſtitutus auxilio, caret & vitâ.*

Lib. 2. c. 2. Vid. Aymoi. lib. 1. c. 3.

Hâc ætate ſanctitatis & ſcientiæ famâ celeberrimus extitit Proſper patriâ Aquitanus Regienſis Epiſcopus, olim Notarius Leonis Papæ: hic ſtudioſiſſimus, librorum Auguſtini in Pelagium defenſor fuit aduersùs Caſſianum, & alios oppugnatores, de quo Gennadius, Ado Viennenſis, & alij eos ſecuti.

Lib. de ſcri. Eccl. c. 84. A. C. 465.

Theodoricus ſub initia regni, cum audijſſet Riciarium Sueuorum Regem, ſuis finibus non contentum, vniuerſæ Hiſpaniæ imperium ambire, inſanæ Reguli ambitioni occurrendum ratus, per legatos monuit, vt ſuis ſe finibus contineret; ille legatione offenſus Theodorico ſi obmurmuraret bellum in Regiā vſque ſe illaturū interminatus, *Si hîc murmuras* inquit ille apud Iornandem, *& me venire cauſaris, Toloſam vbi tu ſedes veniam,*

De reb. Getic. cap. 44.

ibi si vales resiste. His auditis Theodoricus adiunctis Burgundionum copijs Riciarium bello petit,& prælio hostem fundit,fugátque, ísque de fuga retractus, & in Theodorici potestatem deductus vitâ & regno priuatur.

Anno CCCCLXII. Narbona Theodorico prodita scelere Agrippini Comitis, vt Regis patrocinium sibi pararet, aduersùm Ægidium Comitem, cum quo grauis sibi simultas erat. Idacius: *Agrippinus Gallus & Comes & ciuis, Ægidio Comiti viro insigni inimicus, vt Gothorum mereretur auxilia Narbonam tradidit Theudorico*: tamen obsidione expugnatam satis apertè prodit Sidonius illo loco: *Dum apud Narbonem quondam Martium dictum, sed nuper factum moras necto*, vt vt sit vrbem in ditionem redactam,humaniter accepit,habuítque Theodoricus,de quo Narbonæ gratulatur Sidonius,

In epist præfixa car. 22.

Carmin. 23.

Hinc te Martius ille rector, atque
Magno patre prior decus Getarum
Romanæ columen, salúsque gentis
Theodoricus amat, sibíque fidum
Aduersos probat ante per tumultus.

Hoc tempore Abraham Abbas,Persa natione,vitæ sanctitate claruit in Aruernis,Monasterium D. Cyricio,vel Cyriaco sacrum in suburbio Aruernæ vrbis ædificauit autore Gregorio Turonensi.

Anno CCCCLXIII. Victorinus natione Aquitanus Cyclum Paschalem composuit iussu Hilari Papæ, teste Gennadio.

Lib. 2. hist. Fr. cap. 21 & de vit. patr. cap. 3. apud Sur. 25. Iun to. 2. De script. Eccles. c 58.

Theodericus decimo & tertio regni anno ab Eurico fratre interemptus, iusto numinis iudicio vim passus quam fecerat.

CAP. XV.

Euricus Rex Gothorum, is primus Gothis leges ſcripto dedit. Aquitania vectigalibus exhauſta. Seronatus perduellionis damnatus. Aruandus P P. Galliarum damnatus eiuſdem criminis. Rogationes à Mamerco inſtitutæ, in Gallia & Aquitania vſu receptæ Toloſæ ſanguis è terra fluxit, præſagium caſus Gothorum. Theodoricus Riothimum Britonum Regem bello vincit, & Biturigas occupat. Gothi fœdifragi.



EVRICVS pari ſcelere quo frater in regnum ſucceſſit, in eius nomine variant ſcriptores. Iornandi & Iſidoro Euricus, Sigiberto & alijs Eoricus, Sidonio & Gregorio Turonenſi Euarix nominatur.

Hic primus Gothis leges ſcripto dedit, nam ante eum moribus tantùm vtêbantur. Iſidorus: *Sub hoc rege Gothi legum inſtituta ſcriptis habere cœperunt, nam anteà tantùm moribus & conſuetudine tenebantur*: hinc Euricum legum conditorem celebrat Sidonius in epiſtola ad Leonem: *Modò per promotæ limitem ſortis, vt populos ſub armis, ſic frænat arma ſub legibus*: ab eo tempore Theodoſianæ id eſt Romanæ leges peſſumdatæ, & Theodoricianæ id eſt Gothicæ Prouincialibus obtruſæ; Seronato Romano præfecto etiam doli participe, de quo Sidonius: *Exultans Gothis inſultans Romanis, illudens præfectis, collu-*

Lib. 8. ep. 3.

Lib. 2. ep. 1.

densque numerarijs, leges Theodosianas calcans, Theodoricianásque proponens. Theodoricianæ dictæ à Theodoricis Regibus Gothorum, non quod harum legum autores fuerint, ab Eurico enim editas satis notum erat Sidonio, sed ob paronomasiam cum Theodosianis. Has leges posteà emendauit & ampliauit Leuuigildus. Isidorus: *In legibus quoque ea quæ ab Eurico inconditè constituta videbantur correxit, plurimas leges prætermissas adijciens, plerasque superfluas auferens.*

His temporibus Aruerni, Gabali, & alij Aquitaniæ primæ populi, qui adhuc sub Romana ditione erant, à Seronato vectigalium mole attriti, quæ causa graues in eum excitauit querelas. Sidonius in epistola ad Ecdiciũ: *Duo nunc pariter mala sustinent Aruerni tui, quænam, inquis præsentiam Seronati, & absentiam tuam, redijt ipse Catilina seculi nostri nuper Atturibus, vt sanguinem, fortunásque miserorum, quas ille ibi ex parte propinauerat, hic ex asse misceret: indicit vt Dominus, exigit vt tyrannus, addicit vt iudex, calumniatur vt barbarus.* & in epistola ad Pannychium de eodem: *Iam metu ex sanguibus Gabalitanis è proximo infertur, quos singulos sparsos inoppidatos, nunc inauditis indictionum generibus exhaurit, nunc flexuosâ calumniarum fraude circumtetit, ne tum quidem domum laboriosos redire permittens, cum tributum annuum datauere.* Certè præfectorum sæuitia & non ferendum vectigalium onus, adeò prouincialium animos exacerbauit, vt passim ad Gothos & alios Barbaros se conuerterent. Saluianus: *Itaque passim vel ad Gothos, vel ad Bagaudas, vel ad alios vbique dominantes barbaros migrant, & commigrasse non pœnitet, malunt enim sub specie captiuitatis viuere liberi, quàm sub specie libertatis esse captiui.* & infrà: *Tam longè enim est, vt hac inter*

Lib. 1. ep. 1.

Lib. 5. ep. 13

Lib. 5. de Guber Dei.

Gothos barbari tolerent, vt ne Romani quidem, qui inter eos viuunt ista patiantur: itaque vnum illic Romanorum omnium votum est, ne vmquam eos necesse sit in ius transire Romanorum; vna consentiens illic Romanæ plebis oratio, vt liceat eis vitam quam agunt agere cum barbaris, & miramur si non vincantur à nostris partibus Gothi, cùm malint apud eos esse quàm apud nos Romani. & Paul. Orosius. *Quamquã & post hoc quoque* Lib.7.c.18. *continuò barbari execrati gladios suos, ad aratra conuersi sunt, residuósque Romanos, vt socios modò & amicos fouent, vt inueniantur iam inter eos quidam Romani, qui malint inter Barbaros pauperem libertatem, quàm inter Romanos tributariam solicitudinem sustinere.* idem etiam Isidorus: *Vnde & hucusque Romani qui in regno Gothorum consistunt, adeò amplectuntur, vt melius sit illis cum Gothis pauperes viuere, quàm inter Romanos potentes esse, & graue iugum tributi portare.* In Chronic. Ær. 447.

Seronatus Gothorum partes fouebat, vnde Catilinam seculi vocat Sidonius, ob id perduellionis insimulatus ab Aruernis, Romámque raptus, capite deciso sceleris pœnas luit. Lib.3.ep.1. Idem Sidonius: *Illi amore Reipublicæ Seronatum Barbaris prouincias propinantem non timuerunt legibus tradere, quem conuictum deinceps vix Respublica præsumpsit occidere.* Lib. 7.ep.7.

A. C. CCCCLXVIII. Aruandus Galliarum præfectus, interceptis litteris ad Euricum belli gerendi in Romanos & Britones Ligeris accolas, & Galliæ cum Burgundionibus iure gentium diuidundæ autor deprehensus à Ferreolo & alijs Narbonensis prouinciæ legatis reus majestatis factus apud Anthemium, Romam traductus Senatus decreto morte damnatus, sed deprecante Sidonio supplicio exemptus, & pœna capitis in exilium commutata, rem fusè narrat Sidonius: affectati imperij Lib.1.ep.7.

reum faciunt alij scriptores; sed nomine deprauato. Cassiodorus Ardaburium vocat, Paulus Diaconus
Lib. 5. hist. A. C 466. eúmque secutus Sigebertus, Seruandum.

Per id tempus Mamercus Viennensis solennes λιτὰς, seu Rogationes instituit, quarum ritum quamprimùm Aruerna Ecclesia vsu suum fecit. Sido-
Lib. 7. ep. 1. nius, in epist. ad Mammercum: *Solo tamen inuectarum te autore rogationum palpamur auxilio, quibus inchoandis, instituendisque populus Aruernus, etsi non effectu pari, affectu certè non impari cœpit initiari, & ob hoc circumfusis necdum dat terga terroribus.* Non multò post Mamerci institutum in vniuersis Galliæ & Aquitaniæ Ecclesijs legis autori-
Can. 29. tate sancitum. Conc. Aurelianense I. *Rogationes, idest Litanias ante Ascensionem Domini placuit celebrari.* Eâdem tempestate apud Tolosam, quæ Regum Gothorum sedes erat, sanguis è terrâ mediâ vrbe fluxit per diem. Idacius: *Medio Tolosæ ciuitatis hisdem diebus è terra sanguinem erupisse, totóque diei fluxisse curriculo.* Id triste Gothis portentum visum est eius, quæ secuta est cladis. Aimoinus:
Lib. 1. c. 9. *Ea tempestate apud Tolosam Galliæ vrbem, è medio eius totâ die sanguis largissimo fluxit riuo, quod prudentes quique, Gothorum, qui eadem regnabant in ciuitate perditionem, Francorúmque dixerunt portendere dominationem.* Idem narrant
A. C. 461. Sigebertus, Vvernerus, & alij.

In fasc. tẽp. Anno CCCCLXX. Euricus crebras Romanorum principum mutationes, rerum gerendarum occasionem nactus, rupto prisco fœdere, Aquitaniæ partem, quæ Romanis adhuc parebat, armis tentauit, Riothimo Regulo Britonum ab Anthemio Augusto suppetias vocato, priusquàm Romanis coniungeretur, instructo exercitu occurrit, eiúsque copias prælio fudit, in finibus

Biturigum. Iornandes : *Euricus ergo Vesegothorum Rex, crebram mutationem Romanorum principum cernens, Gallias suo iure nisus est occupare, quod comperiens Anthemius Imperator, protinùs solatia Britonum postulauit, quorum Rex Riothimus cum* XII. *millibus veniens, in Biturigas ciuitatem Oceano è nauibus egressus susceptus, ad quos Rex Vesegothorum Euricus innumerum ductans exercitum aduenit, diúque pugnans Riothimum Britonum Regem antequàm Romani in eius societate coniungerentur, superauit, qui ampla parte exercitus amissa cum quibus potuit fugiens ad Burgundionum gentem vicinam, Romanis in eo tempore fœderatam aduenit.* Post pugnam Euricus Biturigam occupauit pulso inde Britonum præsidio. Gregorius Turonensis : *Britanni de Biturica à Gothis expulsi sunt, multis apud Dolensem vicum peremptis.* huius expeditionis meminit & Sigebertus : inde Sidonius in Epistola ad Basilium Aquensem Episcopum queritur Euricum quem Euarigem vocitat regni terminos rupto fœdere armis proferre : *Euarix Rex Gothorũ,* inquit, *quòd limitem regni sui rupto, dissolutóque fœdere antiquo vel tutatur armorum iure, vel promouet, nec nobis peccatoribus hîc accusare, nec vobis sanctis hîc discutere permissum est.* & idem alio loco, Gothos gentem fœdifragã appellat, *Postquam fœdifragam gentem rediisse in suas sedes comperi.* Fœderis fidem nescicre Gothi, attamen barbarorum nomen non ferentes, fœderatorum nomen affectarunt, de his Sidonius : *Student armis Eunuchi, litteris fœderati.* & alio loco, *Inter tumultus militum, popularium, fœderatorum.* Et Suidas : φοιδεράτοι ὕτω καλῦσι ῥωμαῖοι τὺς ὑποσπόνδυς τῶν σκυθῶν. *Fœderati sic vocant Romani fœderatos Scythas, seu Getas.* imò & Romani dici voluerunt; Theodericus Rex Gothorum apud Cassiodorum : *Ad-*

De reb. Getic. cap. 45. Freculph. lib. 5. c. 17.

Lib. 2. hist. Fr. c. 18.

A. C. 470.


Lib. 7. ep. 6.

Lib. 6. ep. 6.

Lib. 1. ep. 8.

Lib. 2. ep. 13.

Lib. 1. Var. ep. 1. *ditur etiam venerandæ Romanæ vrbis affectio, à qua segregari nequeunt, qui se nominis vnitate iunxerunt.*



Cap. XVI.

Arelate & Massilia vrbes ab Eurico expugnatæ. Aruernorum vrbs ab eodem obsessa. Ecdicius Auiti Aug. filius. Sidonius ex laïco Aruernorum Episcopus. Simplicius Bituricensis Episcopus creatus. Euriciana persecutio in Episcopos, Clericos, & Ecclesias Aquitaniæ Gallicinus Burdegalensis Episcopus. Sidonius Aruernorum Episcopus baptisterium consecrat in Diœcesi Rutenensi. Epiphanij Ticinensis Episcopi legatio à Nepote Augusto ad Euricum pacis feriendæ gratiâ. Aruerni pacis conditionibus dediti Eurico. Sidonij exsilium, & Ecdicij fuga. Victorius Dux Aruernorum.



ANNO CCCCLXXI. Euricus Arelatem & Massiliam clarissimas Galliæ Narbonensis vrbes expugnauit. Iornandes: *Euricus Rex Visigothorum Romani regni vacillationem cernens; Arelatum & Massiliam propriæ subdidit ditioni.* & Isidorus: *In Gallias autem regressus Arelatum, & Massiliam vrbes capit suoque regno vtramque subiecit.* Idémque tradit Sigebertus. Aruernam etiam vrbem acerrimâ obsidione cinctam diu tenuit, sed eruptione ab Ecdicio Auiti

De reb. Getic. cap. 47.

A. C. 471

Auiti Augusti filio, paruâ manu factâ, multis Gothorum millibus prostratis obsidionem dimisit, quo nomine Ecdicio gratulatur Sidonius. Lib. 3. ep. 3.

Iam totâ Aquitaniâ à Gothis subactâ, vnum Aruernorum oppidum in Romanorum fide permansit; velut imperij propugnaculum in Gallijs. Sidonius in Epistola ad Agroëtium Senonensem Episcopum: *Ijs accedit quòd de vrbibus Aquitanicæ primæ solum oppidum Aruernum Romanis reliquum partibus bella fecerint.* Ideò idem Sidonius hanc vrbem vnum Gothicæ tyrannidis obicem esse gloriatur, in Epistola ad Mammercum Viennensem Episcopum: *Rumor est Gothos in Romanum solum castra mouisse, huic semper irruptioni nos miseri Aruerni ianua sumus: quia quòd necdum terminos suos ab Oceano in Rhodanum Ligeris alueo limitauerunt, solam sub ope Christi moram de nostro tantùm obice patiuntur.* & rursus in Epistola ad Felicem. *Oppidum siquidem nostrum quasi quendam sui limitis oppositi obicem circumfusarum nobis gentium arma terrificant.* Nihil non tentarunt Gothi, quo Aruernam vrbem Imperio suo adijcerent, adeò illis formidolosa fuit Aruernorum virtus, & fides in Romanos. Sidonius in Epistola ad Auitum Viennensem Episcopum: *Vel Gothis, credite qui sæpenumero etiam Septimaniam suam fastidiunt, vel refundunt, modò inuidiosi huius anguli etiã desolata proprietate potiantur.*

Grego. Tur. lib. 2. Hist. Franc. c. 24.

Lib. 7. ep. 5.

Lib. 7. ep. 1.

Lib 3. ep. 4.

Lib. 3. ep. 1.

Anno CCCCLXXII. mortuo apud Aruernos Eparchio Episcopo, Sidonius ex laïco in eius locum ordinatus, teste Gregorio Turonensi vnde Sidonius ipse queritur se priùs magistrum, quam discentem factum: *Miser*, inquit, *antè compulsus docere, quàm discere.* Ambrosium imitatus, qui parem sortem deplorauit: *Ego enim raptus de tribunalibus, atque administrationis infulis docere vos cœpi, quod ipse non didici.*

Lib. 2. hist. Franc. c. 21.

Lib. 5. ep. 3.

Lib. 1. offic. cap. 1.

Eodem anno, morte Eulodij vacante sede Bituricensi, Sidonius Aruernorum Episcopus, à plebe vocatus, vt metropolitanum crearet, prouincialium Episcoporum numero defectus, Agroëtium Senonensem Episcopum ad solenne electionis inuitauit, & cum eo Simplicium antistitem ordinauit, qua de re Sidonius ad Agroëtium scripsit Epistolã, qua illum Bituricas inuitat: *Biturica decreto ciuium petitus adueni, causa fuit euocationis titubans Ecclesiæ status, quæ nuper summo viduata Pontifice, vtriusque professionis ordinibus, ambiendi sacerdotij quoddam classicum cecinit, fremuit populus per studia diuisus, pauci alteros, multi sese non offerunt solùm, sed inferunt.* & paulò pòst: *Nec te quamquam Senoniæ caput es, inter hæc dubia subtraxeris intentionibus medendis Aquitanorum, quia minimùm refert, quòd nobis est in habitatione diuisa prouincia, quando in religione causa coniungitur: ijs accedit quod de vrbibus Aquitanicæ primæ solum oppidum Aruernum Romanis reliquum partibus bella fecerint; quapropter in constituendo præfatæ ciuitatis antistite prouincialium collegarum deficimur numero, nisi Metropolitanorum reficiamur assensu.*

Lib. 7. ep. 5. adde cócio. & ep. 8. eius. libr.

Anno CCCCLXXIV. Euricus sæuã in Aquitania persecutionẽ exercuit in Catholicos, maximè in Episcopos & Clericos, alios exilio aut vinculis, alios morte multauit, sacrarũ ædium ostia spinis præcludi iussit, vt desuetudine eas frequentandi professionis memoria tolleretur. Lugebant omnes fere Aquitaniæ Ecclesiæ pastore destitutæ, desperabatur salus fidei, quæ ducem desideraret. Sidonius in Epistola ad Basilium Episcopum: *Burdegala, Petrogorij, Ruteni, Lemouices Gabalitani, Helusani, Vasates, Conuenæ, Auscenses, multáque iam maior numerus ciuitatum summis sacerdotibus ipsorum morte truncatis, nec*

Lib 7 ep. 6.

vllis deinceps Episcopis in defunctorum officia suffectis, per quos vtique minorum ordinum ministeria subrogabantur, latum spiritualis ruinæ limitem traxit, quam ferè constat sic per singulos dies morientum patrum proficere defectu, vt non solùm quoslibet hæreticos præsentum, verùm etiam Hæresiarchas priorum temporum potuerit inflectere, ita populos excessu Pontificum orbatos tristis intercisæ fidei desperatio premit, nulla in desolatis cura diœcesibus, parochijsque, videas in ecclesijs aut putres culminum lapsus, aut valuarum cardinibus auulsis basilicarum aditus hispidorum veprium fruticibus obstructos. Huius persecutionis, & Sidonij epistolæ meminit Gregorius Turonensis: *Huius tempore & Euarix Rex Gothorum excedens Hispanum limitem, grauem in Gallijs super Christianos intulit persecutionem, truncabat passim persecutioni suæ non consentientes, clericos carceribus subigebat, sacerdotes verò alios dabat exilio, alios gladio trucidabat. Nam & ipsos sacros templorum aditus spinis iussit obserari, scilicet vt raritas ingrediendi obliuionem faceret fidei. Maximè tunc Nouempopulanæ, geminæque Aquitaniæ* (sic enim iam emendatum pro geminæque Germaniæ) *vrbes ab hac tempestate depopulatæ sunt, extat hodiéque & pro hac causa ad Basilium Episcopum nobilis Sidonij ipsius Epistola, quæ hæc ita loquitur.* Lib. 2. hist. cap. 25. † Marca ad lib. 1. c. Num. 6.

Per id tempus S. Gallicinus Burdegalensis Episcopus memoratur: Sidonius in epistola aduentoria Burdegalam missa Lampridio Rhetori, Lib. 8. ep. 11.

Perge ad limina mox Episcoporum
Sancti & Gallicini manu osculatâ
Tecti posce breuis vacationem.

Sub idem tempus Sidonius Rutenorum Ecclesiâ antistite viduatâ, ob Euricianam persecutionem, baptisterium, id est Ecclesiam Baptismalem apud Ruthenos

Lib.4.ep.15. consecrauit, inuitatus ab Elaphio eius conditore, vt tradit ipse in Epistola ad Elaphium.

Eodem anno cùm Euricus dominandi libidine Romanorum finibus infestior esse non desineret, Epiphanius Ticinensis Episcopus à Nepote Augusto Legatus ad eum missus, pacis componendæ & antiqui fœderis instaurandi gratiâ, legationis causam effert En- In vit. Epiphan. nodius: *Post quem ad regnum Nepos accessit, tunc inter eum, & Tolosæ alumnos Getas, quos ferreâ Euricus Rex dominatione gubernabat orta dissensio est. &c.* Epiphanius susceptâ legatione Euricũ Tolosæ in qua sedem habebat cõuenit, à quo perhumaniter acceptus, & pactâ pace quibus potuit conditionibus rediјt ad Nepotem, vt narrat idem Ennodius: quæ fuerint pacis conditiones non exponit hic Autor, sed ex pacto Aruernos Gothis à Nepote de- Lib.7.ep.7. ditos indicat Sidonius in Epistola ad Græcum Massiliensem Episcopum, in qua valde queritur, pacem fœdis conditionibus sancitam, ac Aruernorum seruitute redemptam: *Siquidem nostri hic nunc est infelicis anguli status cuius vt fama confirmat, melior fuit sub bello, quàm sub pace conditio, facta est seruitus nostra pretium securitatis alienę, Aruernorum proh dolor! seruitus &c.* & paulò pòst: *Nostri quantùm audio facta iactura, pudeat vos precamur huius fœderis, nec vtilis, nec honesti.* Præter Epiphanium fuerunt & alij huiusce fœderis arbitri, nempe nonnulli prouinciæ Narbonensis Episcopi, quibus turpitudinem fœderis exprobrat Sidonius, & saltem hanc legem adijci quęrit, vt vacantibus in Ecclesijs Episcopos ordinari ferret Eu- Lib.7.ep.6. ricus, quò pertinet eius Epistola ad Basilium Aquensem Episcopum. *Tu sacratissimorum Pontificum Leontij, Fausti, Græci, vrbe, ordine, charitate medius inueniris, per vos mala*

fœderum currunt, per vos regni vtriusque pacta conditionésque portantur: agite quatenus hæc sit amicitia, concordia principalis, vt Episcopali ordinatione permissa populos Galliarum, quos limes Gothicæ sortis incluserit, teneamus ex fide, etsi non tenemus ex fœdere. Igitur quod ait Iornandes, Euricum Aruernam ciuitatem occupasse, intelligendum est ex pacto cum Nepote inito, non vi armorum. Ex lege huius fœderis Gothi retinuere quicquid terrarum est à Rhodano Ligerim vsque, vnde ab Eurico Ligerim Aquitanicæ ditionis terminum signant nostri scriptores. Gregorius Turonensis: *In his autem partibus, id est ad Meridionalem plagam habitabant Romani vsque Ligerim fluuium, vltra Ligerim verò Gothi dominabantur.* & post eum Aimoinus Monachus: *Eo in tempore Romano Imperio à ferrea firmitate in testaceam decidente fragilitatem, Burgundiones Lugdunensem, Gothi Aquitanicam peruaserant prouinciam, eáque tantùm pars Galliarum Romanæ suberat ditioni, quam Rheni fluenta, ac amnis Ligeris determinant.* & Ado Viennensis: *Id temporis Romani Gallias tenebant, citra Ligerim fluuium Gothi.*

De reb. Getic. cap. 45.

Lib. 2. hist. Fr. cap. 9.

Lib. 1. c. 5.

Post deditionem Aruernorum Sidonius Episcopus à Gothis solum mutare coactus, aliquandiu apud Liuianum castrum exulauit, donec Leonis, (is Eurici Quæstor erat) gratiâ, suæ redditus est Ecclesię, cuius beneficij memor Leoni hæc scribit: *Nam dum me tenuit inclusum mora mœnium Liuianorum, cuius incommodi finem post opem Christi tibi debeo.* Ecdicius etiam hostem iratum vitans ad Burgundionum Regem secessit, è cuius comitatu transijt ad Nepotem Augustum, vt narrat Iornandes, qui mendosè Decium vocat, pro Ecdicio.

Lib. 8. ep. 3.

De reb. Getic. cap. 45.

Deditis Aruernis Euricus Victorium Ducem imposuit. Gregorius Turonensis: *Euricus Gothorum Rex Victo-*

Lib. 2. c. 20.

rium Ducem super septem ciuitates. præposuit qui protinus Aruernos aduenìens ciuitatem addere voluit. Eius amicitiam

Lib.7. ep.17 coluit Sidonius : *Amplissimi viri Victorij Comitis deuotione præuectus, quem iure seculari patronum, iure Ecclesiastico filium, excolo vt cliens, vt pater diligo.* Hic homo, varij & lubrici in-

d. ep.17. li.7 genij, pietatis officijs non defuit, S. Abrahæ Abbatis fu-

De vit. patr. cap.3. apud nus cũ Sidonio celebrauit, teste ipso, & Gregorio Turo-

Sur 15. Iun. tom. 3. nensi, idémque ob sæuitiam & libidinem Aruernis profugus, Romæ ob eadem flagitia lapidibus obrutus vitam finiuit, & cùm aliquando ad S. Amabilis tumulum apud Ricomagum in Aruernis orare despiceret, equum quo vehebatur miraculo hærentem, non priùs loco mouere potuit, quàm sanctum debito obsequio piasset,

Lib. 2c.20 de Glor. Martyr. lib. 1. cap. 45. narrat Gregorius Turonensis.

Cap. XVII.

Leo Quæstor Eurici. Lampridius Rhetor Burdegalensis. Leontius Burdegalensis Episcopus. Pontius Leontius, Primarius Aquitanorum, Ruricij Lemouicenses Episcopi. Chronopius, Petrocoriacensis Episcopus. Patiens Lugdunensis Episcopus gratuitã Aquitanis, & Prouincialibus annonã ministrat. Fabulæ de gestis Arturi in Gallia & Aquitania. An Iuliani Briuatensis basilica ab Eurico exstructa. Eugenius Carthaginensis Episcopus apud Albigam in Aquitania exsulat Amantius Rutenensis Episcopus.

VRICO princeps consiliorum & Quæstor fuit Leo, patria Narbonensis. Hoc significat Sidonius cùm apud illum ab historiæ scriptione se excusat, & hanc operam in eum reijcit, quòd maximi principis arcana nosset: *Quotidie namque per potentissimi consilia Regis, totius solicitus orbis pariter eius negotia & iura fœdera & bella, loca, spatia, merita cognoscis.* Item aliô loco vbi orationes ab eo Regis nomine conditas celebrat: *Sepone pauxillulum conclamatissimas declamationes quas oris regij vice conficis.* Consiliorum principis moderatorem & arbitrum, & autorem instaurati cum Romanis fœderis signat. Ennodius: *Erat præterea eâ tempestate consiliorum principis & moderator & arbiter Leo nomine, quem per eloquentiæ meritum, non vna iam declamationum palma susceperat, &c.* Vir inter barbaros litteris cultus, eloquentiæ, Poëtices, & Iurisprudentiæ laude insignis. Sidonio in Narbone, Lib. 4. ep. 22 Lib. 8. ep 3. In vit. Epiphan. Carm. 23. & lib. 8. ep. 3. & lib. 9. ep. 13.

Siue ad doctiloqui Leonis ædes,
Quo bis sex tabulas docente iuris,
Vltrò Claudius Appius lateret,
Claro obscurior in Decemviratu.
At si dicat epos, metrúmque rhythmis
Flectat commaticis, tonante plectro
Mordacem faciat silere Flaccum.

Eloquentiç fama per hæc tempora claruit etiam Lampridius Rhetor Burdegalensis eius cruentam mortem luget Sidonius: *Lampridius orator modò primùm mihi occisus agnoscitur, cuius interitus amorem meum summis conficeret angoribus etiamsi non eum rebus humanis vis impacta rapuisset.* Lib. 8. ep. 11.

Hâc ætate etiam post Gallicinum in Burdegalensi Episcopatu successit Leontius senior, vir natalibus & sanctitate illustris: is tempore ordinationis vniuersam substantiam suæ consecrauit Ecclesiæ, de quo Fortu- Lib. 4. c. 9. natus,

Ecclesiæ totum concessit in ordine censum,
Et tribuit Christo quod fuit ante suum.

Eodem tempore Aquitanorum primas tenuit Pontius Lib. 8. ep. 12 Leontius, de quo Sidonius: *Ecce iam Leontius meus facilè primus Aquitanorum, ecce parum inferior parente Paulinus ad locum quem suprà dixi per Garumnæ fluenta refluentia, nòn modò tibi cum classe, verùm etiam cum flumine occurrent.* Is Burgum castrum ad Durani & Garumnæ confluentes situm muniuit, quod metro graphicè descriptum à Carm. 22. Sidonio,

Hos inter fluuios vni magè proximus vndæ
Æthera mons rumpens, altâ spectabilis arce
Plus celsos habiturus heros, vernámque senatum
Quem generis princeps Paulinus Pontius olim
Cùm latiùs patriæ dominabitur ambiet altis
Mœnibus, & celsæ transmittent aëra turres.

Vterque è clarissima Paulinorum gente. Nec tacendus inter eiusdem ætatis decora Ruricius Lemouicensis Episcopus ortu nobilissimus, is ante Episcopatum vxorem duxit apud Aruernos Iberiam nomine, Ommatij Carm. 11. illustris viri filiã, teste Sidonio: ex ea suscepit duos filios Ommatium, & Eparchium, vt nos docent ipsius Lib. 1. ep. 18 Ruricij Epistolæ. Tum perfectioris vitæ studio cer- Lib. 2. ep. 27 & 56. tans cum vxore, ab ea secessit, & ob singularem virtu- Faustus Regiens. ep. 6. tem ad Episcopatum prouectus, feliciter redempto & 7. Epist 9. huiusmodi pretio Episcopatu, vt eleganter ait Faustus Regiensis:

Reiensis: *Ecce quali pretio Ruricius meus summum sacerdotium comparauit, vnde emit ipsum est quod emit, & testibus proprijs adclamantibus, in se honoris causa refugia honoris exhibuit.* Is Ecclesiæ suæ iura acerrime propugnauit, & occupatam à Chronopio Petrocoriacensi Episcopo Diœcesim id est Parrochiam Gemiliacensem repetijt, vt liquet ex ipsius epistola ad Chronopium. Ruricius ex clara gente Aniciorum originem duxit, nepotem ex filio cognominem habuit, qui ei in cathedra successit Fortunatus, Lib. 2. ep. 6. Lib. 4. c. 5.

Ruricij gemini flores quibus Aniciorum
Iuncta Parentali culmine Roma fuit
Actu, mente, gradu, spe, nomine sanguine nexi
Exultant pariter hinc auus, inde nepos.

Ruricius senior Sidonium coluit vt Dominum & Patrem vt fatetur ipse in Epistola ad Apollinarem Sidonij filium: *Sollium enim nostrum Dominum patremque communem quem transcribendum sublimitati vestræ dedisse me dixeram legendum recepi.* Monastici instituti quod iam surgebat in Gallia Ruricium amantem fuisse non leuis coniectura est, quod Pomerium Abbatem Arelate acciuit, & per epistolam ab Æonio Arelatensi Episcopo petijt vt eum ad se venire iuberet. Lib. 1. ep. 15 & lib. 1. ep. 8 Lib. 2. ep. 6.

His diebus etiam Chronopius Petrocoriacensis Episcopus vitæ sanctimonia Aquitanicam illustrauit Ecclesiam, is ciues suos Gothorum iniuria extorres patriæ suæ reddidit, sacras ædes à Barbaris exustas suo sumptu restituit. Fortunatus in eius Epitaphio Lib. 4. c. 8.

Antistes pietate calens venerande Chronopi
Membra sepulchra tegunt, spiritus astra tenet.
Implesti propriis viduatam ciuibus vrbem

Videruntque suos tè redimente lares
Quem lupus ab stabulis tulerat frendente rapina
Te pastore gregi reddita plaudit ouis
Templa exusta celer reuocâsti in culmine prisco,
Hinc tua sed cœlis stat sine labe domus.

Aquitaniâ & Narbonensi Prouinciâ ob Gothicam vastationem egentibus Patiens Lugdunensis Episcopus plebi annonam gratis erogauit, inprimis Aruernis quorum nomine gratias ei per Epistolam egit Sidonius: Lib. 6. ep. 12 *Illud autem deberi tibi, quodam vt Iurisconsulti dicunt præcipui titulo, nec tuus poterit ire pudor inficias, quod post Gothicam depopulationem, post segetes incendio absumptas peculiari sumptu inopiæ communi per desolatas Gallias gratuita frumenta misisti, cum tabescentibus fame populis nimium contulisses, si commercio fuisset species illa non munere.* & paulò pòst. *quapropter & si ad integrum conijcere non possum quantas tibi gratias Arelatenses, Reienses, Auennicus, Arausionensis quoque, & Albensis Valentinaque, nec non & Tricastinæ vrbis possessor exoluat, quia difficilè est eorum ex asse vota metiri, quibus noueris alimoniam sine asse collatam, Aruerni tamen oppidi ego nomine vberes perquam gratiâs ago, cui vt succurrere meditarere non te communio Prouinciæ, non proximitas ciuitatis, non opportunitas fluuij, non oblatio pretij adduxit, ilicet scias volo per omnem fertur Aquitaniam gloria tua, amans laudaris, desideraris excoleris omnium pectoribus, omnium votis inter hæc temporum mala bonus sacerdos, bonus pater, bonus annus es,* eius epistolæ meminit Gregorius Turonensis, narratque de Ecdicio Aruerno quod dum apud Burgundiones fuit in summa annonæ difficultate plusquam amplius quatuor pauperum millia suo sumptu sustentauit, post quod pium facinus audiuit vocem de cœlo emis- Lib. 2. hist. Franc. cap. 24. id. Sigebert. A. C. 481.

ſam eçdici, ecdici quia pauperes meos pauiſti, non deerit tibi & ſemini tuo panis in æternum.

A Britannicis ſcriptoribus in hæc tempora referuntur fabuloſa geſta Arturi Regis, expeditiones in Galliam & Aquitaniam, deuictus Guitardus Pictonum Dux, per legatum Hoelum nomine, Galfridus Monumetenſis: *Deinde victoria potitus Arturus, diuiſit exercitum in duas partes, & vnam Hœlo Duci commiſit, præcepitque illi vt ad expugnandum Guitardum Pictauienſium Ducem iret, ipſe vero cum reliqua parte cæteras Prouincias ſibi ſubiugare vacauit, mox Hœlus Aquitaniam ingreſſus vrbes patriæ inuaſit, Guitardumque pluribus prœliis anxiatum ad deditionem coëgit, Guaſconiam quoque ferro & flammæ depopulans principes eiuſdem ſubiugauit.* Sed noſtri omnino de Arturo ſilent, & hoc vno argumento corruit iſtæc fabula quod conſtans ſcriptorum fides ſit, per id temporis Galliæ Imperium ſciſſum inter Burgundiones Gothos, & Francos, nec inuidia præteritum Arturum credi poteſt, ſatis compertâ fide eorum qui varios Galliæ caſus, Vandalorum, Burgundionum, Gothorum, Hunnorum, & Francorum irruptiones non tacuerunt. Lib. 9. c. 11.

Herulis per Italiam latè graſſantibus Euricum à Romanis ſuppetias rogatum colligere eſt, ex carmine Sidonij Lampridio Rhetori inſcripto, Lib. 8. ep. 9.

Hinc Romane tibi petis ſalutem
Et contra Scythicæ plagæ cateruas
Si quos Parrhaſis vrſa fert tumultus
Eorice tuæ manus rogantur
Vt Martem validus per inquilinum
Defenſet tenuem Garumna Tibrim.

Conjecturam iuuat quod ait Aimoinus Antemio inſi- Lib. 1. c. 8.

dijs Ricimeris generi ſublato Gothos cum Romanis iuncta legatione à Leone Auguſto Conſtantinopolitano principem expetijſſe cujus auxilio hoſtium impetum propulſarent.

Euricum quarto & decimo Regni ſui anno Baſilicam S. Iuliani Martyris quæ eſt Briuate in finibus Aruernorũ ædificaſſe, & columnis ornaſſe voluit Fredegarius *Euricus Gothorum Rex XIV. ſui regni anno Eccleſiam ſancti Iuliani Briuate columnis ornatam mirifice conſtruxit*, ſed quam ſi verò aberret conſpicuum eſt, id enim nimis alienum ab Arriano quem in orthodoxos ſæuijſſe, & Eccleſias ruinis deformaſſe ſcimus ex Sidonio & Gregorio Turonenſi.

Eodem tempore Eugenius Carthaginenſis ab Hunerico Rege Vandalorum Arriano odio orthodoxæ partis ſede depulſus, exulauit in Aquitania apud Albegam oppidum, vbi vitam finiuit ſanctitate & miraculis

Lib. 2. c. 3. clarus. Gregorius Turonenſis: *Tunc ſuſpenſo gladio apud Albigenſem Galliarum vrbem exilio deputatus eſt, vbi & finē vitæ præſentis fecit ad cuius nunc ſepulchrum multæ virtutes creberrime oſtenduntur.* Illatum crypæ S. Amaranthi martyris, tradit idem Turonenſis: *Huic cryptæ ſociatur & ille*

Lib. 1. de glor. mart. cap. 58. *Honoriſicianæ perſecutionis Martyr Eugenius ſacerdotalis infulæ maximum decus, quem in hac vrbe detruſum exilio vel ipſius, vel ſociorum eius paſſio narrat.*

His temporibus ſanctitate & miraculis claruit S. Amantius Rutenenſis Epiſcopus. Huius vitam edidit

Tom. 6. Nou. 4. Surius. Succeſſorem habuit Quintianũ natione Afrum Fauſti Reienſis Epiſcopi nepotem, is S. Amantij corpus

Tom. 6. Nou. 13. A. C. 506. tranſtulit vt teſtatur Gregorius Turonenſis in libro de vita Patrum apud Surium, eiuſdem meminit Sigebertus.

Anno CCCCLXXXIV. Euricus Arelate morte sua functus vt referunt Iornandes Isidorus & Freculphus, de eius morte meminit Gregorius Turonensis, sed de loco silet. De reb. Getic. cap. 47. Aera DIIJI. lib. 5. c. 17. lib. 2. c. 25.

CAP. XVIII.

Alaricus Rex Gothorum, Theudelusa eius vxor ex qua ei natus Amalaricus, Leo Quæstor Alarici. Sidonio successit Apruncullus in Episcopatu Aruernorum Aquitanorum studium in Francos, & Gothici imperij tædium, Volusiani Turonensis Episcopi exilium & Martyrium, Cæsarius Arelatensis Episcopus exulat apud Burdegalam. Apollinaris Sidonij Filius Marianus Bituricensis Eremita. Leonardus fundator Monasterij Nobiliacensis in pago Lemouicensi, Carilephus Aruernus fundator Monast. Anisolensis, Alaricus Clodoueo offensus reconciliatur, Alaricus monetam adulterat. Alaricus Codicem Theodosianum breuiari curat Synodus Agathensis, in ea preces fusæ pro Alarico Rege Arriano.



ANNO Christi CCCCLXXXIV. defuncto EVRICO Alaricus eius filius apud Tolosam Regni gubernacula suscepit. 484.

Alaricus regno potitus Theudelusam Theodorici

Lib. 1. de bell. Goth. De reb. Getic. cap. 58. Lib. 3. ep. 1.

Ostrogothorum & Italiæ Regis filiam naturalem duxit vxorem testis Procopius, Theudicodo eam vocat Iornandes, ex qua natus Amalaricus. Ideo Alaricum filium vocat Theodoricus apud Cassiodorum.

Lib. 1. de glor. Marty. cap. 92.

Apud Alaricum Leo quondam Eurici patris Consiliarius seu quæstor eodem officio functus est. Alarici enim Consiliarius dicitur à Gregorio Turonensi, & luminibus priuatus narratur in pœnam sacrilegij, nimirum quia Basilicam S. Felicis Narbone deposuit, quod suburbani amœnissimi cui nomen erat Liuia, è Regis Palatio aspectum arceret.

Lib. 2. hist. Franc. c. 23.

Eodem anno è vita migrauit Sidonius Aruernorum Episcopus, successore Aprunculo pridem Lingonensi Episcopo, qui Burgundionibus suspectus studij in Francos, vt eorum insidias caueret Aruernos secessit, ibique in Episcopum lectus autore Gregorio Turonensi.

Lib. 3. ep. 13. Lib. 5. ep. 11. De glor. Mart. lib. 1. cap. 45.

Sidonio filius fuit Apollinaris nomine ex Papianilla coniuge Auiti A. filia ante præsulatum susceptus, eius indolem commendat pater in epistolis. Hic aliquando cum Victorio Duce in Italiam profectus, Romæ illo cæso magnum vitæ periculum subijt, & Mediolanum in exilium tractus S. Victoris Martyris nutu fuga elapsus in Aruernum redijt vt narrat Gregorius Turonensis.

Lib. 2. hist. Fr. cap. 36.

Prouinciales Gothorum imperij pertæsi ob Arrianæ hæresis tabem sua ad Francos etsi gentiles studia conuertêre Gregorius Turonensis: *Multi iam tunc ex Galliis habere Francos dominos summo desiderio cupiebant*, nempè magis ab Hæreticis cauendum rati, quam à Paganis quia Paganorum superstitio iam totiùs fere orbis ludibrium erat; Arriana verò hæresis adumbrata veritatis imagine incautis passim obrepebat: vnde quàplures Episcopi co-

this suspecti facti propensioris in Francos animi, multa ab his passi sunt. Hanc ob causam Quintianus Rutenorum Episcopus cum insidias sibi parari sensisset clam secessit in Aruernos, vbi ab Euphrasio Episcopo, & Apрunculi successore comiter susceptus, contributis opibus Aruernæ & Lugdunensis Ecclesiæ, huic enim prædia erant & in Aruerno pago, se suosque aluit, vt narrat Gregorius Turonensis. Antistites barbarica feritate suis Ecclesijs exturbati, ab alijs Ecclesijs foueri & sustentari solebant, adeóque sacri canones Synodi Ancyranæ, Antiochenæ, & Trullensis edixere Episcopos Ecclesijs vacantes propter barbaricas incursiones Episcopalia in alijs Ecclesijs exercere posse, eadémque prouidentia constitutione Alexij Comneni, quam edidit Balsamon decretum, ne electi in Orientales Ecclesias, quæ à Barbaris tenebantur, dimitterent ea quæ prius habebant Ecclesiastica officia vel beneficia καὶ ἀδελφάτα καὶ ὀφφίκια.

Lib. 2 hist. Franc. c. 36. & lib. de vit. patr. cap. 4. cap. ad supplicationem ex. de renunc. ca. 18. Can. 18. Can. 37.

Ind. can. 37. Syn. 6. in Trull.

Hac æui calamitosa sorte Volusianus Turonensis Episcopus Gothis suspectus habitus, quod Francorum partibus studeret, sede sua deiectus in exilium, vbi vitam finiuit, de exilij loco secum non conuenit Gregorius Turonensis, nam vno loco in Hispaniam relegatum tradit, & in alio Tolosam, & si qua fides habenda est, opinioni popularium, is deciso capite martyrij lauream tulit in pago Fuxensi, & in agone baculum quo seniles artus sustentabat humi defixit, ex quo ingens arbor surrexit specie ignota, quæ ad nostra vsque tempora virens, nefaria Hæreticorum manu excisa est, ad eum extat Ruricij Lemouicensis Epistola in qua scribit ei timendos non esse hostes exteros, Francos scilicet ver-

Lib. 2. hist. cap. 26. & lib. 10. c. 3. Martyr. R. Ioan. 18.

Lib. 2. ep. vlt.

ſantibus inter hoſtes, nimirum inter Gothos: *Nam quod ſcribis te metu hoſtium hebetem factum, timere hoſtem non debet extraneum, qui conſueuit ſuſtinere domeſticum*, ad eundem extant Sidonij Epiſtolæ. Eius memoriæ ſacrum Fuxenſe Monaſterium Canonicorum regularium S. Auguſtini ab Carcaſſonenſibus Comitibus ædificatum, vt nos docuit vir Illuſtriſſimus Petrus de Marca.

Lib 4. ep. 18 & lib. 7. ep. 17.

Lib. 8. c. 8. Hiſt. Bearn.

Cæſarius Arelatenſis Epiſcopus à Licamanno ipſius Notario falſo inſimulatus apud Alaricum quod Burgundionibus vrbem tradere moliretur, Burdigalam exilij cauſa relegatus, vbi miraculis virtus eius enituit, incendium late ſæuiens precibus compeſcuit, comperta innocentiâ ad Eccleſiam redire iuſſus vt narrat Cyprianus in eius vita apud Surium. Burdegalæ exulantem Ruricius Lemouicenſis Epiſcopus inuiſit vt ipſe ſignificat in Epiſtola ad eundem: *Ipſi enim recolere poteſtis, quam feſſum me Burdigaliæ videritis, & hoc hyeme quando eſſe ſoleo fortior ſolito.*

Tom. 4. Auguſt. 27.

Lib. 2. ep. 32

Apollinaris etiam Alarico de fide ſuſpectus factus ad eum venit, ſuſpicionem purgauit & illæſa gratia domum rediit, Auitus Viennenſis in Epiſtola ad Apollinarem: *Scripſiſtis igitur Chriſto præſtante iam reduces omnia tuta eſſe, circaque vos dignationem domni Regis Alarici illæſam & priſtinam permanere.*

Epiſt. 45.

Per hæc tempora Marianus natalibus Bituricenſis ſanctitate & miraculis claruit, is Monachum profeſſus in cœnobio D. Germani Altiſſiodorenſis ſub Mammertino Abbate ibique longa exercitatione probatus in eremum ſeceſſit, vbi non alio cibo quam ſyluestribus pomis victitabat, corpus eius exanime repertum iacens ſub arbore, & tranſlatum ad Euaunenſem, ſiue Euenen-

ſem.

sem vicum vt autores sunt Gregorius Turonensis, & Robertus Altissiodorensis, & alij. Lib. de glor. Conf. c. 1 In Chron. ad ann. 490.

Eadem tempestate Leonardus discipulus S. Remigij adeò gratia valuit apud Clodoueum, vt ab eo vinctos quos videretur absoluendi ius impetrarit, is relicto Comitatu, vitæ perfectioris studio secessit in Aquitaniam, & Nobiliacum Monasterium posuit in sylua regia, pagi Lemouicensis. Maximo in cultu & honore habuit D. Martialem, cuius basilicam frequentiùs orationis causa adibat, eius virtus elucet maximè in soluendis captiuis, & carceratis, eius ope Boëmundus Siculus Barbarorum custodia solutus, voti luendi causa in Galliam venit, vt patet ex eius vita apud Surium, & Chronico Altissiodorensi, & Orderico Vitali. Vincen. Bel-uac. lib. 20. cap. 18. ad A.C. 499 Lib. 11. ad A.C. 1106.

Alaricus etsi Arrianæ hæresis laqueis irretitus Remigij Remensis Episcopi miraculis permotus, puellam Tolosanam propinquitate iunctam, à dæmone arreptam, curationis gratia ad eum adduci curauit, & solemni legatione tam sancto Antistiti commendauit, vt narrat Hincmarus in vita Remigij, apud Surium, & Flodoardus. Tom. 1. Ian. 13. Lib. 1. Rhemens. hist. cap. 11.

His temporibus etiam sanctitate floruit Carilephus Aruernis ortus, fundator cœnobij Anisolæ in Diœcesi Cenomannensi, testis Autor eius vitæ apud Surium, & Sigebertus, vulgò *Scalés*. Huiusce Monasterij meminit & Gregorius Turonensis: *Et ad Monasterium Cenomannicum, quod vocatur Aninsula dirigitur, vt ibi sacerdotali erudiretur regula.* Tom. 4. Iul. 1. A. C. 49. Lib. 5. hist. Fr. cap. 14.

Alaricus nummos ex electro, id est auro argentóve mixtos conflauit, adulteratæ monetæ cum notabit Auitus Viennensis, & hunc reipublicæ lapsum instantis

Epist. 78. excidij prænuncium esse voluit: *Nec quidem talis electri quale nuper vt egomet hausi in sancto, ac sincerissimo impollutæ manus nitore sordebat, cui corruptam potius, quam confectam, auri nondum fornace decocti crediderim inesse mixturam, vel illam certè quam nuperrime Rex Getarum securutæ præsagam ruinæ monetis publicis adulterium firmantem mandauerat:*

Alaricus Clodouei Francorum Regis in offensionem incidit, ob id quod Syagrium Comitem Ægidij filium bello victum, apud se recepisset, sed eo tradito Francum sibi conciliauit, Anno Christi DVI. inter vtrumque Regem fœdus ictum in insula Ligeris, iuxta Ambaciensem vicum, pacis arbiter fuit Theodoricus Italiæ Rex; extant eius epistolæ ad ambos Reges hortatoriæ ad pacem apud Cassiodorum.

Grego. Tur. lib. 2. hist. Fran. c. 35. Sigebert. A. C. 506.

Lib. 2. var. ep. vlt. & lib. 3. ep. 1.

Alaricus eodem anno, qui fuit XXII. regni sui, Prouinciales Romanis legibus assuetos vix Gothicis acquiescere sentiens Codicem Theodosianum, lectorum prudentum operâ breuiatum, per Anianum Cancellarium suum Aduris quæ est ciuitas Nouempopulaniæ, in Concilio vtriusque ordinis, id est sacerdotum, & nobilium, edi curauit, vt iam obseruaui ex Commonitorio eidem Codici præfixo.

Scilicet anno Christi [5]06. iuxta supputationem [Ia]cobi Gothofredi in [...] Theodos. Prolegom. [ca]p. 5. et Petri Marca lib. [...]5. n. 2. [...] lib. 1. cap. 19.

Eodem anno celebrata est Synodus Agathensis eorum Episcoporum, qui Gothorum finibus tenebantur, Præside Cæsario Arelatensi Episcopo. Huic interfuere clariores Galliæ Narbonensis, & Aquitaniæ Episcopi, Cyprianus Burdegalensis, Tetradius Bituricensis, Quintianus Rutenensis, Sabinus Albiensis, Gualacterius de Benarno (is est Lascariensis) Gratus Oleronensis, Petrus Santonensis, Chronopius Petragoricensis, & alij. Huic concilio defuit Ruricius Lemouicensis Episcopus,

[n]empe 506. vt Gothofredus ait vbi supra. [M]arca lib. 1. cap. 15. Hist. [B]earni

ob valetudinem, & ingraueſcentem ætatem, quibus de cauſis ſe excuſat, apud Cæſarium Arelatenſem E. & Sedatum Nemauſenſem. Hæc Synodus collecta permiſſu Alarici Regis ad reſtituendam Eccleſiaſticam diſciplinam, quæ Gothorum Arrianorum contagio valde labefactata erat, hoc nomine Alarico gratulati Patres Concilij, & pro eius ſalute, regníque incolumitate preces fudere, vt conſtat ex ipſa præfatione Concilij: *Cum in Dei nomine & permiſſu Regis, in Agatenſem ciuitatem ſancta Synodus conueniſſet, & in ſancti Andreæ Baſilica conueniſſemus, ibique flexis genibus in terra pro regno eius, pro longæuitate populi Dominum deprecaremur, vt qui nobis congregationis permiſerat poteſtatem, regnum eius Dominus felicitate extenderet, iuſtitia gubernaret, virtute protegeret.* Nec deſunt paria Chriſtianæ charitatis exempla; orarunt veteres Chriſtiani pro ſalute paganorum principum, qui paſſim in ſe ſæuiebant, orarunt & Patres Ariminenſes pro ſalute Conſtantij etſi Arriani dogmatis labe polluti, vt teſtantur Tertullianus, Euſebius, & Theodoritus, & ipſe Athanaſius toto orbe profugus Conſtantem & Conſtantium Arrianæ ſectæ principes, & perſecutores ſuos pijſſimorum Principum nomine inſcripſit, *κατὰ πρόσταξιν θεοφιλεστάτων βασιλέων κωνσταντίου καὶ κώνσταντος: ad edictum religioſorum Principum Conſtantij & Conſtantis*, nec diſpari loquendi modo Auguſtinus Maximinum Epiſcopum Donatiſtam honorabilem fratrem appellat, quod proximum putaret ob ſpem poſtliminij: *Cur ergo te honorabilem, in quantum homo es, non appellem, cum præſertim de tua ſalute, atque correctione, quandiu in hac vita es, deſperare non audeam?*

Lib. 2. epiſt. 32. & 51.

Apolo. c. 30. & ad Scapul. cap. 2.
Lib. 7. c. 10.
Lib. 2. c. 18.
Apolog. 2. de fuga.
Epiſt. 203.

CAP. XIX.

Clodouei res gestæ in Alaricum. Maxentius Abbas. Prælium Vogladense & casus Alarici. Apollinaris Dux Sidonij filius. Aquitania & pars Narbonensis Prouinciæ Gothis erepta. Gothia pro Septimania. An Moyssiacense Cœnobium fundatum à Clodoueo. Engolismæ obsidio. Carcassona & Arelâte obsidione tentatæ. Concilia habita ad restituendam religionem Gothorum contagio labefactatam. Clariores Episcopi Aquitaniæ. Remensis Ecclesia multis in Aquitania prædijs à Clodoueo ditata.



NNO DVII. Clodoueus non ferens Alaricum, Galliarum imperij consortem; tum Arriano, recèns susceptæ Christianæ religionis zelo infensus, in eum bellum decreuit, belli causas prodidit Gregorius Turonensis: *Igitur Chlodoueus Rex, ait suis valde molestè fero, quòd hi Arriani partem teneant Galliarum, eamus cum Dei adiutorio & superatis redigamus terram in ditionem nostram.* Idem Aimoinus. In huius belli apparatu Clodoueus legem condidit, ne quid milites damni, iniuriæve Ecclesijs, aut sacris personis eorúmve bonis inferrent, quam patribus Galliæ Concilij causa apud Aureliam tum considentibus significauit, per epistolam quæ præmissa est Con-

Lib. 2. hist. Franc. c. 30.

Lib. 1. c. 20.

cilio: *Enunciante fama quid actum fuerit, vel praeceptum omni exercitui nostro priusquam in patriam Gothorum ingrederemur beatitudinem vestram praeterire non potuit, in primo quoque de ministerio Ecclesiarum omnium praecepimus, vt nullus ad subripiendum in aliquo conaretur, neque de sanctimonialibus, neque de viduis, quae in religione Domini deuotae esse probarentur, &c.* Instructis copijs in Gothorum fines irrupit, Turonibus per quos iter erat pepercit pro reuerentia D. Martini, quo de euentu belli consulto per sacras sortes, & felici accepto omine, audaciùs in expeditionem processit, vt verò ad Vigennam amnem peruenit anxius quà viam sibi faceret, ingruentibus enim pluuijs amnis tumuerat, Ceruam conspexit quae se misit in flumen, & postquàm in vlteriorem ripam enarauit nusquam comparuit, hac duce flumen vado superauit, inde copijs admotis ad Pictauos vrbem qua se Alaricus continebat, alio victoriae auspicio, nempe viso nocturno lumine è D. Hilarij basilica castra versus emicante accensus ad pugnam. His diebus Maxentius Abbas sanctissimus habebatur in Mônasterio pagi Pictauiensis, cui nomen à conditore Cella S. Maxentij, huc Francorum manu accedente, & fratribus conspectu armatorum territis, his Abbas humiliter occurrit, iniuriam à se & suis deprecatus est: irritis precibus, cum vnus ex his militari ferocia in caput sancti viri ferrum stringeret, dextra ei obriguit, nec priùs reconualuit quã fusa à Maxentio benedictione, vna cum olei sancti chrismate. Autor est Gregorius Turonensis, eiusdem meminit Sigebertus. Condicto praelio inter Clodoueum & Alaricum in campis Vogladensibus, decimo à Pictauis vrbe milliari de summa rerum Galliae pugnatum: in eo

Fortunat. de mirac. S. Hilar. apud Surium to. 1 Ian. 13.

Lib. 2. hist. Fr. cap. 37.

A. C. 506.

prælio Alaricus à Clodoueo equo deiectus, & propria ipsius manu confossus. Gothi morte Regis consternati ad internecionem deleti. Huic prælio interfuit Apollinaris Dux Sidonij filius, & pro Alarico cum Aruernorum lecta manu pugnauit, non sine magna clade suorum. De quo Gregorius Turonensis: *Maximus ibi tunc Aruernorum populus, qui cum Apollinare venerat, & primi qui erant ex Senatoribus conruerunt.* Post pugnam Clodoueus Burdegalam, & alias circumpositas vrbes occupauit, & Burdegalæ hyemauit. Interim Theodoricus à patre missus cum validis copijs interiorem Aquitaniam victorijs peragrauit, Rutenos, Cadurcos, Albigẽses Aruernos-Gabalos in potestatem redegit. Ineunte vere Clodoueus Tolosam quæ erat sedes Regum Gothorum adijt, & Alarici thesauros diripuit. Gregorius Turonensis: *Chlodoueus vero filium suum Theodoricum, per Albigensem, ac Rutenam ciuitatem ad Aruernos dirigit, qui abiens vrbes illas à finibus Gothorum vsque Burgundionum terminum patris sui ditionibus subiugauit. Chlodoueus verò apud Burdegalensem vrbem hyemem agens, cunctos thesauros Alarici à Tholosa auferens Engolismam venit.* Idem Aimoinus Monachus, Hincmarus in vita Remigij apud Surium, Ado Viennensis, Flodoardus, Sigebertus, Abbas Vrspergensis, Otho Frisingensis, & alij.

Lib. 2. hist. Fr. cap. 37.

Lib. 2. c. 37.

Lib. 1. c. 22.

Tom. 1. Ianuar. 13.

In Chron.

Lib. 1. hist. Rhem. c. 15.

ad An. 509.

Lib. 4. Chr. cap. 34.

Clodoueus victor Gothorum cum Tolosam peteret, Monasterium Moyssiacense in finibus Cadurcorum sanctis Apostolis Petro & Paulo dicasse fertur. Chronicon Moyssiacense MS. huius Monasterij conditorem ponit Clodoueum, instauratorem Ludouicum Pium ex fide veteris lapidis hac inscriptione signati.

Hoc tibi Christe Deus Rex instituit Clodoueus,

Auxit munificus post hunc Domnus Ludouicus.

Et in gestis MS. translationis Beati Cypriani Martyris, de cuius sacris Lipsanis sibi plaudunt Moyssiacenses, narratur Clodoueum primum hocce monasterium instituisse, & B. Amandum Episcopum primum Abbatem imposuisse, & postea Childericum id exædificasse, sed hoc opus Clodoueo II. tribuendum esse suadet quod legitur in vita MS. S. Desiderij Cadurcensis Episcopi, qui Dagoberti Regis, & Clodouei II. patris & filij synchronus fuit, Moyssiacense cœnobium paulò antè regijs expensis initiatum ipsius tempore ab Ansberto & Leuthadio perfectum, mouet etiam quod in vita MS. S. Ansberti dicitur Ansbertum Fontanellensem Abbatem, & postea Rothomagensem Episcopum, precibus B. Desiderij Cadurcensis Episcopi propinqui & familiaris sui monasterium istud iussu Francorum Regum primò constructum rexisse, tum vnum ex suis B. Leotadium Abbatem præfecisse, qui haud dubiè idem est cum Leutadio de quo in vita Desiderij, ex quibus huius monasterij initia rectè aptantur temporibus Clodouei II. Ansbertum enim qui dicitur primus Abbas huius Monasterij, hac ætate vixisse, cum Desiderio Cadurcensi exploratum est: coniecturam iuuat quòd in gestis translationis Cypriani, opus perfectum dicitur à Childerico, qui fuit filius Clodouei II. Is enim hac ratione motus videtur, vt hoc Monasterium perficeret ne opus à patre incœptum imperfectum iaceret.

Tolosâ Clodoueus castra mouit Engolismam versus, quam Deus ipsi in potestatem tradidit, ruentibus sua sponte muris, capta vrbe omnes Gothi occisi, mœnia collapsa admotâ sacrâ phialâ sanguinis & aquæ qui è

latere Christi fluxit, consilio Aptonij Sacellani Regij; & ideò post expugnatam vrbem, hunc à Clodoueo vrbi datum Episcopum, & Lupicino successorem, fertur in Chronico Engolismensi MS. Post hæc vicinæ vrbes aut vi, aut deditione captæ, præsidia imposita, & rebus stabilitis in Aquitania Clodoueus ad Turones iter conuertit, & lætus vota soluit D. Martino.

Invit. Apto. Episc.

Greg. Turo. lib. 2. Hist. Fr. cap. 37. Aimoin. lib. 1. cap. 22. Lib. 1. de bell. Goth.

Alarici & Gothiorum casum aliter narrat Procopius, nempe Francos, quos Germanos vocat Gothorũ fines ingressos circa Carcassonẽ castra posuisse; Alaricum vero cum castris se contineret auxiliares Theodorici copias expectans, Gothis agrorum suorum populationem non ferentibus, & ignauiam exprobrantibus infeliciter ad pugnam descendisse, & in ea cum maxima copiarum parte cecidisse. Francos rerum successu elatos, Carcassonem vrbem munitam obsedisse, in qua regias opes conditas acceperant, nimirum spolia templi Hierosolymitani quæ Alaricus senior capta Roma in Galliam asportauerat, & custodię causa hîc deposuerat; sed Theodorico cum ingentibus copiis suppetias ferente Francos obsidionem soluisse, & eam Galliarum partem quæ à Rhodano in Oceanum patet armis occupasse. Theodoricum cum à Francis parta recipere posse diffideret, Galliæ Narbonensis partem quæ incolumis erat, tueri satis habuisse. Stultè Petrus Vallissernensis Alaricum Gothorum Regem pro foribus Tolosæ vrbis suspendio vitam finijsse, in hoc enim consentiunt veteres omnes scriptores, Alaricum in bello occubuisse, & Gregorius Turonensis quem Aimoinus, & alij secuti sunt mihi autor est, eum Clodouei dextra prostratum in prælio Vogladensi.

Hist. Albig. cap. 1.

Eadem

Eadem expeditione Franci & Arelaten diutina obsidione oppugnarunt tuente Tolumno Duce, sed obsidionem soluere cõpulsi sunt, vt narrat Cyprianus in vita Cęsarij Arelatẽsis Episcopi apud Suriũ. Hoc nomine Theodoricus Arelatensibus vectigalia remisit in quartam inditionẽ ad reficiendos muros bellicis machinis labefactatos vt patet ex Cassiodoro. Interim igitur Galliæ Narbonensis pars in Gothorũ potestate remãsit vnde Septimania Gothiæ nomen retinuit Gregorius Turonensis: *Ibi & Sygila, qui quõdã ex Gothia venerat, multũ laceratus est.* Et Chronicon Moyssiacense de Ludouico Pio: *Qui congregato exercitu ex Aquitania, Vasconia, nec nõ de Burgundia Prouincia, atque Gothia misit eos ante se ad obsidionem ciuitatis.* Et Ioannes Italus autor vitæ Odonis Abbatis Cluniacensis: *qua de causa omnibus charus erat, pręcipueque apud Vvillelmum Comitem robustissimum, qui eo tempore Aquitaniam, Gothiamque suo iure tenebat.* Et Frodoardus: *Hungari per abrupta transeuntes Alpium iuga veniunt in Galliam, & inopinato loco per deuia montis euadentes Gothiam impetunt*, & Robertus Montensis, *& Gothiam quę Prouincia sancti Ægidij dicitur*, & Gothos pro Septimanis accepere. Idem Turonensis: *Et apud Arisitensem vicum Episcopus instituitur, habens sub se plus minus diœceses quindecim, quas primum Gothi quidam tenuerant, nunc vero Dalmatius Ruthenensis Episcopus vendicabat.* Et Stephanus Tornacensis in epistola ad Ioannem Pictauiensem Episcopum ad Narbonensem cathedram electum: *Absit pater à mansuetudine vestra, vt ad Gothorum barbariem, ad leuitatem Vasconum, ad crudeles & efferos mores Septimanię declinetis*, inde & Hispani scriptores Narbonensem pro-

Tom. 4. Aug. 27.

Lib. 1. var. ep. 32.

Lib. 4. hist. cap. 31.

Lib. 1.

In Chronic. ad ann. 924.

In suppl. Sigebert. ad ann. 1118.

Lib. 5. hist. Franc. c. 5.

Epist. 92.

Lib. 3. de reb. Hisp. cap. 20. & id. lib. 2. c. 9. & 11. uinciam Galliam Gothicam vocitarunt Rodericus Toletanus: *Gallia & Gothica, id est Narbonensis Prouincia, cum Rutheno Alba & Vinario ciuitatibus, quæ Gothorum tempore ad Narbonensem Prouinciam pertinebant.* Corruente Gothorum Regno in Gallia, à Patribus acriter laboratum restituendæ Catholicę fidei, quæ Gothorum colluuie nimium collapsa erat, à Gothis receptæ basilicæ sub tyrannide occupatæ, & Gothorum templa seu potius latibula in sacros vsus expiata. Hac de causa celebratum Concilium Aurelianense I. eodem ipso anno DVII quo Alaricus extinctus est, & in eo basilicas Gothorum recipi, & simili quo nostræ innouari solent placuit ordine consecrari, aliud deinde visum, & in concilio Epaonensi habito anno DIX hæreticorum Basilicas in catholicorum vsus conuerti vetitum odio Arrianæ hæreseos.

Lib. 1. var. ep. 32.

Aurelian. 1.

Can. 12.

Can. 33.

Aurelianensi Concilio subscripsere quamplures Aquitaniæ Episcopi, Boëthius Cadurcensis, Cyprianus Burdegalensis, Cronopius Petragoricensis, Euphrasius Aruernensis, Lupicinus Engolismensis, Petrus Santonensis, Quintianus Rutenensis, Tetradius Auscienses, & Tetradius Bituricensis Metropolitanus, is pietatis monumentis commendatur & Basilicæ S. Iuliani Briuatensis villam reliquisse memoratur à Gregorio Turonensi.

Lib. 2. de glor. Marty. cap. 14.

Clodoueus rerum potitus Aquitaniam veluti Remigij beneficium agnouit, & Rhemensem Ecclesiam multis prædijs etiam in Aquitania sitis ditauit autore Hincmaro in eius vita, & Flodoardo, & hic fuit exitus rerum

Gothorum in Aquitania, hæc manus Domini qui transfert Regna de gente in gentem, tranſeunt Regna, ruunt terrenæ poteſtates, Soli Deo honor & imperium manet in ſæcula.

***





